






2
3
247









2 3 247

IO. ANTONII PETRAMELLARII BONONIENSIS,

SS. Mauritij, & Lazari Hierosolymit. Equitis.

AD

LIBRVM ONVPHRII PANVINII DE SVMMIS PONTIF. ET S.R.E. CARDINALIBVS.

A Paulo Quarto ad Clementis Octaui Annum Pontificatus Octauum.

CONTINVATIO.





BONONIAE

Apud Hæredes Ioannis Rossij. MDIC.

Superiorum permissu.

Iacob Gaddi Flo

ILLVSTRISSIMO,
AC REVERENDISSIMO
DOMINO,
D. LAVRENTIO
BLANCHETTO
S.R.E.CARD. AMPLISSIMO,
PATRONO COLENDISS.

Io. Antonius Petramellarius felicitatem.



VOD ad ea, quæ de Patribus amplißimis ab Onuphrio Panuinio viro apprimè erudito, et eloquenti scriptis mãdata fuerũt; modica hæc facta sit Continuatio, id mei fuit ocij. Quod lucubrationes hæ inter suos cancellos pudenter cõtinerẽtur, id mei erat propositi. Quod res manuscriptis exẽplarib. in amici premortui gratiã vulgata, non incõsulto authore excuderetur, id exhortationis fuit multorũ. Quod verò nomine tuo illustriß. cõdecoratum prodire laborem hunc meum statuerim, id optati est perfugij. Video nõ tam probari electionem, quam reprehendi audaciã: vt.n. negotio patronum

† 2 *selege-*


selegeram eximium, qui vsquequaq; posset; & auctoritate fouere, & nomine tueri, & dignitate confirmare, quæ verè magis, quam comptè narrantur; ita oblatio nimium tenuis suppetebat, pro tanti viri protectione expostulanda. Sanè; si munus hoc ex scribentis conditione spectetur, est perexiguum; si ex viribus ingenij, dixerim mediocre; si ex animi propensione, magnum; si ex rei, de qua agitur, conditione, non ineptum, quod Cardinali offeratur. Accipe igitur (Cardinalis Illustriss.) & aspice. Sat hoc dixisse. Nihil. n. accipit tua isthæc humanitas, quod non boni consulat; nihil aspicit, quod non lætificet. In hoc clientuli tui perlegito deuotionẽ; & vbicunque elanguescat argumentũ, vel desit ornatus; tua ipsius merita in cuiuslibet laudibus diffusa augebũt argumẽtum; splendor tuus faciet ad ornatum; cupidoq; mea tibi placendi cuncta colorabit.



AMICO LECTORI.



NVPHRIVS Panuinius, vir ad ecclesiasticas antiquitates ex tenebris eruendas, natus; cum librum, quem ille de summis Pontificibus, & S. R. E. Cardd. summo labore cōscri bebat; tunc informē, ac innumeris erroribus scatentē,&cui nondum extremā manum imposuerat(vtipse testatur) sibi prereptū,cum eorundē insignibus impressum; sui tamē nominis titulo, intellexisset; alterū integrū,emendatū, erroribusq; purgatū, ac; vt homines cognoscerent; non quem sibi sublatum affirmat: sed nouissimū, qui sine insignibus editus est, suum esse germanū fœtum, qui.s.è sua prodijsset officina,publicare maturauit. Ad hūc igitur; non ad priorem illum hæc à me continuatio facta est, quamuis appositis insignibus,videar priorem illum fuisse æmulatum,& cū de Cardinalium morte agitur, nonnulla de rebus ab ijs gestis adiecerim. Alterum.n.de nonnullorum consilio feci. Alterum, vt facerem animū induxi,quo posteris liqueret, etiam nostra tempestate in sacro Cardinalium Collegio viros; morum integritate, vitæ sanctimonia, rerum ciuilium vsu, humanarum contemptu, desiderio diuinarū, ac laboribus pro S. R. E. exantlatis, librisq; in ea defendenda, ac propaganda, necnon rep. literaria adiuuanda conscriptis, insignes, ac dignos floruisse, qui cum priscis illis Ecclesiæ Patribus posṡint comparari. De his (benignè Lector) te monitū volui, quem; vt æquo animo hæc perlegas etiam, atq; etiam rogo.




INDEX
SVMMORVM PONTIFICVM.





INDEX
S.R.E. CARDINALIVM.



D.De-

Fran-

Hier.

Io. Pog-

Octauius

Rod



PAV-

PAVLVS QVARTVS PONT. MAX.



ANNO CHRISTI MDLV.

SIGNVM PAVLI QVARTI.

DOMINVS MIHI ADIVTOR.

N Italiæ regione, quæ ad Campaniam pertinet sita est nobilis Vrbs Neapolis, in qua in primis clara est Carafarum familia, cuius familiæ Princeps Ioan. Antonius Matalunæ Comes, ac Dominus; in matrimoniũ ducta Victoria Camponesca, æque clari generis fęmina,

multas ex ea ſuſcepit fœminas, mares duos; quorum alter natu maior Ioannes Alfonſus Montorij Comes; alter natu quidem minor: ſed factis longe maior ante Pōtificatum, nomine non minus, quam numine quodam Io. Petrus; natus ſiquidem anno 1476. 4. Kal. Iulij die Veneris: ipſo Petri Apoſtolorum Principis peruigilio; poſt ipſum verò Pontificatū Paulus diuina prouidentia Pontifex IIII. nuncupatus eſt. Is, vt erat iuuenis bonæ indolis, & qui pietatem ipſam, quaſi cum lacte materno ſuxiſſe videbatur; Prædicatorum habitum ſumere meditabatur, quod vbi (vt fit) præſenſerunt parentes, ac cognati, imbecilliori tenerioris adoleſcentis ætate diffidentes; vt animum à propoſito inſtituto abalienaret blanditijs pertentabant; tum egregius iuuenis, vt aliquid parentibus, atq; etiam conſanguineis ſuis concederet, conſilium à propoſito auocat, & vt eos conſolaretur animū literis, quod ipſos in votis habere non ignorabat, appellit, in quibus tanta claruit admiratione; vt ingenuas artes, ac diſciplinas, tū verò maxime ſacrarū literarū, latinę, grecæ, immo verò etiā hebraicæ linguæ cognitionē, cui à pueris egregiam nauarat operam, non didiciſſe: ſed diuinitus accepiſſe, publica omnium confeſsione diceretur. Imbuto iam animo, non minus, & humanioribus literis, & grauioribus diſciplinis, quam bonis moribus exornato, Romam proficiſcitur; quò, vbi peruenit ab Oliuerio Carafa Cardinale, atq; Neapolitano Archiepiſcopo ſacri Cardinalium Collegij, tunc temporis Decano, perhumane exceptus, ibi magno cum omnium applauſu commoratur. enimuero tam claros virtutis ſuæ radios ſic ſparſit, vt vel ad ipſum Pontificem Iulium II. illos ipſos diffuderit, qui, vt dignis tantas virtutes afficeret præmijs, eū inter ipſa Pontificatus primordia Epiſcopum Theatinū crearit. ſed quoniā accepta hac dignitate, lumen virtutum illius in dies magis, ac magis, cœpit

pit elucefcere, haud ita multo poft Neapolim Legatus eft, vtpotè qui à Summo Pontifice idoneus videbatur, qui Ferdinandum Regem Catholicum, ex Hifpania eò accedentem, Apoftolicæ Sedis nomine fufcipiens dignis cohoneftaret honoribus. His peractis adfuit Concilio Lateranenfi, inter multos alios Præfules ipfe excellens in eo, quod inchoatum à Iulio Pontifice; Leo X. fucceffor fœlicifsimè conclufit. Aliquot annis poft, Apoftolicæ Sedis Nuncius in Angliam ad colligendũ (vt moris erat) S. Petri vectigal, à Leone X. mittitur, qui tribus annis exactis, inde in Hifpaniam ad Ferdinãdi Catholici Hifpaniarum Regis Aulam fe cõferens, à benignifsimo Rege, iam tum gratifsimæ illius fibi Neapoli factæ ab eo exceptionis memore, ad cõfilia admiffus eft, nec hoc cõtẽtus ille ipfe Rex Ferdinandus maximi facelli regij Sacerdotis Vicarium elegit, in quo fane munere, tam egregie fe gefsit; vt mortuo Ferdinando in illo ipfo à Carolo Rege (qui poftea Imperator nomine Quintus) fuerit confirmatus. Sed tandem Pontifex, qui tunc fucceffor Leonis X. Hadrianus Sextus erat, non poterat ob tantũ virũ Hifpanis quodãmodo non inuidere, aut certe æmulari, quiq; in Hifpania ob literarum, morumq; fimilitudinem arctam contraxerat necefsitudinem, eum ex Hifpania Romam euocat; vt Chriftianæ Reipubl. res lapfas erigat, confirmet labentes, qua in re talem, ac tantum; vt in omnibus folebat, fe præbuit fpectatæ virtutis virum; vt fi, quæ impedit omnia mors Pontificem non impediffet, proculdubio eum tantorum laborum fpes non effet fruftrata, quin ad Cardinalatus faftigium euectus fuiffet, qua dignitate; quamuis vel maxime dignus effet: tamen eam, tantum abeft, vt quæfiuerit; vt potius, quẽadmodum paulò poft videre erit, fugiffe videatur. Mortuo igitur Hadriano, ecce creatur Clemens VII. à quo non modo (o eximium virtutum omnium exemplar, ac

ſimulacrum) à quo (inquam) non modo Epiſcopatum Brunduſinum, quo tam enixè Cæſar Carolus V. eum ſtudebat exornare, non accepit: verũ etiam ſua ſponte eas, quibus exornabatur, dignitates ſumma animi demiſsione dignioribus ſe (ſic ille dicebat) diſpenſandas renunciauit. His ita conſtitutis, in montem Pincium ſe contulit; vt humili caſa, ſeueriorią; victu, liberius ſibi Deoq; vacare liceret, vbi non paucos annos religiosè trãſegit, donec direpta, ac depopulata alma Vrbe, Veronam petere coactus eſt, & inde Venetias, vbi nouam quandam Regularium Clericorum cõſtituit Congregationẽ, quos de nomine Eccleſiæ, quã prius obtinebat vocauit Theatinos, quod inſtitutum Clemens poſtea approbauit. Mortuo verò Clemente, Paulus III. ad Pontificatum aſſumptus; vt iacentibus Chriſtianæ Reipub. rebus conſulat, ac prouideat, Romam vocat viros doctrina, vitæ moribus, ac religione inſignes ad hoc munus obeundũ. Electi ergo ſunt Contarenus, Sadoletus, Corteſius, Polus, Frego ſius, qui poſtea Cardinales, & hic, de quo ſermonem habemus, Io. Petrus, qui Venetijs Romam ſemel, atq; iterum ad hoc aſcitus, demum ab ipſo Pontifice in tertia Cardinalium creatione; data, quam prius renunciarat Theatina Eccleſia, in ſacrum Cardinalium Collegiũ anno ſalutis 1536. Pontificatus III. XI. Kal. Ianuarij, die Veneris, Presbyter Cardinalis tt. S. Pancratij, mox Sãcti Clementis adſcriptus eſt. Emerſo autem ex infernis lacubus, peſtifero illo monſtro (Lutherum dico, quem nominem indigniſsimum) atq; in Italiam irrumpente hæretica peſte; vt tanto totius Italiæ periculo conſuleret, in primis author eſt Pontifici, vt ad ſacrum ſanctæ Inquiſitionis tribunal Iudices præſtantiſsimi, totius Collegij Cardinales deligantur, qui diligenter membra Eccleſiæ, peſtifero illo morbo (hæreſim intelligo) infecta ſanarẽt, aut, ſi curari, ſanariuè non poſſent, amputarent;

vt hac

vt hac ratione tota Italia imminenti periculo libera, in pristinam reuocaretur sanitatem. Quæ res,& illi in hoc munere, præ cæteris delecto,& alijs fœlicissimè processit: dimisso vero titulo S. Clementis, titulum S. Mariæ Transtiberim adoptauit; ad Episcopatum Albanen. & Sabinen. atq, hinc porrò ad Neapolitanę Ecclesiæ dignitatem ascendit. Sub Iulio III. Episcopus Card. Tusculanus fuit, ac demum obeunte Io. Dominico Cardinale Tranense,Ostiensis,& Veliternus Episcopus, sacriq; Cardinalium Collegij Decanus factus, paulo post mortuo Marcello Pontifice, suffragantibus quadragintaquatuor Cardinalibus ad summum honorum omnium fastigium Pontificatum euectus est, cum annũ natus esset septuagesimum nonum, die Iouis festo Ascensionis Domini, X. Kal. Iunij, anno Domini 1555. Vocatus igitur Paulus IIII. fuit de more ante Basilicam Vaticanam fœlici, ac fausto auspicio per manus Frãcisci Pisani S.R.E. Archidiaconi coronatus. Vixit annos Pontificatus quatuor, menses duos, dies viginti quatuor, Carolo fœlicis memorię V. & Ferdinando Imperatoribus.

Cardinales 56. viui, quando PAVLVS *Papa IIII. creatus est.*

Episcopi Cardinales VI.

PAVLVS PAPA III.

1 Io. Petrus Carafa Episcopus Card. Ostiensis,& Veliternus, sacriq; Collegij Decanus.

LEO X.

2 * Ludouicus Borbonius Episc. Card. Prænestinus.

CLEMENS VII.

3 * Franciscus de Turnone Episc. Card. Sabinus.

A 3 PAV-

PAVLVS III.

4 Ioannes Bellaius Episcopus Cardin. Portuensis, & S. Rufinæ.

5 Rodulphus Pius Carpensis Episcopus Cardinalis Tusculanus.

6 Fr. Ioannes Aluari de Toleto Episcopus Cardin. Albanus.

Presbyteri Cardinales XXXIII.

CLEMENS VII.

7 * Claudius de Giuri tt. S. Agnetis in Agone. S.R.E. Archipresbyter.

PAVLVS III.

8 Robertns de Lenoncourt, tt.S. Apolinaris.

9 * Antonius de Medon, tt. S. Chrysogoni.

10 * Michaël Syluius, tt. S. Mariæ Transtiberim.

11 Ioannes Moronus, tt.S. Laurentij in Lucina.

12 Christophorus Madrucius, tt. S.Cęsarij in palatio.

13 Georgius de Arminiaco, tt. SS. Io. & Pauli.

14 Franciscus de Mendozza, tt. S. Eusebij.

15 * Iacobus Denebault, tt.S. Susannæ.

16 Otho Truchses, tt. S Sabinæ.

17 Bartholomæus de la Cueua tt. S. Bartholomæi in Insula.

18 * Fridericus Cæsius tt. S. Priscæ.

19 Durantes de Durantibus Basilicæ SS. XII. Apost.

20 * Henricus de Portugallia tt. SS. Quatuor Coronatorum.

21 Petrus Paciecus, tt. S.Balbinæ.

22 Fr. Ranutius Farnesius, tt. S. Angeli S. R. E. maior Pœnitentiarius.

23 Carolus Lotharingus, tt. S. Cæciliæ.

24 Hie-

24 Hieronymus Verallus, tt. S. Marcelli.
25 Ioannes Angelus Medices tt. S. Stephani in monte Coelio.
26 Tiberius Crispus, tt. S. Agathæ.
27 Carolus Borbonius, tt. S. Sixti.

IVLIVS III.

28 Christophorus de Monte, tt. S. Praxedis.
29 Fuluius Corneus, tt. S. Mariæ in Via.
30 Ioannes Michaël Sarracenus, tt. S. M. de Aracœli.
31 Ioannes Riccius S. Vitalis, tt. Vestinæ.
32 Io. Andreas Mercurius, tt. S. Cyriaci in Thermis.
33 Iacobus Puteus, tt. S. Simeonis.
34 Fr. Petrus Bertanus, tt. SS. Marcellini, & Petri.
35 Fabius Mignanellus, tt. S. Sylucstri.
36 Io. Poggius, tt. S. Anastasiæ.
37 Io. Baptista Cicada, tt. S. Clementis.
38 Hieronymus Dandinus, tt. S. Matthæi.
39 Petrus Taliauia S. R. E. Presb. Card.

Diaconi Cardinales XVII.

LEO X.

40 Franciscus Pisanus S. Marci S. R. E. Archidiac.

CLEMENS. VII.

41 Hercules Gonzaga S. Mariæ Nouæ.
42 Hieronymus de Auria S. Thomæ in Parione.
43 * Odettus de Castellione S. Hadriani.

PAVLVS III.

44 Alexander Farnesius S. Laurentij in Damaso S.R.E. Vicecancellarius.
45 Guido Ascanius Sfortia S. Mariç in via Lata S.R.E. Camerarius.
46 * Reginaldus Polus S. Mariæ in Cosmedin.
47 Nicolaus Caetanus S. Eustachij.


48 Hippolytus Estensis S. Mariæ in Aquiro.
49 Iacobus Sabellus S. Nicolai in Carcere.
50 Hieronymus Capoferreus S. Georgij ad Velum aureum.
51 Iulius de Ruuere S. Petri ad Vincula.

IVLIVS III.

52 Innocentius de Monte S. Onuphrij.
53 Fr. Aloysius Cornelius S. Theodori.
54 Ludouicus de Guisa S. R. E. Diaconus Card.
55 Hieronymus Simoncellus SS. Cosmæ, & Damiani.
56 Robertus de Nobilibus S. Mariæ in Domnica.

Insignia S. R. E. Cardinaliũ qui viuebant, quando PAVLVS *Papa IIII. creatus est.*

I.



II.



III.



IV.



V.




VI.




VII.

VII.



VIII.



IX.



X.



XI.



XII.



XIII.




XIV.



XV.

XV.



XVI.



XVII.



XVIII.



XIX.




XX.



XXI.



XXII.



XXIII.

XXIII.



XXIV.



XXV.



XXVI.



XXVII.



XXVIII.



XXXI.



XXX.



XXXI.

XXXI.



XXXII.



XXXIII.



XXXIV.



XXXV.

XXXV.



XXXVI.



XXXVII.



XXXVIII.



XXXIX.



XL.



XLI.



XLII.



XLIII.

XLIII.



XLIV.



XLV.



XLVI.



XLVII.



XLVIII.



XLIX.



L.



LI.

LI.



LII.




LIII.



LIV.



LV. LVI.



Prima creatio vnius Cardinalis.

Anno Domini MDLV. Pontificatus primo die Veneris 7. Idus Iunij Romæ.

PAVLVS *Papa IV. primò vnum creauit Cardinalem, qui fuit.*

1 F. Carolus Carafa Neapolitanus, Papæ fratris filius, Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani Miles, Bailiuius Neapolit. Diaconus Card. SS. Viti, & Modesti in Macello Martyrum.

I.



Secunda creatio VII. Cardinalium.
Anno Domini MDLV. Pontificatus primo die Veneris 13. Kal. Ianuarij Romæ.

PAVLVS *Papa IV. secundò creauit septem Cardinales, qui fuerunt.*

2 IOannes Siliceus ex oppido Villagarcia de Lexena, Diœcesis Basadocensis Hispanus, Archiepiscopus Toletan. & Hispaniarum Primas, Presbyt. Card. tt. SS. Nerei, & Archilei, absens.

3 Don Bernardinus Scotus ex oppido Malliani Sabinus, Ordinis Clericorum Regularium Theatinorum, Archiepisc. Tranensis, Presbyt. Card. tt. S. Matthæi in Merulana.

4 Diomedes Carafa Neapolitanus, Papæ affinis, Episcopus Arianensis, Presbyter Card. SS. Syluestri, & Martini, tt. Equitij, alias S. Martini in Montibus.


5 Scipio Rebiba ex oppido S.Marci, Siculus, Episcopus Motulensis, Almæ Vrbis Gubernator, Presbyter Card. S. Pudentianæ, tt. Pastoris.

6 Ioannes Suauius Reumanus Vasco Gallus, Auditor Rotæ, Episcopus Mirapicensis, Presbyt. Card. tt. S.Ioannis ante portam Latinam.

7 Ioannes Groperius Germanus, Bonæ Præpositus, & maioris Coloniensis Ecclesię Archidiaconus, Presbyter Card. tt. Sanctæ Luciæ in Silice, qui gratias agens, dignitatem remisit.

8 Io. Antonius Capisuccus Romanus, Auditor Rotæ, Presbyter Card. tt. S. Pancratij.

II.



III.



IV.

IV.




V.



VI.




VII:



VIII.

VIII.



Tertia creatio decem Cardinalium.

Anno Domini MDLVII. Pontificatus ſecundo die Lunæ Idibus Martij Romæ.

PAVLVS *Papa IV. tertiò creauit decem Cardinales, qui fuerunt.*

9 THadæus Gaddus Florentinus I. V. D. Archiepiſcopus Conſentinus, Presbyter Card. tt. S. Sylueſtri in campo Martio.

10 Antonius Triuultius Mediolanenſis I. V. D. & vtriuſq; Signaturæ Referendarius, Sedis Apoſt. apud Rempub. Venetam Nuncius, Epiſcopus Tolonenſis, Presbyt. Cardin. tt. SS. Io. & Pauli, abſens.

11 Lau-

11 Laurentius Strotius Florentinus, Episcop. Biterensis, Presbyt. Card. tt. S. Balbinæ, absens.

12 Virgilius Rosarius Spoletanus I. V. D. Episcopus Isclanus, Papæ Vicarius, Præsbyt. Card tt. S Simeonis.

13 Ioannes Bertrandus Tolosanus Gallus, Regni Galliæ Sigillorum Custos, Archiepiscopus Senonensis, & Galliarum Primas Presbyt. Card. tt. S. . . . absens.

14 Fr. Michaël Ghisilerius Alexandrinus origine Bononiensis, Ordinis Prædicat. Magister in sacra Theologia, Episcop. Sutrinus, & Nepesinus, sanctiss. Inquisitionis Officij Cõmissarius, Presbyt. Card. tt. S. Mariæ super Mineruam.

15 Fr. Clemens Dolera, ex oppido Monilia Ligur, Ord. Minorum Obseruantium Generalis Minister, Presby. Card. tt. S. Mariæ de Aracœli.


16 Alfonsus Carafa Neapolitanus, Papæ fratris pronepos, Protonotarius Apostolicus, Diaconus Card. S. Nicolai inter Imagines.

17 Vitellotius Vitellius ciuis, & electus Episcopus Tiphernas, I. V. D. Cameræ Apostolicæ Præsidens Clericus, Diaconus Card. SS. Sergij, & Bacchi.

18 Io. Baptista de Consiliarijs Romanus, origine Bononiẽsis, familia Ghisileria oriundus, Protonotarius Apostolicus, Cameræ Apostolicæ Præsidẽs Clericus, Diaconus Card. S. Luciæ in Septisolio.

XIII.


IX.



X.



XI.



XII.




XIII.

XIII.



XIV.



XV.



XVI.



XVII. XVIII.



Quarta vnius Cardinalis creatio.


Anno Domini MDLVII. Pontificatus tertio, die Lunæ, 18. Kal. Iulij Romæ.

PAVLVS *Papa IV. quartò creauit vnum Cardinalem, is fuit.*

19 F. Guilielmus Pæytous Anglus, Ordinis Minorum de Obſeruantia, Archiepiſcopus Sariſburienſis, Presbyter Card. & in Regno Angliæ de latere Legatus declaratus, abſens.

XIX.

XIX.



Ne bis eadem repetere videremur (benigne Lector) non nihil degenerantes ab Onuphrij via; depositiones, atq; assumptiones titulorum à S. R. E. Cardinalibus, sub vnoquoq; Pontificatu factas (quia in Elogijs eorundem eas posuimus) noluimus iterum recensere.

Pavlvs Papa IIII. quatuor Ordinationibus, mensibus Martio, Iunio, Iulio, & Decembre factis; nouem, & decem Cardinales creauit, videlicet Presbyteros quindecim, & Diaconos nouem.

Alexander Farnesius Diaconus Cardinalis S. Laurentij in Damaso, S. R. E. Vicecancellarius sub Paulo Papa Quarto.

Cardinales numero vigintiduo mortui, octuodecim scilicet sub Paulo Papa IV. quatuor verò Sede vacante.

1 Hieronymus Verallus.
2 Ioan. Poggius.
3 Michaèl Syluius.
4 Ludouicus Borbonius.
5 Iacobus Denebault.
6 Fabius Mignanellus.
7 Fr. Io. de Toleto.
8 Io. Siliceus.
9 Fr. Petrus Bertanus.
10 Ioan. Groperius.
11 Hieronymus Auria.
12 Fr. Guilielmus Peytous.
13 Durantes de Durantibus.
14 Pet. Aragonius Taliauia.
15 Reginaldus Polus.
16 Robertus Nobilis.
17 Virgilius Rosarius.
18 Antonius Triuultius.

Pauli IV. obitus. Cardin. quatuor mortui vacante Sede.

19 Io. Bapt. de Consiliaris.
20 Hieronym. Capoferreus.
21 Hieronymus Dandinus.
22 Antonius de Medon.

I.



IERONYMVS Verallus natione Italus, patria Romanus, filius Ioannis Baptistæ, & Iuliæ sororis Dominici Iacobatij Cardinalis: vbi excessit ex ephebis literis, operam dedit præcipuè Iuris vtriusque prudentiæ, in qua grandes fecit progressus, ob cuius singularem in ea excellentiam; cum antea vtriusq; Signaturæ Referēdarius esset; Episcopus Fori Truentinorum (Bertinorum vocant) primò; mox Casertanus, sacreq; Romanæ Rotæ locum tenens; post perpetuus Administrator Archiepiscopat. Rossanensis electus est. Hic Venetijs Sedis Apostolicæ Nunciū agens, anno 1536. sub Paulo Papa III. cum ad eius pedes, tanquam Legati Apostolici procidentes, septem primi socij Ignatij

tij Loiolę Societatis Iesu fundatoris voluntariam paupertatem professi fuisset, eosdem sacris initiauit, atq; eundem Ignatium post, ac socios à multis criminationib. contra ipsos ea in Vrbe falsò (iniquorũ opera in vulgus sparsis, necnõ etiam ad eundem legatum delatis) veritate cõperta, honorificè absoluit. Hinc Romam reuersus; iterum eiusdem Sedis ab eodem Paulo in Germaniam ad Ferdinandũ Imperatorẽ successor Io. Moroni Episcopi Mutinẽ. posteà Card. & paulo post ad Carolum V. Imperatorem, religionis ergo internuncius missus; tantarum virtutum, ac susceptorum laborum præmium ab eodem Paulo in decimaquarta Cardinaliũ promotione, anno salutis 1549 Pontificatus 15. 6. Idus Aprilis, Romæ habita, Cardinalatũ; creatus Presbyter tt. S. Martini in Montibus, consequitur. Iulio III. Pontifice Legatus mittitur ad Henricum Gallorum Regem; vt finem bello Parmensi, ac Mirandulano apud eum, & principiũ paci imponeret, habuitq; in hac legatione absignandis libellis præpositum Io. Baptistam Castaneam Nepotem suum, virum sanè magnæ expectationis, qui Archiepiscopus Rossanen. ipso Card. post renunciante, à Gregorio XIII. Cardinalis creatus; in Pontificatu Sixto V. Vrbanus nomine VII. successit. Peracta legatione Romam reuertitur Hieronymus, ibiq; è Presbytero S. Martini in Montibus, factus Presbyter tt. S. Marcelli, signaturæq; præfectus, è terrestri ad Cœlestem patriã migrauit. Obijt anno Domini 1555. Pontificatus primo. 5. Idus Octob. sepeliturq; ibi in S. Augustini apud Eremitanos.

II.

IOannes Poggius natione Italus, patria Bononiensis, patrem habuit Christophorum à secretis Ioannis secundi Bentiuoli Reipubl. Bonon. Principis; matrem verò Franciscam familia, & patria Mantuanam, natusq; est septimo Kal. Februarij an. MCCCCLXXXXIII. Is recta vitæ, morumq; ratione instituta, adulta iam ætate, & mortua vxore, ex qua filios susceperat, Romam; quia, vel iam tum ingentia sibi animus polli-

cebatur, se confert, vbi Protonotarius,& Thesaurarius Aposto licus electus, à Paulo III. in Hispaniam,quò annos natus sexde cim antea iuerat, ad Carolum V. Imperatorem Nuncius, spoliorumq; Regni Collector mandatur,quod Nuncij munus, tantum pro dignitate sustinuit; vt in magna, & quasi incredibili,& apud Pót.& apud Imp.teneret existimatione.Missis igitur Roma à Pontifice literis; vt summa, qua pollebat prudentia, Frãcisco Borgiæ Gandiensium Duci, postea Societatis Iesu Præpo sito persuaderet; vt Cardinalitiam dignitatem, quam ei; tum ob singulares animi dotes, ac merita; tum ob supplices Caroli Quinti preces offerebat, qui Carolus indignum ratus, tam dignas Francisci virtutes in tenebris iacere, de Cardinalitia dignitate, continuis Pontificem,per Oratorem suũ precibus exorarat. Acceptis Ioannes Pontificijs literis, & perlectis, nulla mora Borgiam adire, de Pontificis voluntate commonefacere, & grauiter ad accipiendam Cardinalatus dignitatem persuadere, hortari, obsecrare; cui Franciscus talibus respondere. Gratias se immortales Pontifici summo, Imperatori Augusto, Ioanni agere, atq; habere; se iampridem sæculo renunciasse, impares humeros tãtæ prouinciæ demonstrare. tanti benefic j, se apud Deum nunquã immemorem fore. Ex Hispania in Germaniam anno 1544. missus religionis causa,quò etiã Ioan. Moronus Sedis Apostolicæ Nũcius,eadẽ de causa fuerat profectus; post multos hinc inde pro fide Orthodoxa exantlatos labores, à Iulio III. Pauli successore, qui eum Episcopum Tropiensem, mox Anconitanum elegerat, quæ sacerdotia postea Ioan.Matthæo, & Vincentio Luchis ex sorore Nepotibus resignauit, in tertia 14. Cardinalium creatione, habita Romæ, anno Domini 1551. Pont. II. 13. Kal. Ianuarij Presb. Card. tt. S. Anastasiæ creatus est in gratiam eiusdem Caroli. Cum ergo ex Hispania (absens.n.creatus fuerat Cardinalis) in Italiam redijsset; Bononiæ amplum, superbumq; palatium extruxit; atq; vt summam erga Deum, religionem, ac pietatem præseferret, in Templo D. Iacobi, Ordinis Fratrum S. Augustini Eremit. D. Ioanni Bap-

ni Baptistæ sacrum sacellum, multis exornatum Reliquijs erigendum, curauit. Româ postea cum venisset, à Pontifice perbenignè excipitur, atque in arduis summi sacerdotij negotijs, consiliorum adiutor accipitur, ibiq; pulcherrimum palatium construit; Vineta etiam extra portam, quæ de Populo dicitur, in delitijs habuit, illis Iulij III. contigua, visu pulcherrima, & palatij, quod in illis erat, mole, ac magnitudine, & rerum prætiosissimarum varietate celeberrima; in quo palatio præter cætera, extat Occasio excellentissimi pictoris manu depicta, quā Ioannes, præter stemmata, pro insigni gestabat. Quæ Vineta Pōtifici (quod illi pplacere sciret) pro sua liberalitate dono dedit. Cæterū cum iam munia vitæ compleuisset; Bononiæ, quo se contulerat, visendæ patriæ causa, obijt anno Domini 1556. Pontificatus I. pridie Idus Februarij, sepeliturq; in eodem sacello.

III.

MICHAEL Syluius, natione Lusitanus, nobilissima ex Portalegri, videlicet Comitibus prole satus, cum adoleuisset; vt ingenio à natura dotatus fuerat acutissimo; præ cæteris disciplinis, Poëseos, ac literarum, quæ ab humanitate nomē acceperunt studio, in quo triumphabat, Senis in Hetruria se commisit, in quo tantum profecit; vt ab Emanuele Lusitanorum Rege, in cuius regia diu versatus, rerum gerendarum experientia insignis euaserat; fuerit postea ad Summum Pontificem Leonem X. missus Orator, quod munus tanta obijt maiestate; vt, non modo per eum quicquid Emanuel Rex petebat, (multa quippe, eaq; summa auebat) impetrauerit; verum etiam tam facundam viri eloquentiam, eloquentem facundiam, singularem in rebus tractandis spirantem prudentiam, non potuerit Summus Pontifex non præconijs exornare, non obseruare, non admirari. Mortuo Emanuele; cum idem Oratoris Regij officium apud Hadrianū VI. & Clementem VII. diu exercuisset, in Lusitaniam reuertitur, qui à Ioanne III. Emanuelis filio

non minoribus; quam à Patre, honoribus excipitur; quinimo Episcopali Visensis Ecclesiæ dignitate, ac scribæ Puritatis munere(sic eum appellãt) donatur, quod non nisi nobilissimis Regni viris datur. Romam postea reuersus, ob singularia virtutum præconia; ecce à Paulo III. anno 1541. 4. Nonas Decẽbris Presbyt. Basilicæ Sanctorum duodecim Apostolorũ; paulo post vero tt. S. Praxedis Cardinalis; mox Marchiæ Anconitanæ Legatus de latere creatus; paulo post subijt vices Gasparis Cardinalis Contareni, qui cum in Hispaniam ad Carolum V. Cæsarem Legatus mitteretur, ad ineundam pacem cum Francisco Galliarum Rege, ad quem eadem de causa Iacobus Cardinalis Sadoletus legabatur, Bononiæ mortẽ cum vita cõmutarat. Acta legatione, vbi diuertit Romam, Visensem Ecclesiam Alexandro Farnesio Cardinali administrandam tradidit. E viuis eripitur is Romæ Nonis Iunij, an. Domini 1556. Pont. II. eiusq; corpus sepelitur in Ecclesia titulari S. Mariæ Transtiberim, quam loco S. Priscæ prius optauerat. Prçter cætera egregij huius Viri extant Romæ carmina in Capitolio S. P. Q. R. iussu marmoreis tabulis insculpta, in quibus continentur Consules, & cæteri magistratus, quæ quia posteritati consecrantur, hic quoq; censuimus apponenda.

Marmora præclaros testantia fronte triumphos,
Atq; Magistratus, inclyta Roma, tuos
In medio mansere foro, dum Roma manebas.
Postq; Deos Orbi iura secunda dabas.
Ast, vbi te indignis fregit fortuna ruinis,
Obruerat titulos alta ruina tuos.
Tamq; diù in tenebris tantis latuisse videntur
His veluti fato debita temporibus.
Quæ modo Alexander patria te dignus, Auoq;
Paulo inuenta tibi marmora restituit.
Tu Capitolinũ meliora in sede reponis.
Et legeris magni munere Farnesij.

IV. Lv-

IV.

LVDOVICVS Borbonius Gallobelgicus, è ſtirpe Regia, Frãciſci Vendoſmi Comitis, & Mariæ Lucemburgenſis, terræ S. Pauli Dominæ filius, obeunte Philippo Cardinale Lucemburgenſi, Epiſcopatum Cœnomanenſem obtinuit, quo munere, ac dignitate, cum piè, ac religiosè diù perfunctus, multa in eius adminiſtratione nobilibus; nec non multa populo reliquiſſet, quæ; cum probitatem; tum etiam pietatem affatim teſtarentur ſuam; Laudunenſis, perpetuusq; Lucionenſis Epiſcopatus factus eſt adminiſtrator. Leone Decimo Pontifice in quinta 31. Cardinalium ordinatione, anno Domini 1517. Pontific. V. Kalẽdis Iunij creatus eſt Cardinalis tt. Sancti Sylueſtri in campo Martio, quæ Eccleſia tunc temporis huiuſcemodi Cardinalatus titulo aucta fuit. Mortuo Antonio Cardinale de Prato Archiepiſcopo Senonenſe, Eccleſiã illam Metropolitanam obtinuit, fuitq; primus Par Galliæ. Inſuper, cum eſſet S. Dionyſij Pariſienſis Abbas, eo præſente tanquam Prorege anno 1556. cum bellum contra Hiſpanos Henricus II. Gallorum Rex ſuſcepiſſet; è proprio loco extracta corpora Sãctorum Dionyſij, & ſociorum, ſuper Altare maius ad populum collocantur, quod de more factum eſt, quo populi preces, vigente bello, meritis illorum Sanctorũ apud Deum forent gratiores. His actis, Ludouicus ex S. Sylueſtri ad titulum S. Sabinæ translatus, poſt mortem Matthæi Langi Cardinalis Curcenſis S. R. E. Archipresbyt. fuit, & ex Presbytero factus Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, obijt in Gallijs anno Domini 1557. Pontificat. Pauli IV. ſecũdo, die Veneris 6. Idus Martij, ibiq; ſepelitur.

V.

IACOBVS Denebault Gallus Lugdunenſis, cum multò temporis ſpatio in ſacrarum literarum ſtudio ętatis florem impendiſſet, euaſiſſetq; humanarum, ac diuinarum diſciplinarum cognitione, necnõ vitæ, morumq; probitate illuſtris; Ioanni de Veneur, viro virtutum omnium vndequaq; exornato,

Clementis VII. Cardinali dignissimo affini suo, in Episc opatu Lexouiēsi, mirificò cum omnium applausu anno 1543. Paulo Papa III. concedente, deferenteq; successit; in qua Episcopatus administratione, cum præclarè se gessisset, & in rebus gregis sui gerendis humanitatem, cum seueritate miscuisset; ob eximias illius animi dotes, & singularem in rebus gerēdis prudentiam; in decima 13. Cardinalium ordinatione, anno Domini 1544. Pontif. XI. 14. Kal. Ianuarij ab eodem Paulo III. Presbyter Cardinalis tt. S. Susannæ creatus est. Cæterum, quæ in hac dignitate postea egerit; cum mihi non satis comperta sint, lectori aperire non valeo; hoc tantum de eodem dixero, audax facinus, Iacobi nomē in aula Romana diù conseruaturū, quod pensionem Albricensem Rodulfo Pio Cardinali Carpēsi debitam, prætendens nullam, ex quo à prædecessore sine consensu Regis, stantibus concordatis, reseruata fuerat, soluere recusabat, de qua re multum in tribunali Rotæ actum est, vt decisionibus eiusdem parte tertia libro 2. patet. Qui obijt Rothomagi in Gallijs 8. Idus Iunij die Veneris anno 1557. Pontificatus III. ibiq; sepelitur.

VI.

FABIUS Mignanellus, natione Tuscus, patria Senensis ortus est anno Domini Nonagesimo sexto supra millesimum quadringentesimum 7. Kal. Maij. Is data, non paucis annis legum studio opera; vxorem in matrimonium duxit, atq; ex ea legitimos liberos suscepit, inter quos vnus nomine Io. Paulus; cum in pręclaro illo, ac nunquam satis commendato nauali bello Pio V. Pontifice cōmuniter à Principib. Christianis contra Turcas suscepto, naualibus copijs præesset, fortiter occubuit anno 1569. cuius egregiæ virtutis, deuotiq; erga fidem catholicā animi æternū memoriæ monumentū in Aede Diuæ Mariæ Nouæ Romæ conseruatur. Fabius cum vxor obijsset, Romam venit, vbi cum, & ob singularem ciuilium rerum cognitionem, & ob præstantem prudentiam, consiliumq; apud Sum-

Summos Pontifices in ſumma haberetur exiſtimatione; legatur primum ad Venetam Rempub. tum ad Carolum V. Cæſarem; hinc porrò in agri Piceni adminiſtratione præficitur; poſtremo anno 1541. Bononienſis noſtræ Ciuitatis Prolegationē inijt, legato Bonifacio Card. Ferrerio, in qua Ciuitate honeſtiſſimè excepit Paulum III. Pontificem, qui Lucæ Carolū allocutus; inde Bononiam acceſſerat, qua Prolegatione peracta; ab eodem Pontifice Epiſcopus Lucerinus electus; ad ſacroſanctāq; Tridentinā Synodum miſſus, ſententias; non minus religioſo quam docto Patre dignas dixit. Paucis poſt annis, ex Lucerino, factus Epiſcopus Groſſetanus; à Iulio III. anno Domini 1551. Pont.II. 13. Kal. Ianuarij, Presbyt.Card. tt.S.Syluestri creatur, & Signaturæ iuſtitiæ præficitur, qui anno ſequenti à Pontifice ad pacandum inter Senenſes ortum diſſidiū mandatur. Paulo IV. Pontifice, cum ob inuaſionem Vrbis, & caſtrorum S. R. E. ſubiectorum à militibus Proregis Neapolis factam, atq; ob populationem multorum prædiorum hinc inde diſcordiæ eſſent exortæ; ad deciſionem earundem, ac terminū, Fabius, vna cum Cardinale Reumano deputatur; amplius ab eodem Pontifice Annalibus, & quinquennijs S. R. E. debitis cum Io. Michaële Cardinale Sarraceno præficitur. Multis igitur ob præſtantem diſciplinarum cognitionem, conſilij, & prudentiæ maturitatem, & dignitatibus, ac diuitijs comparatis, nec non longis, ac crebris pro S. R. E. legationibus, atque itineribus actis, magis quam ætate feſſus; in Domino quieuit Presbyt. tt. Pamachij, quem, loco S.Sylueſtri prius optauerat. Obijt Romę anno Domini 1557. Pontif. III. 4. Idus Auguſti. ætatis 61. ſepeliturq; in D. Mariæ de Pace.

VII.

F. IOANNES Aluarez natione Hiſpanus ex nobiliſſima Toletana familia, quæ(ſecundum graues authores) originē traxit è gente Paleologa olim Conſtantinopolis, ac totius Greciæ Imperium obtinente; Federici Aluarez Albæ Du-

cis, & Elisabethæ Pimētelæ mulieris religiosissimæ, ac sanguinis nobilitate inter Hispanos primariæ filius fuit, ac frater Magni Petri, Villęfrāchę Marchionis, ac Proregis Neapolitani, natusq; est an. 1488. 5. Idus Iulij. Is cū adhuc adolesceret Ord. Prędicatorum nomen dedit, vbi in primis vitę, morumq; probitate, & literis politioribus, Philosophię, sacræq; Theologiæ eam nauauit operam; vt non modo apud omnes ordinis eiusdē fratres singularis eius doctrinæ, ac pietatis: sed etiam ad Carolū Quintum fama peruaserit, qui huic à Pontifice; primò Cordubensem Episcopatum; Burgensem post, ob præstātes animi dotes impetrauit. Notis Pontifex Paulus III. Fr. Ioannis excellentibus dotibus anno 1538. Pōtificatus V. 13. Kal. Ianuarij, hunc ad Cardinalitiam creatum Presbyt. tt. S. Sixti; post Sancti Clementis promouit dignitatē. Mortuo Cardinale de Aualos S. Iacobi Compostellani Archiepiscopo, Archiepiscopatū Compostellanum administrandum suscepit; vnde Cardinalis S. Iacobi; Cum Burgos antea diceretur, nomen est consecutus. Hic instituto sanctissimæ Inquisitionis tribunale, ob emergentes hæresis pestes, vt supra, cum de Paulo Papa IV. inter sapiētissimos illos Iudices è purpuratorū Patrum numero ad id muneris delectos; si vnum Cardinalem Carafam, quo cum huius instituti, ipse etiam author fuerat, excipias, primas tenuit. Idē Iulio III. Pontifice ex Presbytero tt. S. Clementis, factus Presbyter tt. S. Pancratij; tandem ex Presbytero Episcopus Cardinalis Albanus creatus, Paulo IV. sedente, ex Albanense, ad Ecclesiam Tusculanam translatus; obijt Romæ anno Domini 1557. Pont. III. ætatis 69. 17. Kal. Octobris, die Iouis, ex iliorum doloribus. Corpus in S. Mariæ super Mineruam depositum; postea translatum est in Hispaniam in sepulcro maiorū sepeliendum. An autem in Ecclesia S. Mariæ prope oppidū Albæ à Garsia ipsius Cardinalis auo incœpta; postea à Federico patre, vna cum monasterio absoluta; an in Ecclesia S. Francisci Villæfranchæ Asturicensis Diœcesis à Petro illius loci Marchione Cardinalis vterino fratre elegāter exornata, cuius Ius-

patro-

patronatus, penes dictam Illustrissimam gentem est; vel alibi; nam & Orepessæ in maiori S. Mariæ sacello, & Toleti in Sancti Michaëlis Regij,& in D. Iusti Cœnobio apud Hieronymianos (quos vocant) propè Ciuitatem Placentinam, & alibi; & iuspatronatus, & sibi constructa sepulchra, hæc Illustrissima familia habet; adhuc apud me incertum.

VIII.

IOANNES de Guiso, alias Siliceus cognominatus, natione Hispanus, ex oppido Villagarsia de Lexena Basadocensis Diœcesis, Martini filius, humili loco, obscurisq́; ortus est parentibus. Hic dum in Salmanticensi studio rudioribus literis operam daret, quod sibi natura non fuerat impertita; studio, paruo temporis spatio; sibi, maxima cum omnium admiratione comparauit. Admissus.n.propter singularem doctrinam in illo ipso studio; ad moralis philosophiæ lectionẽ; non tam stipendiaria pecunia; quam ingenti honore fuit cohonestatus. Accitus postea à Carolo V.Imperatore in præceptorem filij sui Philippi, qui nuper senio confectus est; postquam diù in Hispania regnauerit; quasi alter Aristotelis Alexandri Magni Philippi filij Macedonum Regis Didascalus, quoniam tendit, (vt ait quidam) tendit in ardua virtus; Episcopus primum Carthaginensis electus; mox ob mortem Taueræ Cardinalis Archiepiscopus Toletanus, & Hispaniarũ Primas declaratus est. & quoniam summa dignitas, summa etiam facinora postulabat, prudentem in rebus fidei introducendis seueritatem ostendit periculosis illis temporibus; præsertim erga quandam religionẽ, in illis partibus primas radices agere tentantẽ, quod quia breuitati nostræ non confert; lectori in multis, qui de hoc agunt, videndum committimus. Cum verò Ecclesiam illam per multum tempus; tamq̃ optimus, ac peruigil Pastor, summa prudẽtia gubernasset, acerrimusq́; ecclesiasticæ iurisdictionis defensor, multa prædia ab illa Ecclesia abalienata, eidem restituenda curasset, à Paulo IV. anno Domini 1555. Pont. I. 13. Kal. Ianua-

Ianuarij Cardinalis Presbyter tt. SS. Nerei, & Archilei creatur, qui Decretis in Ecclesia Toletana edixit; ne vlla ratione Hebræorum, aut Maurorum descendētes officio, aut beneficio afficerentur. Amplum ibidem sacrarum virginum Monasterium erexit, necnon Collegium, infantium dictum, ædificauit, magnificisq; redditibus dotauit; & vt erat in B. Virginem maximè pius, eidem in Metropolitana sacellum, magnis sumptib. honorificum erexit, alijsq; actionibus futurorum sæculorũ memoria dignis, Ecclesiam Toletanam insigniuit. Multis ergo rebus scitu dignissimis actis; conscripto de nomine Iesu libro, quod pro insigni gestabat, cũ hac eleganti inscriptione lingua Hispana: eslauon me es toda cosa, quod latinè, omnia ex me ignem eijciunt, significat, necnon Dominica, & Angelica Salutatione mirificis locupletata hieroglyficis, atq; (si in nomen non cadit æquiuocatio) nonnullis, ijsq; pulcherrimis de Arithmetica disciplina libellis relectis; Toleti ex dolore calculi moritur anno Domini 1557. pridie Kal. Iunias, ibiq; in Ecclesia Monasterij Virginum corpus sepulturæ demandatum est. In maiori autem Ecclesia Toletana super sacrarij portã, inter alia nonnullorum dictæ Ecclesiæ præsulum elogia, extat & Silicei Epitaphium, quod hic apponendum duxi.

Ioannes Siliceus Sextus Cardinalis, Philippi II. Magister. Pater pauperum, & in Ecclesia Toletana Sanctarum Legum Restaurator. Obijt 31. Maij 1557.

IX.

F. PETRVS Bertanus, natione Italus, patria Mutinensis, ortus est anno Domini 1501. pridie Non. Nouemb. Hic cum adolesceret, vbi diuini numinis faces illuxerunt, Dominicanis Patribus se adscripsit, qui breui quidem: sed mirifico quodam modo artiũ, sacręq; Theologiæ Magister euadens, extitit ignitus Dominici verbi prædicator. Electus postea Fanensis Episcopus, ad sacrum Concilium Tridentinum à Paulo III. mox ad Carolum V. Imperatorem Nuncius mittitur. à Iu-

lio III. qui Paulo ſucceſſerat anno 1551. Pontificatus II. 13. Kal.Ianuarij Presbyter Card. tt. SS. Petri, & Marcellini creatur.ſede vacãte, ob mortem Marcelli II.cum Cardinales, conclaue ingreſſi,de Pontificis noui electione deliberarent; parum defuit, quin hunc communi omnium conſenſu Marcelli ſucceſſorem prædicarent.Obijt anno Domini 1558.Pontificatus III. ætatis 57. 8. Idus Martij Romæ, ſepultusq; eſt in Eccleſia S. Sabinæ; atq; non tam elogio; quam celeberrimo tumulo ad omnem æternitatem donatus, quod elogium,ne huius honori, aliquid detrahere velle videamur, curauimus apponendum.

D. O. M.

Petri Bertani Mutinẽſis Cardinalis corpus hic ſitum eſt,qui cum adoleſcens in D. Dominici familiam nomen dediſſet; doctrinæ, & virtutis ergò factus eſt Epiſcopus Fanenſis, tum à Paulo III. Nuncius miſſus eſt ad Carolum V.duobus memoriæ noſtræ prudentiſſimis Principibus incredibiliter ſatisfecit. A Iulio III. in Cardinalium numerum adlectus, ſub Paulo IIII.mortalitatem, cum immmortalitate commutauit. Benè precare quiſquis es,ita tibi quoq; alij benè precentur.Vixit annos 56.Mẽſes 4.dies 4. Obijt anno ſalutis 1558. Guronus frater frauri vita cariori poſuit.

X.

IOANNES Groperius, natione Germanus,fuit inſignis Pontificij, Cæſareiq; Iuris; nec non egregius ſacræ Theologiæ Doctor, Præpoſitus Bonæ, & Colonienſis Eccleſiæ Archidiaconus, qui synodi Prouincialis per Adulphum Colonien. Archiepiſcopũ celebratę, deſcriptas leges in quatuor, & decẽ libros, admirabili ingenij acumine, præclara prudentiæ, eloquentiæ (& quod caput eſt) Chriſtianæ pietatis laude, redegit. Hic idem coacto Ratiſponæ Conuentu, religionis ergò coram Carolo V. Auguſto, & æternæ memoriæ digno virò, Gaſpare Cardinale Contareno Pauli III.Pont.legato; à Catholicis inter

ter cœteros electus est; vt viua voce, ac scriptis protestantium hæreticorum dogmata, magna vi argumentorum sterneret, qui,cum se acerrimum in illis insectandis,atq; exagitandis fidei catholicæ propugnatorem demonstrasset, & pro defendenda, apud Colonien. Diœcesim religione postea; ingentes suscepisset,prouincias:quinimo vitam ipsam mortis periculo exposuisset, meruit anno Domini 1555. Pont. I. 13. Cal.Ianuarij, ob deuotum erga S. R. E. animum, & conscripta volumina, sacra purpura donari; quam dignitatem scriptis ad Pontificem literis,non quidem propter obedientiam recusabat: sed propter humilem animi demissionem renuere conabatur. Quid dicam de singulari eius continentia?qui cum aliquandò(ò facinus ęterna seculorum memoria dignissimum, ò continentiæ magnitudo.Quid non efficis,vbi semel candida pectora occupasti?)qui, inquam, cum aliquandò Domum reuersus vidisset Mulierculam lectum suum sternentem; tantum continentiæ suæ signum cunctis reliquit, vt nō modò Mulierculam illam è cubiculo durioribus verbis, ac minis propulsarit: sed lectum ipsum tactu mulieris, ob magnam continentiæ reuerentiam, quasi pollutum ratus, ipsemet è fenestris, videntibus; atq; admirantibus omnibus præcipitarit. Cum ergo tam egregium facinus, ac æternum continentiæ monumentũ posteris reliquisset, obijt Coloniæ anno Domini 1558. Pont. III. 7.Idus Martij, sepultus in Metropolitana. Romæ anno sequenti vita functum, & ad pedes optimi patris Hadriani VI. Pontificis in Ecclesia S. Mariæ de Anima nationis Theutonicæ sepulturæ demandatum, quidã affirmant; rectè, an perperam non disputo, hoc certè affirmare possum, in illa Ecclesia huius præclarum elogium conseruari, quod nolumus silentio præterire.

D. O. M.

Ioanni Groperio religionis, fideiq; Catholicæ propugnatori acerrimo, post incredibiles summis cum periculis pro Ecclesiæ, ac Religionis

gionis conseruatione, magno semper, ac inuicto animo exantlatos, multaq; præclara literarum monumenta ædita, ob perpetuam fidei, pietatisq; constantiam, incomparabilem doctrinam, summasq; virtutes absenti, nec quicquam minus cogitanti in sacrum S. R. E. Cardinalium Collegium cooptato præmatura adhuc morte, & quando sui opera imprimis desiderabatur ex humanis excepto, fratri pijssimo, atq; optime merito Godifredus, ac Gaspar Groperij fratres alumno mæstissime posuere vixit annos LVII. dies XVIII. obijt VII. Idus Martij MDLVIII.

XI.

HIERONYMVS Auria, natione Italus, patria Genuensis, sanguine nobilissimus, Cremolini Comes, ac Dominus, vxorem adolescens duxit, qui in Patriæ Reipubl. administratione, cum multa ingenij, consilij, maturæq; prudentiæ signa dedisset; vnus ex duodecim viris dilectus est, qui patrias leges promulgaret, & rerum omnium status, non nihilum labentes reformaret. Is vita functa vxore, in gratiam Andreæ Auriæ Principis à Clemente VII. anno Domini 1529. Pontificatus VI. 13. Kal. Octobris solus creatus est Cardinalis Diaconus S. Thomæ in Parione. Assistens fuit Carolo Quinto Augusto, vna cum Hyppolito Card. Mediceo Bononiæ ferrei diadematis (quæ auream præcesſit) coronationi; & post ex Diacono S. Thomæ, ad Diaconatum S. Mariæ in porticu translatus; primas inter Cardinales Diaconos obtinuit. A Paulo postea Papa IV. Episcopus Tarraconensis electus, Ecclesiam illã suo nomine adeo cohonestauit; vt dubiũ sit, an plus illi dignitas illa attulerit ornamẽti, an ipse dignitati. Obijt Is in patria anno Domini 1558. Pont. III. Mense Martij, sepeliturq; in maiorum suorum monumento extra portam S. Thomæ in Ecclesia S. Mariæ, quæ de Cella dicitur, cui Ecclesiæ; quo fratres Sãcti Augustini Eremit. qui eam incolunt pro ipsius anima quotannis parentarent, nonnulla piè legauit.

XII.

XII.

F. Gvilielmvs Peytous, natione Anglus, Ordinis Minorũ Obſeruantium, quem alij Petrum vocant; obſcuriorib. ortus parentibus: ſed virtute, ac pietate illuſtris, cum multos in religione gradus honoris obtinuiſſet, & in Italia nõnullos annos cum Reginaldo Card. Polo (de quo paulo infra) fuiſſet commoratus, viſus eſt Paulo III. Pont. ob egregia virtutum merita dignus, qui Epiſcopus Sarisburienſis renunciaretur. A Paulo poſtea Quarto anno Domini 1557. Pontificatus III. 18. Kal. Iunij Presbyter Cardin. S. R. E. & Legatus de latere in Regnum Angliæ, loco Cardinalis Poli ad id delegati; poſtea reuocati, quis indignante Maria Regina declaratus; Cardinalatus,& Legationis honores oblatos, quoniã erat annis grauis, ætate iam feſſus, & in vitæ decurſu morte præuentus, non potuit obtinere. Obijt in Anglia anno Domini 1558. Menſe Aprili, ibiq; ſepulchro mandatur.

XIII.

Dvrantes de Durantibus, natione Italus, patria Brixienſis, natus eſt anno Domini 1487. 3. Nonas Octobris, qui cum ex ſtudio humaniorum literarum Iuriſperitię animum appuliſſet, factus eſt ſecreti cubiculi Pauli III aſsiſtens, mox ab eodem Epiſcopus Algarenſis electus; ac paulò poſt ab eodem, à quo ſummopere diligebatur in Decima Cardinalium promotione, anno ſalutis 1544. Põtific. XI 14. Kal. Ianuarij Presbiter Card. Baſilicæ SS. 12. Apoſtolorum creatus; atq; anno ſequenti Vmbriæ, Cameriniq; de latere Legatus deſignatus eſt; in qua legatione obeunda, ac negotijs eorum populorum pertractandis, tantam adhibuit moderationẽ; vt non modo, quod ſcriptis, hoc.ſ.axiomate; *moderata durãt*: ſed etiã re ipſa confirmarit, ex quo magnam ſibi apud illos populos beneuolentiam conciliauit. Huic eidem Eccleſiam Brixienſem, ob mortem Andreæ Cardinalis Cornelij eiuſdem Ciuitatis electi, Iulius Papa III. commiſit. Neque quenquam perturbarint;

rint Petri Pauli Vergerij Iunioris iurgia in Durantem,quippè tantum abeſt, vt is de huius laudibus detraxerit, vt potius auxerit, præterquam quod non ſolum falſa dixit: verum etiam, quod peius eſt à vera religione apoſtatauit. Obijt Durãtes Brixiæ anno ſal. 1558. Idibus Maijs annos natus LXXI. ſed non obierunt præclara eius facinora, quæ perpetuo durabunt. ſepelitur ante gradus Aræ in Cathedrali.

XIV.

PETRVS Taliauia de ſanguine Aragonio Siculus, Panormitanus, illuſtriſsimis editus parentibus (Simeonis Cardinalis Terrænouæ, noſtrę ætatis, patruus) Archiepiſcopus Panormitanus fuit; in cuius adminiſtratione duæ res, quæ in vnum eundemq; perarro, ac vix vnquam conuenire ſolent, præſtans ingenium, ac ſumma animi moderatio; hæ ambæ ita in Petro enituerunt, vt de illo exornando certaſſe quodãmodò videantur. Accedit præterea regia in omnibus rebus maieſtas, ac magnificentia, quæ vigentes virtutes mirificè decorarent. Neq; verò indefeſſa virtus, aut labore vnquam fracta eſt, aut negociorum multitudine ſuccubuit, aut poſtremò tædio, ac ſatietate relanguit. Cæterum in celeberrimo, ac ſacro Chriſtiani Orbis theatro Cõcilij Tridentini ſeſſionibus 5. & 8. ſub Paulo III. celebratis interfuit. Quem poſtea eximia eius virtute perſpecta, Iulius Papa III. anno Domini 1553. Pont. IV. 11. Kal. Ianuarij, in quarta quatuor Cardinalium creatione Romæ habita, Presbyterũ Card. tt. S. Calixti creauit. Obijt Panormi. anno ſalutis 1558. Pontificatus IV. die Veneris, Nonis Auguſti, ibiq; in Metropolitana ſepelitur.

XV.

REGINALDVS Polus Britannus, Ricardi Poli, Henrici VIII. Angliæ Regis Conſobrini fratris, necnon Margaritæ Georgij Clarenſienſis Ducis, & Sarisburienſis Dominæ, à Regio item ſanguine genus trahentis filius; natus eſt anno Domini 1500. Menſe Martij. Is latinæ, grçcæ, hebraicęq; linguæ

linguę comparata cognitione in ſtudio Oxonienſi, in Dialecti-cam, ac Philoſophiam incubuit. Decanus Oxonienſis factus, in Italiam ſe contulit, vbi Patauij per quinquennium literis, ac pijs moribus animum expoliuit. Hinc Romam profectus, Roma ad patriam reuertitur: ſed ob repudium Catherinæ legitimę vxoris, quod nefariè Henricus VIII. Rex machinabatur, in Galliā conceſſit. Hinc rurſus in Angliā reuerſus, multas pecunias, plures honores, plurimas dignitates, inter quas Epiſcopatum Vintonienſem, & Archiepiſcopatum Eboracenſem, ex quorum vno quoq; quotannis triginta millia aureorum colligebantur, ſi repudio ſuffragaretur à Rege oblatas, conſtanti, infractoq; animo repudiauit. Rurſus porrò in Italiam veniēs, Patauij; paulò poſt Venetijs theologici ſtudij cauſa commoratur, vbi; non modo illius ſcientiæ cognitionē aſſequitur: verum etiam cum Bembo, Contareno, Io. Petro Carafa, alijsq; viris celeberrimis pyladeā cōtraxit amicitiā, ibiq; in reſpōſione Epiſtolæ Regis Angli, qua cū iam à S. Matris Eccleſiæ vnitate diſceſsiſſet, & ſe Eccleſiæ Anglicanæ ſupremū caput declaraſſet; de hoc recenti titulo ſententiam ab eo requirebat, pręclaros quatuor illos pro eccleſiaſtica vnitate libros, qui typis ſunt impreſsi, conſcripſit, eosq; ad Regem ipſum perferendos vni ex ſuis familiaribus dedit. Accitus Venetijs Romam à Paulo III. præficitur rebus Eccleſię redintegrandis, atq; ab eodem anno Domini 1536. Pont. III. 11. Kal Ianuarij, inuitus, & renitens, creatus eſt Cardinalis Diaconus SS. Nerei, & Archilei, & poſt S. Mariæ in Coſmedin, ſacra exornatus purpura. In Galliamq;, & in Belgas non multò poſt; vt qui adhuc in Anglia Catholici eſſent, eos in Eccleſiæ fide retineret, Legatus mittitur: ſed ante auditam Henrici fratris ſui minoris, & matris mortē, cui à ſceleſtiſsimo illo Anglorū portento; quod Catholici eſſent addicti ſunt; is animo (vt talem virum decebat) pertulit inuicto. Lutetijs ergò, quo petiuerat, Romam ſe conuertens, rurſus ad Belgas, ac paulò poſt ad Imperatorem, atq; Gallorum Regem legatur. Cæterum cum Romam reuertiſſet;

tiſſet; vt in otio honeſto aliquando acquieſcat; Pontifex, non moleſtam, neq; longè ab Vrbe Viterbienſem ei defert legationem. Non multò poſt anno Domini 1542. Pariſio, & Morono Cardinalibus, tertius adiungitur, qui in Synodo Tridentina Legati munere perfungatur. Inſuper ſecundò cum duobus alijs Legatis Montio, & S. Crucis Cardinalibus ad idem Concilium mittitur. Mortuo verò Pontifice; cum Cardinales conclaue (vt fit) ingreſſi de ſucceſſore deliberarent; duo ei tantum ad ſummum Pontificatum defuerunt ſuffragia, in quo tãtam præſetulit animi conſtantiam; vt omnes non poſſent non admirari, atq: in primis S. Iacobi Cardinalis Toletanus, qui narrabat ea re Polum nihil prorſus fuiſſe commotum. Accedit præterea, quod hoc magis confirmat; quod nõ defuere ex Aulicis, qui quodam die ambitionem ei obijcerẽt, eumq; intempeſtiuè Pontificatũ ambire aſſeuerarẽt, quibus Reginaldus ſapienter (vt in omnibus ſemper) reſpondit; ſummi illius ſacerdotij, & ſacroſancti magiſtratus onus, non tam ſibi leue videri; vt non pertimeſcendum potius, quam appetendum putaret. Mortuo Edoardo Rege, Henrici VIII. filio, Polus ad Mariam, quæ fratri ſucceſſerat, à Iulio Papa III. legatur, qui deuotam Reginæ erga fidem Catholicam voluntatem adiuuaret, & religionem veram, antea eleuatam erigeret, ac confirmaret: ſed antequam in Angliam proficiſcatur, mittitur ad Imperatorem, & Gallorum Regem; quo inter illos pacem cõponeret. Acta hac legatione, Maria ad ſe accerſit Polum, in cuius ditionibus, ac ſtatu perhonorificè excipitur; vbi Regnum illud, tanquam mẽbra capiti Eccleſiæ Romanæ; aſſentiẽtibus, atq; approbantibus illis, reducit. Quibus actis, ex Diacono Presbyter tt. S. Mariæ in Coſinedin factus; mox S. Priſcæ Paulo IV. Pontifice conſentiente, Reginaq; deferente Archiepſcopus Cantaurienſis, & Angliæ Primas, conſilijq; regij Præſidẽs declaratur. Onus arduũ humeris noſtris imponeremus, ſi legationes ab illo obitas pro Eccleſia, & libros in Catholicæ fidei confirmatione vellemus recenſere; ſed oratione noſtra ſuper-

ſedebimus; vt nulla vnquam ætas de iſtius laudibus conticeſcat; & qui hæc copioſius tractata requirit, legat Ludouicum Beccatellum Archiepiſcopum Raguſinũ Bononiẽſem, qui eius vitam italicè; ab alio poſtea latine conſcriptam compoſuit. Obijt Reginaldus anno Domini 1558. 12. Kal. Decembris, eo ipſo die, quo Maria (& quod miſerrimum eſt) fides ipſa in illo Regno obijt, dumq; abrogata illi à Paulo Pontifice, non ſine magna omnium admiratione, Reginæq; moleſtia Anglicana legatione, Romam ab eodem Pontifice accerſitus iter arripere parat. Corpus eius in Arca plũbea incluſum per 40. dies domi, de more illarum nationum aſſeruatum, Cantauriam deportatum; in ſacello D. Thomæ ſacro, in quo ſacerdotia inſtituit, quæ alternatim pro anima ſua ſacrificium offerrent, cõditur.

XVI.

ROBERTVS Nobilis, natione Italus, patria Politianus, Vincentij Equitis filius, ex Nepte Iulij III. anno Domini 1541. Nonis Septembris natus eſt; is cum eſſet iuuenis bonæ indolis, & morum (propè dixerim) Angelicorum radios effundens, necnõ ſigna magnæ præſeferens expectationis; annos natus 13. ab Auũculo Iulio Põtifice anno Domini 1553. 11. Kal. Ianuarij creatus eſt Cardinalis Diaconus S. Mariæ in Coſmedin; in qua dignitate retinens in animo puritatem; in actionibus prudentiam; in veſtitu modeſtiam; in cultu Dei, & religione peruigilem diligentiam; ad eam vitæ perfectionem deuenit, vt poſthabita, qua cohoneſtabatur, Cardinalitia dignitate, aliquando; quò melius Chriſto vacaret, ac ſeruiret, heremum petere cogitarit, de quo cum Rodulphus Card. Carpen. ſermonẽ in frequẽtiſsimo honeſtiſſimorũ virorũ cõuentu inſtituiſſet, poſt multas ipſius laudes; in eam deniq; vocem, fertur, erupiſſe; vt egregiũ adoleſcentẽ annos vix dũ ſeptẽdecim natum, ad emendandos mores, ac totius ſacri Collegij Card. ritus reformandos maximè idoneum, non dubitaret affirmare; vtpotè qui eum perpetuis vigilijs, verberibus, ac veſte cilicina

animum

animum erigere, ac corpus deprimere non ignorabat. Robertus ergo propter ieiunia, ac continuam corporis castigationē; cum tenuis esset naturæ, in morbū incidit, à quo cum non posset liberari; nisi amissa(vt ait Thomas Bozius congregationis Oratorij Presbyter in libro, quem de signis Ecclesiæ Dei inscripsit)virginitate,voluit potius animæ sanitatē corporis præferre, sicq; magno mortis contemptu, tristes parentes consolatus; ad lauream virginitatis habendam,mortalitatemq; cum immortalitate commutauit. Obijt Romæ anno Domini 1559. 16. Kal. Februarij hora 13. matutina, sepultus in D. Petri de Monteaureo in marmoreo sepulchro,in quo etiam eius imago extat depicta, hoc eleganti elogio à Patre Donatus.

Iesu Christo Resurrectori, salutis Auctori.

Roberto Nobili Politiano S.R.E. Diacono Cardinali, qui 13. annos natus, ob egregiam virtutis indolem à Iulio III. Pontifice Maximo eius magno Auunculo; patribus vniuersis approbantibus, in amplissimum Collegium cooptatus, ardentissimo cum esset religionis, & literarum studio; semestri tabe summa patientia confectus, dum se iucundissimam mortem sentire affirmaret, suosq; extremo spiritu mirificè consolaretur; in cœlestem vitam, quam assiduè meditabatur, commigrauit 16. Kal. Februarij 1559. Vix. annos 17. Menses 4. dies 12. Hor. 16. Vincentius Pater filio optimo, ac dulcissimo P.

Hæc sunt, quæ de hoc integerrimo adolescente mihi breuitati studenti, occurrerunt; quod si quis plura quærat, legat Orationem Francisci Scātij in eius funere habitam; Epistolam incerti authoris,inter clarorum virorum literas; Io.Franciscū Garimbertum;& alios authores.

XVII.

VIRGILIVS Rosarius,natione Italus,patria Spoletanus, natus est anno Domini 1499. Hic,post operam egregiè nauatam Pontificij,necnon Cæsarei Iuris studio, virtu-

te, atq; prudentia nullo ex ſuperioribus inferior; Epiſcopus Inſulæ Iſclanenſis à Paulo IV. electus eſt, quod in nonnulis muneribus obeundis ſeuerè ageret; eiuſmodi.n.vitæ inſtitutū Paulus Chriſtianam ſeueritatem identidem ſolebat appellare; & paulò poſt ab eodem in tertia decem Cardinalium promotione anno Domini 1557. Pont. II. Idibus Martij Presbyter Cardinalis tt. S. Simeonis, eiuſq; perpetuus in Vrbe Vicarius declaratus eſt, vnuſq; ex quatuor primis Cardinalibus fuit, qui cauſæ Ioannis Cardinalis Moroni præſideret. Cum Tranenſe & Conſiliario Cardinalibus à Paulo IV. Pontifice Spoletanum delectum Onuphrius in vita Pauli, qui cum Camilli Vrſini cōſilio ditionis Eccleſiaſticę cauſas, regia poteſtate cognoſceret affirmat; verum Spoletani loco; Ioannem Cardinalem Reumanum, loco Camilli; Io. Antonium Vrſinum, ipſius Pontificis conſtitutione decima nona, quæ in Bullario tom. 1. reperitur, deputatos inuenio. Obijt is ob venam in pectore fractā vnius horæ ſpatio Romæ in Palatio Apoſtolico anno Domini 1559. 10. Kal. Iunij, ſepultus in Eccleſia Sāctæ Mariæ ſuper Mineruā, vbi in ſepulchro eius marmoreo cum ipſius effigie, æternū virtutum ſuarum monumentum extat, cum hoc Epitaphio.

D. O. M.

Virgilio Roſario Spoletano S. R. E. Presbytero Cardinali Summi Pontificis perpetuo Vicario. Flauius Roſarius Patruo optimo poſ. Vix. annos 60. Ob. 10. Kal. Iunij 1559.

XVIII.

ANTONIVS Triuultius, natione Italus, patria Mediolanenſis, nobiliſsima, & illuſtriſsima familia ortus, quæ tunc temporis à Leone Decimo duobus donata Cardinalibus; præter cæteros armis, togaq; claros viros illuſtrabatur. Patrem habuit Hieronymum Scaramutiæ Triuultij Cardinalis Comenſis fratrem. Is cum in ſtudium diligenter incubuiſſet,

buiſſet, excellensq́; vtriuſq; Iuris Doctor euaſiſſet; Romã veniens vtriuſq; Signaturæ Referendarius; mox Epiſcopus Tolonenſis; opera Auguſtini Triuultij Cardinalis affinis ſui factus eſt. Prolegatus poſtea, Auenionem miſſus à Paulo III. Pontif. dum Alexander Farneſius Cardinalis ipſius nepos ditionis illius ageret legationem; eos populos tanta per triennium prudentia moderatus eſt; vt omnes quicquid diceret, & quicquid præciperet ab aliquo, veluti oraculo eum accepiſſe arbitrarentur. Cum igitur in aliquibus ditionis ſuę partibus, Apocalypticus ille Draco ſuum euomuiſſet venenum, ac præcipuè infecto oppido Gabriere, & alijs; peſsimi eius Miniſtri in illis partibus graſſaturi viderentur. Antonius magno exercitu comparato, adiuuantibus etiam Gallorum Regis Miniſtris; audaces illorum conatus fregit, quibus deuictis, profligatis, & funditus deletis; Pontificis iuſſu, illa oppida igne primum exuſsit, ferroq́; poſtea eadem ſolo adæquauit. Miſſus porro ſedis Apoſtolicæ Internuncius ad Remp. Venetorum; anno 1557. à Paulo Papa IIII. pontificatus II. Idibus Martij in 3. Cardinalium promotione; Cardinalitia dignitate donatus, Presbyter Card. tt. SS. Ioannis, & Pauli creatur; Signaturæ itẽ iuſtitiæ præficitur, à quo etiam legatus in Galliam miſſus eſt; vt Henricum II. Gallorum Regem ad pacem cum Philippo II. Hiſpaniarum Rege, etiam, atq; etiã adhortaretur, qui biennio exacto; nobili, & memoratu digna illa per eum comparata pace; Italiam petens, in Oppido, quod S. Maturini vocant, à laboribus quieuit ſubita apoplexia præuentus, anno Domini 1559. 8. Kal. Iulij. Eius corpus ibi ſepulturæ traditum eſt.

Mors Pauli IIII.

ANno. 1559. XV. Kal. Septembris die Martis, hora XXII. Romæ in Apoſtolico palatio obijt Paulus Papa IIII. Corpus in Eccleſia S. Petri Lateritio tumulo ſepultum ad tem-

pus ſub Pio V. ſeptimo poſt mortem anno ad S. Mariæ ſuper Mineruam translatum; in nobiliſsimo marmoreo ſepulchro, quod ipſi in maiorum ſuorum ſacello D. Thomæ Aquinati dicato, quod etiam dotauit idem Pius V. Pontifex extruxerat, conditum eſt; vbi ſequens Elogium legitur.

Ieſu Chriſto ſpei, & vitæ fidelium.

PAVLO *IIII. Carafæ Pont. Maximo: eloquentia, doctrina, ſapientia ſingulari; Innocentia, liberalitate, animi magnitudine præſtantiſsimo; ſcelerum vindici integerrimo; catholicæ fidei acerrimo propugnatori. Pius V. Pont. Maximus grati, & pij animi monumentum poſ. vix. annos LXXXIII. menſem I. dies II. Ob. 1559. XV. Kal. Setembris. Pontificatus ſui anno V.*

Vacauit Sedes menſes 4. & dies 7.

Eodem anno 14. Kal. Septemb. eius exequiæ, ac funeralia more maiorum in Baſilica S. Petri celebrari à Cardinalib. cæpta ſunt. Eodem anno, nonis Septembris Miſſa Sancti Spiritus ab Epiſcopo Cardinale Portuenſe cantata eſt, & Cardinales numero 44. in Vrbe præſentes; Conclaue in Vaticano Palatio præparatum ingreſsi ſunt, qui VII. Kal. Ianuarij ineunte anno 1560. diuini numinis afflatu; ad Pontificatum aſſumpſerunt Ioannem Angelum Mediceum Mediolanenſem Presbyterum Cardinalem tt. S Priſcæ, qui poſtea Pius IIII. dictus eſt.

Cardinales quatuor mortui Sede vacante.

XIX.

IOANNES Baptiſta de Conſiliarijs patria Romanus, origine Bononienſis fuit ex nobiliſsima Ghiſileriorum familia, quorũ maiores an. 1445. orta inter ciues ſeditione, è patria expulſi; in varias diſperſi partes, varijs Italiæ locis habitauerunt; non nulli enim in Boſchum, agri Alexandrini oppidum ſe contulerunt, vbi Fr. Michaël Ghiſilerius ortus eſt; qui à Paulo IIII. creatus Cardinalis Alexandrinus nuncupatus, noſtris poſtea temporibus, ad Pontificatum aſſumptus; Pius V. vocatus eſt;

Qui-

Quidam Romæ; vt Auus,& pater Ioannis Baptistæ commorati sunt,qui; vt inimicis laterent, ita prima cognominis elementa commutarunt,vt qui Ghisilerij prius;postea Consiliarij (retento tamen stemmate)cognominarentur,quod quidem,an verum sit; ex eo colligi maximè potest,quod Pius V.anno sui Pontificatus extremo,de vno ex gentilitijs suis ad Cardinalatus fastigium promouendo cogitans, quod postea; morte præuentus, consequi minimè potuit; Ioannem Petrum vtriusq; Signaturæ Referendarium Ioannis Baptistæ, de quo hic sermo,nepotem, quò fuerat vsus in multis administrationibus, nec non in sacra consultatione,non obstante hac primorum elementorum varie tate ,gentilem suum esse affirmans; diplomate hac de re conscripto, hunc ipsum in posterum non amplius de Consiliarijs: sed de Ghisilerijs vocari voluit.Fuit ergo Ioannes Paptista Protonotarius Apostolicus; mox Apostolicæ Cameræ præsidens clericus, qui sanctimonia, atq; integritate morum cunctis probatus,latinæ,& græcæ linguę peritissimus, & in omni studiorũ genere versatus, qui ob id, vel quod Pauli fuerat Nepos (is.n. eiusdem Pontificis socius nouæ religionis Clericorum Regularium Theatinorũ, ab eodem olim institutæ habitu sumpto eidem se addixerat)summo Pontifici carus, & multo in pretio habitus;pręter cætera amoris sui erga ipsum signa data,ab eodem anno Domini 1557. Pontificatus II. Idibus Martij , Diaconus S. Luciæ in Silice; postea vero S.Nicolai in Carcere vocatus, in Cardinalium numerum cooptatur. Cum ergo Pontifex singulari eius in rebus administrandis prudentiæ , consilio , ac sapientiæ tribueret multum;elegit eum,qui vna cum Bernardino Tranense tt. S. Matthei , Ioannę Reumano tt. S. Ioannis ante portam latinam Presbyteris Cardinalibus; accedente consilio Ioannis Antonij Vrsini Domicelli Romani,& Aloysij Lipomani Bergomensis Episcopi,præsideret rebus Romæ, totiusq; Ecclesiastici status cognoscendis,ac terminandis. Obijt Ioannes Baptista Romæ anno 1559. VIII. Kalendas Septembris, sepeliturq; in suo Diaconatu Sancti Nicolai in Carcere.

XX.

HIERONYMVS Capoferreus, natione Italus, patria Romanus Recanatis filius, natus est X. Cal. Iulij anno Domini 1502. ab ipsis ætatis suæ primordijs, à patre seruituti Alexandri primi Cardinalis Farnesij commissus; ingenio perspicaci, & disciplinis literarum perquam eruditus; sub eodem Farnesio, postea summo Pontifice renunciato; vt antea etiam se dente Clemente Papa VII. in varijs Curiæ muneribus, nec non in diuersis ad Principes grauissimis de rebus legationibus vitā egit, in quibus; cum ex votis & ipsorum Pontificum, & Principum, ad quos legatus fuerat, se gessisset; ab eodem Pontifice Thesaurarius Apostolicus declaratus, vna cum Guidone Ascanio Cardinale Sfortia Pontificis Nepote, ad sustinendum bellum, quo Turcæ in Pannoniam, Germaniæ fines, atq; Italiam inuadendam se se accingebant; deputatus est, cum facultate extinguendi canones, census, & alia huiusmodi Cameræ Apostolicæ, Ecclesiæ Romanæ, & alijs Ecclesijs, & pijs locis in statu, & dominio S.R.E. existentibus debita, atq; etiam de nouo locandi, & infæudandi bona Ecclesiastica. Electus postea Niciensiū Episcopus, & Papæ Datarius; cum vtrobiq; sapientissime se habuisset; in X. XIII. Cardinalium ordinatione anno Domini 1544. Pontificatus XI. XIIII. Cal. Ianuarij habita; Diaconus Cardinalis S. Georgij ad velum aureum creatus est, ac paulo post legatus missus in Galliam; vt Franciscum primum Gallorū Regem, Pontificis nomine rogatum vellet suæ ditionis Episcopos Bononiam, ad Concilium è Tridento eo translatum; mitteret, quo etiam iterum post venit ad Henricum Regem Francisci filium, pro rebus Senensiū, & pace inter ipsum, & Cæsarem componenda à Iulio III. Pont. missus, quo regnante, & Marcello II. Pont. vt antea etiam sub Paulo Papa III. honestissimam Romandiolæ legationē multos annos prudenter egit, extantq; ad huc constitutiones pro bono eiusdem prouinciæ regimine ab ipso editæ, quæ passim ab omnibus obseruantur, & commendantur.

dantur. Ad Morinenſem poſtea Epiſcopatum translatus; d iem ſuum extremum clauſit Romæ in Conclaue; dum comitia pro nouo deligendo Pontifice fiunt, die Veneris Calendis De cembris anno Domini 1559. hora noctis X. dum ætatis annum age ret 57. ſepultus in templo S. Marię de pace. De Hierony mi Cardinalis virtutibus præclara in Epiſtola Iacobi Card. Sadoleti anno 1543. VI. Idus Auguſti ad Paulum III. ex Fælicia-no Carpectoratenſis Diœceſis miſſa, in qua hunc, & Tho mam Campeggium Bononię. Epiſcopum Feltrenſem Pontifici com mendat, illiq; narratis illorum virtutibus; ſacra eos purpura di gnos demonſtrat. Extat nunc etiam Romæ regio ſumptu fabri catum ab eodem Palatium, de nomine huius Capoferreum dictum, præclaris inſigne lapidibus, ac imaginibus.

XXI.

HIERONYMVS Dandinus Nobilis Cæſenas, Anſelmi Dandini, & Ioãnę Muratinę Foroliuienſis filius, natus eſt anno Domini 1509. qui; cum legibus in ſtudio Bononienſi operam dediſſet; Pontificij Cæſareiq; iuris lauream conſecutus eſſet; Romam ſe recepit, vbi per multos honorum gradus ad Epiſcopatum Imolenſem peruenit. Cum poſteà Iulij III. à ſecretis eſſet, Internuncius ad Carolum V. Imperatorem; vt ipſius auxilium (quod obtinuit) ad bellum Parmenſe ſuſcipiendũ imploraret mittitur, qua legatione peracta, in Italiã reuerſus; huic bello præficitur; legato Ioanne Angelo Cardinale Mediceo. Anno poſtea 1551. Pontificat. II. in 3. Cardinalium crea tione XIII. Kal. Ianuarij Romæ habita; ab eodem Pontifice Cardinalitia, Presbyter tt. S. Matthæi, donatur dignitate, qui Bononiæ purpureum Pileum à Hieronymo Saulio Genuę. Archiepiſcopo Ciuitatis Prolegato accepit, honorificaq; paulò poſt ad Carolum V. pro pace cum Henrico Gallorum Rege cõponenda legatione cohoneſtatur, in qua legatione Ioannem Franciſcum Commendonum, qui poſtea Cardinalis à Pio IIII. factus eſt, obſignandis libellis præpoſitum (Datarium vocant) apud

apud se habuit; sub Paulo IIII. è tt. S. Matthæi, ad tt. S. Marcelli translatus; Monachorum ordinis Montis Oliueti, & Seruitarũ Protector extitit. Obijt Hieronymus Romæ anno Domini 1559. pridie Nonas Decembris, die lunæ, hora noctis 3. extra conclaue, ex quo ægrotus exierat; sepeliturq; in Ecclesia sua titulari ante gradus Altaris maioris in pauimento. Sepulturæ eius monumentum extat, cum hoc elogio.

Hieronymus Dãdinus Cardinalis Cæsenas, Episcopus Imolensis, qui vixit annos 50. Obijt pridie Nonas Decembris 1559.

Et in pariete aliud.

D. O. M.

Hieronymo Dandino Cæsenati S.R.E. Card. huiusce Ecclesiæ titulari, & ordinis Protectori. Anselmus Protonotarius Apostolicus, & vtriusq; Signaturæ Referendarius Patruo optimè merito; annuo redditu fratribus assignato, vt pro eius anima pridie nonas Decembr. quo die obijt anniuersarium celebrent. Ob. 1559. ætatis 50.

XXII.


ANTONIUS de sanguine, seu de Medon, claro sanguine inter Gallofrancos natus, vir celeberrimus, & in Aula Regum Galliæ magnæ existimationis, quippe qui ingenio pollens; senatorijs, forensibusq; causis optimè exercitatus fuerat; Francisco Rege instante, & Clemente Papa Septimo concedente Aurelianensis Ecclesiæ Episcopus anno Domini 1533. decedente Ioanne Aurelio eiusdem Clementis Septimi Cardinale; summa Cleri, populiq; illius Ciuitatis alacritate electus est. Hunc Paulus Tertius anno 1539. Pontif. VI. 14. Kal. Ianuarij; Comitijs septimò Romæ habitis, in gratiã eiusdem Regis; Cardinalem Presbyterum tt. S. Mariæ in Porticu creauit. Pro eodem postea Rege, cuius opera in Regni administratione vel maximè vtebatur; Lutetiæ Parisiorum Gubernator

nator adfuit, quando Carolus Imperator, cum Henrico Angliæ Rege fœdere iunctus, Galliam magno inuadens exercitu; multa oppida, terras, castraq; cœpit; ferro, flammaq; vastauit, quo nuncio Parisinus populus excitatus, metuq; percussus, cũ sermonibus vulgi circumferretur Cæsarem; vt Lutetiam depopularetur transfretare; summa vigilantia, ciuibus in fide retẽtis, vrbem ab hostibus defendit, Regi intactam couseruauit. Verum pace inter eosdem Imperatorẽ, & Regem, in qua multum insudauit secuta; vna cum Lotharingiæ Cardinale, & alijs Regni Proceribus, eiusdem pacis initæ, obses datus est. Qui à Iulio Tertio è titulo, de quo supra, ad tt. S. Grisogoni translatus; sub Paulo IV. Pontif. Archiepiscopalem Ecclesiam Tolosanam administrandã suscepit. Moritur in Gallia an. Domini 1559. die Veneris 11. Kal. Ianuarij, dum comitia pro nouo deligendo Pont. Romæ in conclaue celebrantur, ibiq; sepelitur.



PIVS

PIVS QVARTVS
PONT. MAX.



ANNO CHRISTI MDLIX.
SIGNVM PII QVARTI.
Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.


Ivs Papa Quartus, Ioãnes Angelus antea vocatus, ex Medicea nobili, & antiqua familia Mediolani, inter Insubres anno Domini 1499. pridie Kalen. Aprilis Sanctissimo Paschatis die, natus; patrem habuit Bernardinum; matrem Cæciliam Sorbelloniam, mulierem honestissimam, nobilissimamq;. Adolescẽs Ticini

Ticini, & Bononiæ; Philoſophiæ primum, deinde verò legum ſtudijs, ſub Caroli Ruini V. I. conſultiſsimi diſciplina totum ſe addixit, vbi Doctoratus lauream conſecutus, in patriam reuerſus; non modò magnas controuerſias inter Principes Ciuitatis exortas, cum illum communi couſenſu cauſæ Iudicē con ſtituiſſent; ſapientiſsime dirimit: verum etiam ſedatis, inter Franciſcum Sfortiam Mediolani Ducem, & Io. Iacobum fratrem ſuum diſcordijs; pacem Ciuibus ſuis inſperantibus reſtituit. Romam profectus anno Domini 1527. 8. Kal. Ianuarij, eadem circiter hora, & die primum ingreſſus eſt, quibus trigeſimo tertio anno poſt Romanū Pontificatum obtinuit. A Clemente Septimo Summo Pont. non tam ſtudio, & ope fratris Marchionis; quam præclaris virtutū ſuarum meritis; inter Protonotariorum (quos Participantes vocant) numerum adſcitus eſt; deinde à Paulo Papa Tertio multis publicis muneribus cohoneſtatus; Aſculanis primum; ſecundò Tyfernatibus in Vmbria, tertiò Parmenſibus; poſt hos etiam Fanenſi Ciuitati iuridicūdo præficitur; terq; Eccleſiaſtici exercitus Quæſtor (Cōmiſſarium vocant) bis in Pannonia contra Turcas; in Germania ſemel; amplius limitum inter Ferrarienſem Ducem, & noſtram Bononienſem Rempub. terminandorum ſapientiſſimus arbiter extitit, ac diſceptator. Ex Anconitana præfectura; Archiepiſcopus Epidaurenſis, ſeu (quod noſtris temporibus dicitur) Raguſinus creatus; Prolegationem Bononienſem ſibi cōmiſſam, Legato Ioanne Card. Morono 1547. ſuſcepit. Cæterum audita Petri Luiſij Parmæ Ducis morte; collecta militum manu, eo aduolat, & vigili diligentia; & ſuis, & amicorū opibus, quos ibi habebat non paucos, adiutus; vrbem valido ſatis firmatam præſidio, in Eccleſiæ Romanæ fide confirmauit. Idem Peruſiæ, Vmbriæq; Prolegatus deſignatus; quia fuerat de Repub. Chriſtiana, & Sede Apoſtolica benemeritus; abſens à Paulo Tertio anno 1549. Pont. XV. 6. Idus Aprilis, die Veneris in vltima Cardinalium creatione, Presbyter Card. S. Pudentianæ tt. Paſtoris declaratus eſt; Qui indicto Octauio Far-

neſio

nesio Parmensiū Duci bello; Ecclesiasticarū copiarū Legatus à Iulio Tertio præficitur; nec multò post à Cæsare Cassanensi Episcopatu ornatus; sub eodem, & Paulo Quarto Signaturæ gratiæ præfuit. Postremò tt. Pastoris relicto; S. Stephani in monte Cœlio; mox S. Anastasiȩ; vltimò S. Priscæ titulum nactus; mortuo Paulo Quarto, Rom. Pontifex, suffragijs quatuor, & quadraginta Cardinalium, qui comitijs interfuerant; hora inter septimam, & octauam eius noctis, quȩ diem Natalis Dominici consecuta est, ineunte anno salut. 1560. in Apostolica Sede fuit collocatus. Festo sequenti Epiphaniæ per manus Alexandri Farnesij S. R. E. Cardinaliū Diac. in Vrbe tūc præsentiū primi, coronationis sumens insignia, PIVS Papa Quartus voluit nuncupari. Sedit Imperatoribus Ferdinando I. & Maximiliano II. electis annos 5. menses 11. dies 15.

Cardinales 52. viui, quando PIVS *Papa IIII. creatus est.*

Episcopi Cardinales VI.

PAVLVS PAPA III.

* Ioannes Bellaius Episcopus Card. Ostiensis, & Veliternus; Sacriq; Collegij Decanus.

CLEMENS VII.

Franciscus de Turnone Episcopus Cardinalis Sabinus.

PAVLVS III.

Rodulphus Pius Carpē. Episc. Card. Portuē. & S. Rufinæ.

LEO X.

Franciscus Pisanus Episcopus Card. Tusculanus.

PAVLVS III.

Federicus Cæsius Episcop. Card. Prænestinus.

Petrus Paciecus Episcop. Card. Albanus.

Præ-

Presbyteri Cardinales XXXIII.

CLEMENS. VII.

* Claudius de Giuri tt.S.Agnetis in Agone S.R.E. Archipreſbyter.

PAVLVS III.

Robertus de Lenoncourt, tt. S. Apollinaris.
Ioannes Moronus, tt. S. Mariæ Tranſtiberim.
Chriſtophorus Madrucius, tt. S. Cæſarei in Palatio.
Georgius de Armeniaco, tt. S. Laurentij in Lucina.
* Franciſcus de Mendozza, tt. S. Euſebij.
Otho Truchſes, tt. S. Sabinę.
Bartholomæus de la Cueua, tt. S. Crucis in Hieruſalem.
* Henricus Portugallenſis, tt. SS. 4. Coronatorum.
Fr. Ranutius Farneſius, tt. S. Angeli S. R. E. maior Pœnitentiarius.
* Carolus de Lotharingia, tt. S. Cæciliæ.
Io. Angelus Medices, tt. S. Priſcę.
* Carolus Borbonius, tt. S. Sixti.
Tiberius Criſpus, tt. S. Agathę.

IVLIVS III.

Chriſtophorus de Monte, tt. S. Praxedis.
Fuluius Corneus, tt. S. Bartholomæi in Inſula.
* Io. Michaël Sarracenus, tt. S. Anaſtaſiæ.
Ioannes Riccius, tt. S. Vitalis.
Io. Andreas Mercurius, tt. S. Marcelli.
Iacobus Puteus, tt. S. Mariæ in Via.
Io. Bapt. Cicada, tt. S. Clementis.

PAVLVS IV.

Don Bernardinus Scotus, tt. S. Matthæi.
Diomedes Carafa, tt. S. Martini in Montibus.

Scipio

Scipio Rebiba S. Pudentianæ, tt. Paſtoris.
Io. Suauius Reumanus, tt. S. Io. ante portam Latinam.
Io. Antonius Capiſuccus, tt. S. Pancratij.

CLEMENS VII.

Hercules Gonzaga, tt. S. Marię nouæ.

PAVLVS IV.

Thadæus Gaddus, tt. S. Sylueſtri.
Laurentius Strotius, S. R. E. Presbyt. Card.
Io. Bertrandus, S. R. E. Presbyt. Card.
Fr. Michaèl Ghiſilerius, tt. S. Mariæ ſuper Mineruam.
Fr. Clèmens Dolera, tt. S. Mariæ de Aracœli.

PAVLVS III.

Iacobus Sabellus, tt. S. Mariæ in Coſmedin.

Diaconi Cardinales XIII.

CLEMENS VII.

* Odettus de Caſtillione S. Hadriani, S. R. E. Archidiac.

PAVLVS III.

Alexander Farneſius, S. Laurent. in Damaſo S. Rom. Eccl. Vicecancell.
Guido Aſcanius Sfortia, S. Mariæ in via Lata, S. R. Eccl. Camerarius.
Nicolaus Caètanus, S. Euſtachij.
Hippolytus Eſtenſis, S. Mariæ in Aquiro.
Iulius de Ruuere, S. Petri ad Vincula.

IVLIVS III.

Innocentius de Monte, S. Onuphrij.
Fr. Aloyſius Cornelius, S. Theodori.
Ludouicus Lotharingus de Guiſa, S. Thomæ in Parione.
Hieronymus Simoncellus SS. Coſmæ, & Damiani.

PAVLVS IV.

Fr. Carolus Carafa, SS. Viti, & Modeſti.
Alfonſus Carafa, S. Mariæ in Porticu.
Vitellotius Vitellius, SS. Sergij, & Bacchi.


Prima creatio trium Cardinalium. Anno Domini MDLX. Pontificatus primo die Mercurij, pridie Kal. Februarij Romæ. PIVS *Papa IV. primò creauit Card. tres, qui fuere.*

1 IOANNES Antonius Sorbellonius Mediolanensis Papæ Frater patruelis Episcopus Fulginatensis Presb. Card. tt. S. Georgij ad Velum aureum.


2 Ioannes Medices Florentinus Tuscus, Cosmi Florentiæ, & Senarum, Magni postea Hetruriæ Ducis filius, Diac. Car. S. Mariæ in Domnica.

3 Carolus Borromæus Mediolanensis Papę ex sorore Nepos, V.S. Referendarius, Diaconus Card. SS. Viti, & Modesti

I.



II.



III.



Secunda creatio XVIII. Cardinalium.

Anno Domini MDLXI. die Mercurij 4 Kal. Martij, Pontificatus secundo Romæ.

PIVS *Papa IV. secundò creauit octo, & decem Cardinales, qui fuerunt.*

4 F. BERNARDVS Saluiatus Florentinus eques S. Ioannis Hierosolymitani, Almæ Vrbis Prior, Episcopus Claromontanus, & S. Papuli, Presbyter Card. tt. S. Simeonis absens.

5 Magister Fr. Hieronymus Seripandus Neapolitanus ordinis S. Augustini Eremit. olim eiusdẽ religionis Prior Generalis

neralis, Archiepiſcopus Salernitanus, Presbyter Card. tt. S. Suſannæ.

6 Antonius Perenottus Granuelanus Burgundus Epiſcopus Atrebatenſis, Presbyter Card.tt.S.Silueſtri abſens.

7 Stanislaus Hoſius Polonus Epiſcopus Varmien. Sedis Apoſtolicæ apud Ferdinandum I. Imperatorem electum Nuncius, Presb.Card.tt.S.Sabinæ, abſens.

8 Petrus Franciſcus Ferrerius Ciuis, & Epiſcopus Vercellenſis Pedemontanus, Sedis Apoſtolicæ apud Rempub. Venetam Nuncius, Presbyter Card.tt.S.Cæſarei in Palatio, abſens.

9 Ludouicus Simoneta Mediolanenſis Epiſcopus Piſaurienſis, Papæ Datarius, Presb.Card.tt.S.Ciriaci in Thermis.

10 Philibertus Naldius à Burdeſia Gallus Epiſcopus Engoliſmenſis, Caroli IX. Francorum Regis apud Sedem Apoſtolicam orator, Presbyter Card.tt.S.Sixti; mox S.Martini in Montibus.

11 Franciſcus Paciecus de Toleto Hiſpanus, Diac. Card.S.Suſannæ, abſens.

12 Aloyſius Eſtenſis Herculis Ferrariæ Ducis filius, electus Epiſcopus Ferrarienſis, Diaconus Card.SS.Nerei, & Archillei, abſens.

13 Ludouicus Madrucius Ciuis, & electus Epiſcopus Tridentinus Germanus, Imperij Princeps, Diaconus Card.Sancti Calixti.

14 Marcus Sitticus ex Comitibus Altempſijs Germanus, Papæ ſororis filius, Eques Militiæ S.Iacobi de ſpata, electus Epiſcopus Caſſanenſis, Diaconus Card. S. Angeli; poſt Baſilicæ SS. duodecim Apoſtolorum.

15 Franciſcus Gonzaga Mantuanus Protonotarius Apoſtolicus, Diaconus Card.S.Nicolai in carcere Tulliano.

16 Innicus Aualos de Aragonia Neapolitanus, Diac. Card. S.Luciæ in ſilice.

17 Alfonſus Geſualdus Neapolitanus Protonot.Apoſtolicus,

Diaconus Cardinalis S. Cæciliæ.

18 Io. Franciscus Gambara Brixiensis Abbas S. Laurentij Cremonensis diœcesis, Cameræ Apostolicæ Clericus Præsidens, Diac. Card. SS. Petri, & Marcellini.

19 Marcus Antonius Amulius Venetus, eiusdem Reip. apud Sedem Apostolicam orator, Diaconus Card. mox presb. tt. S Marcelli.

20 Bernardus Nauagerius Venetus Diaconus Card. S. Nicolai inter Imagines.

21 Hieronymus Austriacus de Corrigio Diaconus Card. S. Anastasiæ.



IV.



V.



VI.

VI.



VII.



VIII.



IX.



X.



XI.



XII.



XIII.



XIV.

XIV.



XV.



XVI.




XVII.




XVIII.




XIX.



XX.



XXI.



Tertia

Tertia creatio duorum Cardinalium.

Anno Domini MDLXIII. die Mercurij, 8. Idus Ianuarij, Festo Epiphaniæ Domini, Pontificatus IV. Pius Papa IV. in Congreg. Gener. Romæ, tertiò creauit duos Cardinales, ij fuere.

22 FEDERICVS Gonzaga Federici Mantuæ Ducis filius, Episcopus Mantuanus, Presbyt. Card. tt. S. Mariæ Nouæ, absens.

23 Ferdinandus Medices Cosmi Florentiæ, & Senarum, postea Hetruriæ Magni Ducis filius, Diac. Card. tt. S. Marię in Domnica, absens.

XXII.



XXIII.



Quar-

Quarta creatio XXIII. Cardinalium. *Anno Domini MDLXV. Pontificatus VI. die Lunæ, 4. Idus Martij, Festo S. Gregorij Papæ, in Congreg. Gener. Romæ.*

PIVS *Papa IV. quartò creauit 23. Cardinales, qui fuerunt.*

24 ANNIBAL Bozzutus Neapolitanus Archiepiſcopus Auinionenſis, Cameræ Apoſtolicæ Præſidens Clericus, Presbyter Card. tt. S. Syluestri.

25 Marcus Antonius Columna Romanus Archiepiſc. Tarẽtinus, Presbyter Cardin. Baſilicæ Sanctorum duodecim Apoſtolorum.

26 Ptolemæus Gallius Nouocomenſis, olim Epiſcopus Martorani; deinde Archiepiſcopus Sypontinus, Papæ à ſecretis, Presbyter Card. tt. S Theodori.

27 Angelus Nicolinius Florentinus Archiepiſcopus Piſarũ, Presbyter Card. tt. S. Calixti, abſens.

28 Aloyſius Piſanus Venetus Cameræ Apoſtolicæ Clericus Præſidens, Epiſ. Patauinus, Presb. Card. S. R. E. abſens.

29 Proſper Sanctacrucius Romanus Epiſcopus Chiſamenſis, Rotæ Auditor, Sedis Apoſtolicæ apud Carolum Nonum Gallorũ Regem Nuncius, Presb Card. S. R. Eccl. abſens.

30 Antonius Crecchius Gallus Epiſcop. Ambianenſis, Presbyter Card. S. R. E. abſens.

31 Zacharias Delphinius Venetus Epiſcopus Pharenſis, Sedis Apoſtolicæ apud Ferdinandum I. Imperatorem electum Nuncius, Presbyter Card. tt. S. Mariæ in Aquiro, abſens.

32 Io. Franciſcus Commendonus Venetus Epiſcopus Zacynthi, & Cœphaloniæ, Sedis Apoſtolicæ Apud Sigiſmundum Poloniæ Regem Nuncius, Presbyter Card. S. R. E. abſens.

33 Mar-

33 Marcus Antonius Boba Casalensis Montis Ferrati Episcopus Augustensis, Presbyter Card. S. R. E. absens.

34 Hugo Boncompagnus Bononiensis Episcopus Vestanus, Presbyter Card. tt. S. Sixti.

35 Alexander Sfortia de S. Flora Romanus Cameræ Apost. Præsidens Cler. Episc. Parmensis, Presby. Card. tt. Sãctæ Mariæ in Via.

36 Flauius Vrsinus Romanus Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, Episcopus Muranen. Presbyter Card. tt. S. Io: ante portam Latinam.

37 Alexander Cribellius Mediolanensis Episcopus Gierontinensis, & Cariatensis, Nuncius ad Philippum II. Hispaniarum Regem, Presbiter Card. S. R. E. absens.

38 Carolus Vicecomes Mediolanensis Episcopus Albiuintimiliensis, Presbyter Card. tt. SS. Viti, & Modesti in macello martyrum.

39 Guido Ferrerius Ciuis, & Episcopus Vercellensis Pedemontanus, Sedis Apostolicæ apud Remp. Venetam Nuncius, Presbyter Card. tt. S. Euphemiæ, absens.

40 Simon Pasqua Genuensis Episcopus Lunensis, Presbyter Cardinalis tt. S. Sabinæ.

41 Franciscus Abundius Castillionæus Mediolanensis Episcopus Bobiensis, Presbyter Card. S. R. E. absens.

42 Benedictus Lomellinus Genuensis Cameræ Apostolicæ Presidẽs Clericus, Presbyter Card. tt. S. Mariç in Aquiro.

43 Franciscus Alciatus Mediolanensis electus Claremontanus; mox Ariẽsis; post Ciuitatẽsis Episc. Papæ Datarius, Diac. Card. S. M. in porticu; mox S. Luciæ in septisolio.

44 Guilielmus Sirletus Stilensis Calaber Prot. Apost. de numero participantiũ, Diac. Card. S. Laur. in pane, & perna.

45 Gabriel Palæotus Bononiensis Rotæ Auditor, Diaconus Card. SS. Nerei, & Archilei.

46 Franciscus Crassius Mediolanensis Prot. Apost. Bononiæ Guber. Diac. Card. S. R. E. absens.

XXIV.

XXIV.



XXV.



XXVI.



XXVII.



XXVIII.


XXVIII.



XXIX.



XXX.



XXXI.



XXXII.

XXXII.



XXXIII.



XXXIV.



XXXV.



XXXVI.

XXXVI.



XXXVII.



XXXVIII.



XXXIX.



XL.

XL.



XLI.



XLII.



XLIII.




XLIV.

XLIV. XLV.





XLVI.



Pivs Papa IV. quatuor ordinationibus Mensibus, Ianuario, Februario, & Martio factis, sex, & quadraginta Cardinales creauit, Presbyteros videlicet nouem, & viginti, & Diaconos septemdecim.

Alexander Farnesius Episcopus Card. Tusculanus S. R. E. Vicecancellarius sub Pio Papa IV.

Cardinales 28. mortui sub Pio Papa IV. inter quos, vnus sacra purpura priuatus.

1 Ioannes Bellaius.
2 Petrus Paciecus.
3 Claudius de Giuri.
4 Diomedes Carafa.
5 Ioannes Bertrandus.
6 Io. Andreas Mercurius.
7 Robertus Lenoncourt.
8 Carolus Carafa.
9 Tadæus Gaddius.
10 Franciscus Turnonius.
11 Bartholomęus Cueua.
12 Ioannes Medices.
13 Hercules Gonzaga.
14 Hieronymus Seripandus.
15 Iacobus Puteus.
16 Odettus Colignius Castillionius dignitate priuatus.
17 Rodulphus Carpensis.
18 Guido Ascanius Sfortia.
19 Christophorus Montius.
20 Federicus Cæsius.
21 Federicus Gonzaga.
22 Bernardus Nauagerius.
23 Alphonsus Carafa.
24 Simon Pasqua.
25 Annibal Bozzutus.
26 Ranutius Farnesius.
27 Carolus Viceco mes.

Pij Papæ Quarti obitus Comitia.

28 Franciscus Gonzaga Sede vacante.

I.

IOannes Bellaius Gallofrancus; nobili, ac illustri natus propagine; cum adhuc adolesceret, iuniores annos omnibus quidem disciplinis; cum primis tamen poëticæ (vt videre est ex ipsius carminibus, quæ circunferuntur) in Parisiensi Aca demia

demia commisit, quam postea ipse cum Guilielmo Budęo viris doctis affatim destitutam; à Francisco I. Gallorum Rege, apud quem & ipse, & Budæus magnæ erant auctoritatis; accersitis, stipendioq; donatis vndequaque insignis literaturæ viris, erigendam curauit. Iste cum multa munera in Regis Aula obiuisset, Parisiensis Episcopus, ob mortem Francisci dù Ponthier electus est; anno verò 1533. cum Clemens VII. Catherinam Mediceam Laurentij iuniores filiam Henrico eiusdem Francisci Regis secundogenito in matrimonium collocasset; Massiliæ, vbi Pontifex, & Rex Gallus conuenerant pulcherrimam hac de re latino sermone habuit orationem, dum solennes ibi nuptiæ, regali pompa celebrarentur. Episcopatum item Semouicensium idem Ioannes rexit, obeunte Ioanne de Langiaco, sub quo Monaci S. Martialis facti sunt Canonici. Apud Paulum III. orator pro eodem Rege Romæ existens, à Pontifice, ipsius Fràcisci gratia, Cardinalium Comitijs secundo habitis anno Domini 1535. 12. Kal. Iunij, Presbyter Cardinalis tt. S. Vitalis; mox tt. S. Cæciliæ; post tt. S. Hadriani, cuius Ecclesiam restaurauit; postremò S. Chrysogoni factus est Hic, cum Carolus, postea Cardinalis, Ioannis Petri Cardinalis Carafæ Nepos, S. Ioannis Hierosolymitani habitum à Paulo III. anno Domini 1548. accepit; Crucem eidem Sūmo Pontifici in hac ceremonia ministrauit. Sub Iulio III. Ecclesiam Parisiensem Eustatio Bellaio renunciauit, & ex Presbytero tt. Sancti Chrysogoni factus Episcop Card. Albanus; ex Albano ad Portuensem Ecclesiam translatus, Burdegalensem Archiepiscopatum administrauit. Inter cæteros, fratrem habuit Guilielmum Dominum de Langè, olim Taurini pro Francisco Gallorum Rege Gubernatorem, & Renatum Episcopum Cenomanensem, quo vita functo; ipse Ioannes eandem Ecclesiam postea moderatus est. Ioanne Petro Cardinale Carafa Episcopo Ostiense, & Collegij Decano ad Pontificatum assumpto, antiquioribus à curia absentibus Ludouico Borbonio Episc. Prænestino, & Francisco de Turnone Episcopo Sabino Cardinali-

bus; cum Summus Pontifex voluiſſet eum eſſe ſacri Collegij Decanum, qui decedente priori Decano, Principem locũ inter degentes Romę Cardinales obtineret; aut ex cauſa publica, & per Pontificem extra Curiam deſtinatus abeſſet; efficitur Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, ſacriq; Senatus Princeps. Moritur Romæ in hortis ſuis in Quirinali, die Veneris, 14. Kalen. Martij, hora 5. anno ſalutis 1560. Pont. I. ætatis LXVIII. ſepultus in Eccleſia Sanctiſsimæ Trinitatis in Monte Pincio.

II.

PETRVS Paciecus Hiſpanus, ex nobiliſsimo ſanguine Villenæ (ſcilicet Marchionum) ortus; ex Pampilonenſi electus Epiſcopus Gienenſis, Conc. Tridenti ſub Paulo III. celebrato, interfuit. Hunc Carolus V. Imperator tanti fecit; vt, cum idem Summus Pontifex anno 1544. præter cæteros Gaſparem de Aualos, Franciſcum de Mendozza, & Bartholomęum de Cueua Card. Hiſpanos creaſſet, quod eundem promouere tunc renuiſſet, pro quo idem Carolus, etiam atq; etiam inſtiterat; purpura per certũ tempus noluit eos indui, nec aliud dignitatis delatæ inſigne geſtare; donec Petrus & ipſe anno ſequenti, Pontificatus XII. 17. Kal. Ianuarij, in eorundem purpuratorum Patrum numerũ, altera creatione adſcriptus eſt. Hoc idem Franciſco Pacieco; poſtea Pij Quarti Cardinali accidiſſe, ſcribunt nonnulli: ſed eos hallucinari crediderim. Cum regni Neapolitani pro Cæſare Vicarius nobilitati inuiſus, multis apud eundem Cæſarem accuſaretur; hac de cauſa Petrus mittitur Neapolim ab Imperatore cum ampliſſima poteſtate, vt rẽ cognoſcat, multa emendet, & Magiſtratuum voluntates certis legibus cohibeat. Hic à Iulio Tertio, cum nondum titulũ habuiſſet; S. Balbinæ accepit, ſub quo; cum Petro Toleto bellũ Senenſe demandatũ eſſet, Petrus Neapoli Prorex manſit, donec Toletus rediret, quo vita functo, ibidem per biennium moras egit. Ex Gienenſi, poſtea Epiſcopus Saguntinus renunciatus;

tus;

tus; natis inter Pontificem, & Philippum Hispaniarum Regẽ quibusdam dissensionibus; cum magna polleret auctoritate, nullum officium, quod ad pacem componendam idoneum cẽseret prætermisit. Ex Presbytero, ad Episcopatum Albanensem translatus, Paulo Quarto mortuo; parũ abfuit, quin Pont. Summus à Patribus declararetur. Electo tandem Pio Quarto, eodem sedente, obijt Romæ anno salutis 1560. Pontificatus Primo, pridie Nonas Februarij, hora septima noctis sequentis, dum sexagesimum annũ ætatis ageret. Corpus eius in Tẽplo D. Mariæ de Aracœli collocatum; in Hispaniam transfertur, sepeliturq́, in Ecclesia Monialiũ S. Claræ oppidi de la Puebla Montis Albani nuncupati, quod Illustrissimæ familiæ suæ iurisdictioni subest, cuius Monasterium pro 32. sacris Virginibus ibidem alendis, à Ioanne Pacieco anno salutis 1522. fuerat ædificatum, ipsaq́; Ecclesia à Petro Cardinale regijs (propè dixerim) sumptibus, in cuius maiori sacello, sepulchrum sibi, & Comitibus dicti Castri erexit, extructa est, & quadringentis frumenti modijs, & mille quadringentis aureis coronatis quotannis, certis quibusdã legibus splendidè dotata existit, inter quas hæc; vt perpetuò Monialis vna ante sacrosanctum, venerabile, atq; augustissimũ Eucharistiæ Sacramentũ orationi instet.

III.

EXIMIAE laudes, clara scilicet generis nobilitas, acerrima ingenij vis, diuinaq́; quædam mentis acies ad omnia quamuis ardua, & implicata expedienda, atque ad fœlicem exitum perducenda, nomen Claudij de Giuri à Longouico Gallosequani commẽdant. Is Philippi Sciabotti, pro Frãcisco Francorum Rege Regni eiusdem (sic eum vocant) Amiralij, Annæ Decars Epis. Card. Lexouiẽsis de Giuri à Sanctissimo Domino Clemente VIII. sacra purpura donati ex sororibus Auunculus; Episcopus Lingoniensis, & Par Galliæ, Massiliæ anno Sal. 1533. septimo Idus Nouembris à summo Pontifice Clemente VII. qui eo venerat; quia cum Francisco Christianissi-

mo amicitiam inierat; vt Catherinæ Mediceæ, quæ Henrico Regis filio nupſerat, ſolẽnes dapes celebraret; à ſummo, inquã, Pontifice cum alijs tribus creatus eſt Presbyter Cardinalis tt. S. Agnetis in Agone. Pictauienſis poſtea Epiſcopus. electus; cum qua diſciplina populos ſibi commiſſos formare contenderet; eius ipſe præclarum ſpecimen; vita, & moribus exprimeret; officio peruigilis Paſtoris impigre obito; Eccleſiam illam Ioanni Dumoncourt adminiſtrandam commiſit; Paulo poſtea III. Pontifice, Ambianis Epiſcopus datus, ob mortem Caroli Cardinalis Matiſconenſis; & demum ſub Iulio III. Marcello II. & Paulo IV. Pontificibus, Primas inter Presbyteros S.R.E. Card. tenuit, Cum ergo ſumma pietate, ac religione multos in terris populos rexiſſet, & dignus Deo videretur, qui æterna conſolatione in Cœlis cum Sanctis regnaret, in ſupremum illud beatarum mentium domicilium, vt piè credendum eſt, aduolauit octuagénarius Muſſey in Gallia quintò Idus Auguſti, anno Sal. 1560. Pij IV. Pont. I. in ſepulchro conditur apud Lingonium in Cathedrali.

IV.

DIOMEDES Carafa Italus Neapolitanus Pauli IV. conſanguineus, qui; tum ob ſingulares egregiæ indolis dotes; tum ob Ciuilium rerum cognitionem; vt nihil eſſet in vſu Romanæ curiæ, quod ſcientiam ſuam effugeret; Epiſcopus Arianenſis electus; ab eodem Pontifice in II. ſeptem Cardinal. promotione Romæ anno 1555. Pont. I. 13. Kal. Ianuarij habita, Presbyter Cardinalis SS. Syluestri, & Martini tt. Equitij, aliàs S. Martini in Montibus creatus eſt. Cuius; ſi, non dicam, omnes virtutes enumerare: ſed percurrere velimus; maris arenas facilius dinumeremus. Hoc ſatis fuerit lectori; ex ipſius elogio, quod inferius ponemus, tamquam ex vngue Leonem, multas virtutes cognoſcere; nobis quidem ſatis erit tantum ipſius tituli Eccleſiam ab eodem reparatam; à Paulo verò IV. in eius gratiam ad antiquum ſtationum (ſic vocant,) honorem

norem restitutam fuisse dixerimus; in cuius ædibus è vita decessit pridie Idus Augusti anno salutis 1560. Pont. I. sepultus ibidem in monumento, quod sibi viuens posuit, vbi cum ipsius effigie; præter quæ sequūtur elogia lapidi insculpta, ad animi quoq; sui, in gloriæ cupiditate frænanda, moderationem demonstrandam; Stateram, quam pręter domestica, pro stemmate, cum inscriptione; *Moderata durant*, gessit, apponendam curauit. Cęterum, mortuo eodem Paulo IV. cum à populo Romano, omnes statuę, insignia, vmbonesq; Carafę familię vbiq; locorum in alma Vrbe posita dissipata essent; hoc vnum tantum Diomedis monumentum intactum, populus; vt benignā ipsis Cardinalis mentem, atq; animi moderatam compositionē, & ipse contestaretur, reliquit.

Diomedis Carafæ Cardinalis Arianensis Tumulus.

Cum pietas, cum vera fides, cum conscia recti
Mens cum Religio, cura, timorq; Dei.
Cælestem possint animis promittere vitam;
Hanc superos inter nunc Diomedes habet.

Obijt anno Domini 1560. die 12. Augusti. Vixit annos 68. Menses 8. dies 5.

D. O. M.

Diomedi Carafio Presbyt. Card. Arianensi tt. huius Ecclesiæ, viro moribus virtute, doctrina, ac sanctimonia exculto, sacrarum ædiū restauratori religiosissimo, qui hoc templum deformatum in meliorem faciem; quam dudum fuerat reduxit. Fratres Carmelitæ ex Elisei schola oriundi, ob instauratam sui Cænobij partem infimo hor to contiguam, necnon ob sarta detrimenta, quæ illis ex testamento

donauit, ad nominis perpetuitatē, ad integritatis, & honoris, virtutisq́; fidem, eius Illustrium Carafiæ, & Vrsinæ familiæ insignia, & hunc insculptum lapidem, plurimis effusis lacrymis, constituerunt; atq; ; vt inde posteri Carmelitæ, dum agnouerint, quam de instituto Carmelitico optimus ille pater fuerit benemeritus, non obliuiscātur, quæ debent; debent autē singula (ita loquūtur) septimana Missam funebrem, & quotannis pridie Idus Augusti, supremi illius diei exequias repetere, ac iterare. 1561. die 14. Octobris.

V.

IOANNES Bertrandus Tolosanus Gallus, vir paruus quidē corpore: sed magnus virtute; in Parisiensi (quod vocant) Parlamento versatus; primo Episcopus Cōmingæ, & Archiepiscopus Senonensis, Ludouico Borbonio Card. Senonēsi vita functo, anno salutis 1557. & Galliarum Primas factus est, atq; in gratiam Ducis Guisij, qui in Italiam; superatis alpium iugis, ab Henrico Secundo Gallorū Rege missus; in Pauli IV. subsidium, pro Palliano bello copias decem millium peditum, & duorum millium equitum Francorum adduxit; eodem anno Idibus Martij, dum esset Regni Franciæ sigillorum Custos; creatus est Presbyter S. R. E. Card. In Italiam postea veniens; quia absens sacram purpurā acceperat; Comitijs, quibus Pius Quartus renunciatus est Pontifex Summus, interfuit; à quo titulum S. Priscæ accepit, vnusq́; ipse inter octo eiusdem ordinis Patres integritate, & iustitia insignes, qui Vrbis Gubernatori (quem vocant) & Fisci procuratori, in causa Caroli Cardinalis Carafæ assisterēt, fuit ab eodem Pontifice deputatus. Qui postea Venetijs in Galliam rediens; pridie Nonas Decembris anno salutis 1560. Pōtificatus primo; moritur sepeliturq́; sub organo in Ecclesia S. Stephani ad Augustinianos, vbi ipsius monumentum, cum hoc elogio extat, quod reliqua ipsius præclara facinora lectori aperiet.

D.O.M.

D. O. M.

Ioanni Bertrando Tolosano, Senonesi Archiepiscopo, Card. Primario illis optimis, & maximis duobus Galliæ Regibus Francisco Primo, & Henrico Secundo carissimo; magistratus, & honores amplissimos, quos soli excellentiss. I. C. consequi possunt in patria, cũctaq; Gallia honorificè adepto; in Germaniam Legato; in Sabaudiã Prorege misso; tandemq; Procancellario facto; Cancellario etiam designato; cum Romam Pont. Maximi deligendi causa profectus; in Galliam Pio Quarto Pont. creato rediret, senio iam confecto; Venetijs morbo pridie Nonas Decembris oppresso. Iacob. Faber Tolosanus Casadei Abbas libellorum supplicum Regius Magister, summus amicus, & Bosthedonius Nepos M. P. quousq; hæredes pro tãti viri dignitate reficien. curabunt. M. dictante E. Palmelio Auditore suo anno 1560.

VI.

IOANNES Andreas Mercurius Messanensis; non quidem, vt Ioannes (de quo supra) corpore: sed sanguinis nobilitate paruus; eruditione verò, atq; cum primis singulari epistolarum rectè componendarum, ac grafice scribendarum ratione, magnus, qui; quasi alter Demosthenes; studio, & industria, quæ sibi natura bona fortunæ (quæ vocant) non dederat, comparauit; vt rectè dici de hoc possit, quod Valerius de illo. Alterum Ioannem Andream matrem; alterum industriã enixam fuisse. Is cum è patria; nata inter se, & quendam Tabellionem, sub quo literas exarabat contentione; Romam versus decessisset, ad Ioannem Mariam de Monte S. Sabini, tunc Sipontinum Archiepiscopum diuertit, qui hominis ingenium perscrutatus; non modo eo vsus est in conscribendis Epistolis, dum esset Archiepiscopus & postea Cardinalis: verum etiam, & in pertractandis quibusuis grauissimis ipsius negotijs, in quibus (erat. n. rerum gerendarum gnauus, & innata virtute animi conspi-

conſpicuus) cum apud omnes omnia ſibi, ex voto feliciter cõtingerent, gratiam Montani conſecutus; meruit, ipſo cedente, & apud Summum Põtificem pro eodem inſtante, à Paulo Tertio Sipont. Eccleſ. adminiſtrationẽ acciperet, quo Paulo vita functo, in eiusq; locum ſuffecto eodemmet Cardinale Montano Iulio Tertio nuncupato, Ioannes Andreas Meſſanenſis Archiepiſcopus; mox anno 1551. 13. Kal. Ianuarij S. R. E. Preſbyt. Card. tt. S. Barbaræ; poſt tt. S. Cyriaci ab eodem Pont. renunciatus eſt, qui cum præſaga quadam polleret prudentia, (vt dictum eſt) tanti ſemper fuit apud eundem Iulium Tertiũ; vt nulla res eſſet, quam non Pontifex, de eius conſilio perageret. Sub Paulo Quarto, ex S. Cyriaci, ad tt. SS. Quirici, & Iulitæ aſcendens, anno ſalutis 1561. Pij Quarti Pont. II. ætatis quinquageſimo, 4. Nonas Februarij, die Dominico, noctis hora tertia, Romæ in Apoſtolico palatio diem ſuum clauſit, ſepeliturq; in D. Marcelli. Inter innumera, quæ eius vitam cohoneſtant facinora; hoc præ cæteris inſigne memoriæ proditum eſt, quod ante obitum; vt ſuam erga pauperes, quibus ſe in Cœlis fęnerari non ignorabat; oſtenderet charitatẽ, octuaginta millia aureorum ipſis diſtribuenda, teſtamento ferunt reliquiſſe.

VII.

ROBERTVS Lucemburgenſis de Lenoncourt Gallus, nobiliſsimo natus ſanguine, vir literarum cognitione, morum grauitate, vitæq; ſanctimonia inſignis; ex Priore (quem vocant) Charitatis, poſt Aegydium Lucemburgenſem; Epiſc. Catalaunenſis electus eſt. Non dicam innumeras eius virtutes; patientiam, humanitatem, grauitatem, animi moderationem, & cæteras dotes, quas in bono Epiſcopo Doctor ille gentium requirit; vt iure meritò Iob patientia; humanitate Aegydium Abbatem; grauitate Agabitum Pontificem; ac poſtremò præ cæteris, inſigni animi moderatione, atque doctrina Auguſtinos, Baſilios, Hieronymos adæquaſſe communi omnium confeſsione diceretur. Quis verò poſſit egregia in eius

mune-

muneris administratione facta, non dicam complecti scribendo: sed percensere numerãdo? Profectò quanti ea faceret Paulus Tertius, non obscurè significauit, quando eum in sexta Cardinalium electione anno 1538. 13. Kal. Ianuarij absentẽ Presbyterum Card. tt. S. Anastasiæ; mox tt. S. Apolinaris creauit; qui postea ad Romanam Curiam profectus; ex Presbytero electus Episcopus Sabinus; Philippo de Lenócourt ipsius ex fratre Nepoti, qui à Sixto Quinto postea, vt huius de Sede Apostolica tam benemeriti memoriam interpolaret, factus est Sãctæ Rom. Eccl. Card. Catalaunensem Ecclesiam renunciauit; quod ipse defuncto Ioanne Cardinale de Lotharingia, Metensem Episcopatum à Iulio Tertio moderandum accepisset, in quo administrando, tam benignè, tam modestè, tamquè prudenter se habuit; vt boni Roberti nomen sit consecutus, & de ipso Metẽses; vt de integerrimo, ac maximè pio Præsule, vsq; nunc, & sentiant, & colloquantur; qui rectè etiam administratis Cathedralibus Ecclesijs Arelatensi, & Belluacensi, necnon post mortem Antonij Card. de Medon Metropolitica Tolosana; sanctisime vt vixerat moritur in Ciuitate Metensi anno salutis 1561. Pont. II. 4. Nonas Februarij, sepeliturq; in sacello, quod in Eccl. Maiori idem sibi construxerat, ac dotarat.

VIII.

CAROLVS Carafa Io. Alfonsi Montorij Comitis; inter Neapolitanos, sanguinis nobilitate longè Principis, nec non Pauli Papæ IIII. fratris filius natus est anno Sal. 1517. 4. Kal. Aprilis. Adoleuit is in familia Pompei Cardin. Columnæ; hoc mortuo, inter familiares Petri Aloysij Farnesij Ducis Castri adscitus est; deinde sub Marchione Vuastij in bello Pedemontano; tum sub Octauio Farnesio Duce, in bello Sueuiæ, ac Germaniæ, meruit, militari insignitus dignitate pugnare; sed orta (vt fit) inter ipsum, & equitem quendam Hispanum, de familia Manrica, de milite captiuo Ducis Albæ contentione; cum in Italiam rediret, Caroli V. Imperatoris man,

dato-

dato, ob id Tridenti detinetur per aliquot Menſes: ſed liber ſe tranſtulit ad exercitum Galli Regis, & ſub Petro Strocio in Bello Hetruſco militauit. Romam reuerſus habitũ Militarem S. Ioannis Hieroſolymitani, de manu Pauli III. 3. idus Octobris ſumens; Bailiuius Neapolitanus eiuſdem Militiæ, Io. Petri Card. Patrui rogatu, factus; nunquam hanc (quam vocant) Commendam pacificè (quia eandem Magnus Equitum Magiſter Fr. Georgio Adurno contulerat) poſſedit. Hunc idem Patruus ad Pontificatum aſſumptus, & Paulus IIII. dictus, anno 1555. VII. Idus Iunij, Cardinalem Diaconum SS. Viti, & Modeſti in macello Martyrum, totius rerum ſummæ præpoſitum, Legatum etiam Bononienſem, & Cancellariẹ Regentem declarauit; Legatus de latere poſtea in Galliam ad Henricum II. bis miſſus; vt niſi pacem inter ipſum, & Philippum II. Hiſpaniæ Regem componere poſſet; ad opem ſaltem pro Palliano bello Pontifici ferendam; etiam, atq; etiã adhortaretur; ab eodem non ſolum auxilium decem millium peditum, & duorum miliũ equitum obtinuit; ſed etiam ditiſsimum Epiſcopatum Conuennarum. In Italia è Gallis reuerſus; à Patruo Legatus de latere ad omnes Chriſtianæ Reipub. Principes, & ad ſingula quẹ declinaret loca deſignatus; Venetias; vbi nobilitatis priuilegio donatus fuit, petijt; vt Rempub. illam contra Hiſpanos armaret; Sequenti porrò anno, pace inter Pontificem, & Albæ Ducem compoſita; in Belgas ad eundem Philippum Regem, pro pace inter hunc, & Henricum Galliæ Regem, vel inducijs componendis, & domeſticis de Ducatu Palliano negotijs tractandis mittitur; in quo munere obeundo ſecum habuit Hugonem Boncompagnum, qui à Pio IV. Cardinalis creatus; Pontifex tandem maximus Gregorius XIII. dictus, euaſit, & Benedictum Lomellinum ab eodem Pio IIII. S. R. E. Cardinalem creatum. Cum poſtea Romam reuertiſſet, atq; ipſe, & alij Nepotes apud Pontificem male audiuiſſent; Pontifex conuocato Patrum conuentu, in eos vehementi oratione inuectus; reliquos Nepotes dignitatibus priuatos, in ſua Caſtella; Carolum

verò

verò à rerum cura, & Bononiensi legatione reuocatum; Vrbe exactum apud Lanuuium dimittit. Instante verò summi Pontificis morte; Romam veniens, in gratiam recipitur, atq; à semiuiuo benedicitur. Mortuo Pontifice conclaue ingreditur, ibiq;, eo potissimum, & Alfonso Carafa suffragantibus, Pius Papa IIII. Pontifex denunciatur, quo mandante 7. Idus Iunij 1560. quo die, quinto anno ante Carolus fuerat sacra purpura indutus; ipse, & Alfonsus ad Consistorium profecti; Ioannes item Caroli frater Alifanus Comes, cũ Leonardo Cardine, in Hadriani molem coniecti sunt, qui præter vnum Alfonsum, cũ quo paulo mitius actum est; rei capitis, ac lesę Maiestatis damnati sunt. Carolus in primis omnibus honoribus, ac dignitatibus priuatus; cum hoc à præpotentis Dei dextra commissorum vitæ anteactæ scelerum, pœnas sibi datas, animo ferret libenti; expiata conscientiâ, atq;, in criminum vęniam fusis ad Deum suspirijs, ac lacrymis; strangulatus; anteactam vitam, pacifica morte aliqua ex parte correxit. reliqui in Turris Nonæ carcere, capitali supplicio damnati; publicè ad Pontem Aelium expositi; & paulo post ad damnatorum sepulchra mandati; Romano populo (vt verbis aliorum vtar) maximè memorabile spectaculum præbuerunt. Cardinalis corpus in Aede publica S. Mariæ Transpontinæ sepulchro datum; mox ab eius familiaribus, ad S. Marię super Mineruam translatum, in familiæ sacello D. Thomæ Aqninati sacro conditum est. Horum causa iterum, sedente Pio V. cognita, agitataq;, iure medio; Carolus, ac reliqui in secreto Patrum Consistorio, eiusdem Sũmi Pontificis sententia pristinæ dignitati sunt restituti.

IX.

THADAEI Gaddij Aloysij filij Hetrusci Florentini, Nicolai Clementis PP. VII. Diaconi Cardinalis S. Theodori Nepotis ea fuit legũ scientia, & Doctoratus laureæ gloria; vt non multum sit illi, ad nomen illustrandum, de alienis studijs accersendũ; quam Pontificij, & Cęsariani iuris scien

tiam

tiam comitantur singularis prudentia, rerum vsus, & ad publicas, ac magnas res tractandas in primis aptum ingenium, & ad omnia magna à natura constitutum; vt virum præstantiorem, pluribusuè, aut maioribus animi bonis, magis ornatum vix illa sæcnla habuerint neminem. Ex Archiepiscopo is Consentino, à Paulo IV. anno sal. 1557. Idibus Martij, in 3. 10. Cardinalium creatione Presbyter Cardinalis tt. S. Syluestri in Campo martio renunciatur. Fuit hic Castri Riani Dominus, quod postea; ipso vita functo, Petrus Donatus Cæsius, Episcopus Narniensis S. R. E. Pij V. Pont. Cardinalis, pretio septuaginta millium nummorum ab hæredibus emit. Obijt Thadeus Cardinalis in ea Italiæ regione, quæ Mari Hadriatico contermina, Apulia nominatur in Abbatia S. Leonardi Ordinis militum S. Mariæ de Pruscia Theutonicorum, quæ ipsi; dum viuebat, commendabatur, die Lunæ 11. Kal. Ianuarij anno 1561. Pont. II. ex profluuio ventris, vomitus, & pituita. Corpus, ibi depositum; Florentiam postea translatum in Ecclesia S. Mariæ nouellæ Ordinis prædicatorum in pulcherrimo suæ familiæ sacello sepelitur, vbi hoc Epitaphium.

Thadæo Gaddio Aloysij filio S. R. E. Presbytero Card. quem ob eximias eius virtutes Pontifices maximi, cæteriq; Principes mirificè dilexerunt, maximosq; illi honores habuerunt. Nicolaus Gaddius fratri patrueli amantissimo, beneuolētiæ causa hoc sepulchrū statuit, anno 1577. Vixit annos XXXXI. Menses XI. Obijt 1561. 11. Kal. Ianuarij.

X.

FRANCISCVS de Turnone Gallus Lugdunensis nobilissimus Galliæ Regum affinis, ob singulares; præsertim, quæ in Christiano Pręsule requiruntur, virtutes; post Franciscū de Budè, concedente Summo Pontifice, necnon Francisco I. Rege, Bituricensis Archiepiscopus electus est, quæ dignitas illi ad maiores aditum patefecit; nam in eiusdem Regis gratiam, Bononiæ absens à Clemente Septimo, qui eò venerat, coro-

coronandi Caroli V. Imperatoris cauſa, anno 1530. 14. Kal. Aprilis, Presbyter Card. tt. SS. Marcellini, & Petri creatur. cuius opera; & ante, & poſt adeptam dignitatem (erat.n præſtantis ingenij, ſingularis prudentiæ, eximioq; rerum forenſiū vſu præditus) idem Franciſcus Rex, & eius ſucceſſores, ita vſi ſunt; vt totius Galliæ ſumma apud ipſum conſtituta videretur. Omitto Legationes apud Clementem VII. Paulum III. & Paulum IV. Summos Pontifices; ad Carolum V. Imperatorem, in diuerſas Orbis partes; ad alios Principes, innumeras, quas; ſi narrem, dies me deficiet. Pietatis verò, religionisq; ſtudiū, quis vnquam, vt par eſt; & copia verborum, & ſententiarum pondere queat; non dicam apertè demonſtrare: ſed ſub obſcurius adumbrare? Profectò; vt cætera prætermittam, illud mihi inſigne facinus; nulla ratione tacendum videtur; cum enim eſſet Lugduni; Alfonſum Salmeronem, & Paſchaſium Broëth Patres Societ. Ieſu, qui cum ex Ibernia, quo à Pontifice Paulo III. Nuncij Apoſtolici miſsi fuerant, reuerterentur; quod vigente bello inter Gallos,& Hiſpanos, exploratores falsò habiti eſſent, in vincula fuerant coniecti; non modò carcere liberauit; perhumaniter in domum ſuam ſuſcepit; verbis ampliſſimis exornauit: ſed etiam Societati in Gallijs Collegium erexit. O Heroëm omni ſæculorum memoria digniſsimum. meritò, te viuo, reſpub. Chriſtiana floruit; meritò te Iulius Pontifex, ex Presbytero SS. Marcellini, & Petri, Epiſcopum Sabinum creatum; Archiepiſcopū Lugdunenſem, cedente Hippolyto Eſtenſe Cardinale Ferrarienſe elegit; meritò te Pius IV. ex Epiſcopo Sabinenſe, Epiſcopum Cardin. Oſtienſem,& Veliternum, Collegijq; Decanum ob mortem Cardinalis Bellaij, denunciauit. Hic tandem à Catherina matre,& Franciſco II. filio Regibus, ad Regni conſulrationem; & vt vnus ex ipſius, & Caroli poſtea Noni Regis, ex tutoribus, quos vocant, eſſet, qui ſummo viri ingenio, atq; admirabili conſiliorum prudentia, & diuina (propè dixerim) rerum Ciuilium, ac forenſiū adminiſtratione, gaudere, ac frui, deſiderabāt; in Galliam accerſi-

cerſitus, itineribus defatigatus, & curarum moleſtijs preſſus, annisq; 79. grauis, ibi moritur menſe Aprilis anno ſal. 1562. Pont. III. Turnoniq; in Cathedrali ſepelitur. Ferunt, cum ali quando è Gallia in Italiam maritimo itinere pergeret; ipſius nauem velociſſimè maria ſulcantem à perexiguo piſciculo, Re mora dicto, retentam fuiſſe, huncq; captum illi demonſtratum fuiſſe; quo viſo, ille intellexit, quanta eſſet humanæ naturæ fra gilitas, ac miſeria, quam res perexigua, facillimo negotio ab incœpto curſu faceret deſiſtere. Franciſci Cardinalis laudes in Oratione Ioannis Pelliſonis Condricenſis, & Iacobi Cardinalis Sadoleti Epiſtolarum lib. 6. lectori, quia multæ, relinquimus videndas.

XI.

BARTHOLOMAEVS de la Cueua Hiſpanus, Illuſtriſſimi Alburquerque Ducis, primariæ, inter Hiſpanos nobilitatis viri, filius natus anno 1499. 9. Kal. Septēbris; cum multorum patrum laudes, quorum pietas, & prudentia in Chriſtia na repub. gerenda enituit æmulatus; virtute, & ingenio Sedi Apoſtolicæ ſummo vſui, ac decori in patria fuiſſet; à Paulo III. in decima 13. Cardinalium creatione, 14. Kal. Ianuarij anno 1544. Presbyter Cardinalis tt. S. Matthæi pronunciatus; Cor dubenſem Eccleſiam Cathedralem regendam ſuſcepit, in qua adminiſtratione; Diœceſi luſtrata; moribus emendatis; collapſa Eccleſiæ diſciplina erecta; pijs locis ædificatis; egentium inopia ſubleuata, in omnibus, quæ ſunt Paſtoralis numeris explicandis ita ipſius religio, pietas, liberalitas, prudentia, induſtria enituit; vt Philippus Hiſpaniarū Rex, cuius ingenij opera ipſe, vt Carolus V. pater in maximis rebus, ad Regnorum gubernationem vſi fuerant antea, eundem poſt Ferdinandum Toletanum Albæ Ducem, qui Neapolitanam Ciuitatem, ditionemq; Prorege cum ſumma omnium rerum poteſtate gubernaret, elegerit. Ibi Caroli V. Imperatoris vita functi funus amplum ipſe faciendum curauit; Fr. Hieronymo Seripando Ordin.

Ord. Eremitani S. Auguſtini Archiepiſcopo Salernitano, qui poſtea à Pio IV. Cardinalitia dignitate donatus fuit, in Cæſaris laudem orante. Sed, vt omiſſa ſingulari huius ſcientiarum cognitione, aliquid de ipſius religione, liberalitate, ac erga pauperes charitate dicamus; ſciendum eſt, Bartholomæum; cum Archihoſpitalis Incurabiliũ S. Iacobi in Auguſta de Vrbe Protector eſſet; viuentem multum illi profuiſſe; moriturum verò, maximam pecuniæ ſummam legaſſe, & vt in eadem Vrbe opus inſigne, ſtultorum. ſ. Hoſpitale erigeretur, auctorem fuiſſe. Accedunt præterea, quæ Bartholomæi virtutes non mediocriter exornant, ipſius monumenta pietatis, quæ in Eccleſia S. Crucis in Hieruſalem; cuius titulũ, poſt S. Bartholomęi in Inſula optauerat, extant. Qui Arelatenſis, per obitũ Cardinalis de Lenócourt vacantis; mox Sipontini Archiepiſcopatus adminiſtrator electus; quæ ipſius virtus in alijs rebus gerendis clara extitit, in ijs Eccleſijs moderandis longè magis enituiſſet; cum ætate. n. creſcebat pietats, religio, animi moderatio, ac prudentia; ni ſubita morbi vi oppreſſus Romæ pridie Kal. Iulij in ortu Solis, anno ſalutis 1562. Pōt. III. vitã cum morte, quinimò mortem cum vera vita commutaſſet. Eius corpus in Eccleſia S. Iacobi nationis Hiſpanæ ſepultum eſt, vbi in ipſius Templi aditu extat lapis ænęis literis inſculptus, cum hoc epitaphio.

D. O. M.

Bartholomaeus Cueua ab Illuſtriß. Ducibus de Alburquerque ortus, S. Crucis in Hieruſalem Presbyter Cardinalis, hunc locum ſibi ad ipſa Templi limina optauit.

Dominus propitius eſto mihi peccatori. Vixit annos 62. Menſ. 10. dies 6. Obijt anno ſalutis 1562. pridie Kal. Iulij.

XII.

IOANNES ex Sereniſsima, & ſemper clara ortus familia Medicea præclaris geſtis, & multis viris; toga, & armis inſignibus, & victorijs ornata, quæ diuerſas olim Græciæ Ciuita-

tes; nunc autem Hetruriam feliciter moderatur; Cosmũ Florentiæ, & Senarum Ducem, & Eleonoram Toletanam parẽtes habuit, in cuius gratiam; præterquam quod ingenio ipse valeret, & in iuuenili admodum ætate constitutus, præclarissimarũ virtutum suarum rutilantes radios emitteret, quæ magnum virum euasurũ prædicebant; à Pio IV. Pont. Maximo, item Mediceo, anno Domini 1560. pridie Kal. Februarij, Diac. Card. S. Mariæ in Domnica creatus; Cardinalitium Pileum Florentiæ, præsentibus Guidone Ascanio Sfortia Camerario, & Ludouico Lotharingo de Guisa S.R.E. Cardinalibus, qui; vt Cosmũ viserent, eò venerant; accepit; à quo etiam electus Archiepiscopus Pisarum, cedente Scipione Rebiba Presbytero Card. tt. S. Matthæi, ipsam Ecclesiam, de venia Pontificis Archiepiscopo Ragusino; donec sibi per ætatem eam liceret administrare, commendauit; cum verò, propter Tyrrheni litoris aèrem infectum, quò se contulerat; vt cum parentibus, Senarum statũ viseret, vel ex potione aquæ in cuiusdã rustici tegete apud Cãpiliam inuentæ; dum æstum, & sitim expellere tentat, in morbum mortalẽ incidisset; moritur Pisis anno salutis 1562. ætatis nouemdecim 12. Kal. Decembris, die Veneris. Corpus illius Florentiam delatum; in sacrario Ecclesiæ S. Laurentij, quã maiores sui ædificarant, sepultum est; vbi, & ipsius, & Garciæ fratris, & Mariæ epitaphium, quod sequitur, videre est.

Maria Saluiata Cosmi Medicis Florentiæ, & Senarum Ducis Mater; & Ioannes S. R. E. Cardinalis; vna cum Garcia fratre, ambo mirificæ indolis adolescentes, & eiusdem Cosmi filij hic ad tẽpus quiescunt.

In Cardinalis funere 7. Kal. Decembris in festo S. Catherinæ eiusdem anni, in eadem D. Laurentij Aede celebrato; Petrus Victorius Orator egregius latinam habuit orationem, quæ est inter ipsius epistolas, & orationes, quam si quis legat; non poterit in egregij adolescentis laudes non venire.

HER-

XIII.

HERCVLES Gonzaga Italus Mantuanus, Francisci clarissimi Mantuæ Marchionis, necnon Isabellæ Estensis filius, natus est anno Domini 1505. 10. Kal. Decemb. die Sabbathi, hora *6.* post meridiem. Is Bononiæ Philosophiæ, ac Theologiæ studijs operam dedit, & adhuc iuuenis (nondum enim secundum, & vigesimum annum attigerat) Ecclesiã Mantuanam administrandam suscepit, quam; & si iuuenili ætate: tamen senili maturitate felicissimè rexit, ac de nouo redintegratam restaurauit, cuius præclaram administrationẽ cum audiuisset Clemens Septimus, anno 1527. 5. Nonas Maij, die Veneris; eum in amplissimum Cardinalium Collegium cooptauit, fecitq; Diaconum Cardinalem S. Mariæ nouæ. Is interfuit cum sapientissimis viris in conuentu Parmæ habito, qui pro liberatione Sũmi Pontificis, à militibus nefarij Borbonij Ducis in Hadriani mole obsessi, deliberabant. Cum verò eiusdẽ Clementis apud Carolum Quintum Legatum ageret, eundem Carolum Bononia, vbi aureum Imperij Diadema de manu Pontificis susceperat; Genuam vsq; comitatus est. Anno 1540. mortuo Federico I. Mantuæ Ciuitatis Duce; Ducatus, & filiorum defuncti tutor relictus; eum Statum, ac Nepotes sibi commissos, prudenter annis sexdecim gubernauit, cuius administrationis modum accepit à Iacobo Cardinale Sadoleto, conscripta epistola, quæ in lib 15. epistolarum extat, in qua multa Sadoletus de Herculis virtutibus, qui sub Paulo Quarto Presbyter tt. S. Mariæ nouæ, & Archiepiscopus Tirasonensis factus; ipso Pontifice vita functo, dum Comitia Romæ, pro successore deligendo, haberentur; parum abfuit, quin Summus Pontifex eligeretur, quo anno. s. 1559. & sequẽtibus duobus; cum in Gallia Cisalpina rerum omnium annonæ caritas esset exorta; Hercules; vt erat pius, & in pauperes liberalis, quinquaginta millia aureorum, in ipsorum inopia subleuãda erogauit. Episcopatus etiam Fanensis administrator declaratus, quã Eccl. F. Pe-

tro Bertano Ord. Prædic. posteaS. R. E. Card. renunciauit. Legationis Campaniæ anno 1561. munus obiuit. Demum à Pio Quarto successore, qui Synodũ vniuersalem in Tridentina Ciuitate iterum conuocarat; primus Legatorum, & Præsidentiũ pro sancta Sede Apostolica, cum Fr. Hieronymo Seripando Neapolitano, & Stanislao Hosio Polono S. R. E. Cardinalib. quibus non multo post Pontifex Iacobum Simonetam, & Marcum Sitticum Altempsium sororis filium Cardinales ab ipso creatos, Legatos adiunxit; illuc missus, 15. Kal. Februarij anno 1562. quo die indictum fuerat Concilium, Oratoribus Principum, & Patribus, qui eo loci conuenerant; elegantissimam habuit orationem, qua eos; prout fidei necessitas vrgebat, ad Concilium ritè ineundum adhortabatur, ibi tandem febri correptus anno 1563. 6. Nonas Martij, die Mercurij, hora noctis sequentis 4. ætatis 58. sanctissimè, vt vixerat, moritur; scripto antea (quod vocant) testamento, quo sex millia aureorum Mõti Pietatis, cui antea septẽ millia dederat, quatuor millia patrib. Societatis Iesu, & viginti quinque millia familiaribus distribuenda legauit, cuius corpus Mantuam delatum, in Sacrario S. Petri sepelitur, affixo in marmore sequenti elogio. Orauit in ipsius funere Bernardinus Perciuallus I. C. sua ætate clarissimus.

Herculis Gonzagæ Cardinalis, & Episcopi Mantuani magni cõsilij, magnæq; prudentiæ viri, dum sacro Concilio Tridentino Præsidet vita functi, cadauer.

Hic vir, vt verbis Sadoleti vtar, in maxima nobilitate mansuetudinem; in amplissimis, domesticisq; copijs modestum earum vsum; in corruptis temporum moribus æquitatem, temperantiam, moderationemq; animi præstitit, & exhibuit semper.

HIERO.

XIV.

HIERONYMVS Scripandus Italus Neapolitanus nobilis, patrem habuit Io. Ferdinãdum; matrẽ verò Isabellam Galeottam. Adolescens adhuc Ordini Eremitarum Sãcti Augustini se adscripsit, vbi omnium disciplinarum; præsertim sacrarum literarum,& linguarum latinæ, hebraicę, græcæ, caldaicæ cognitioni, ac studio; his omnibus adiuncta morum integritate, vitæq; sanctimonia, operam dedit. Romam postea cum venisset;apud Egidium,tunc religionis Generalẽ Priorem, deinde S. R. E.Cardinalem,à secretis fuit; & mox totius Religionis Cancellarius. Bononiæ in Philosophiam, ac Theologiã incubuit, vbi suscepta Doctoratus laurea; in priuato fratrum studio Lector, ac Magister euasit. Omitto eius in sacra Theologia excellentiam, & in Dominico verbo prædicando vehementiam, ob quas singulares virtutes, mortuo fratre Ioã. Antonio Theatino, Ordinis Magistro, Paulus Papa III. Generalem hunc ipsius Ordinis Vicarium Comitijs,quæ futura erãt, denunciat, quæ Comitia,cum habita essent Neapoli an. 1539. 8. Kal. Iunij; in his Prior Generalis declaratus est, cui etiã ob eximias dotes annis 1543. & 1547. in Comitijs Romæ, & Recineti tunc celebratis, bis per quadriennium idem officiũ prorogatum est. Anno 1551. cum in paraliticũ morbum ob exantlatos labores incidisset, & Bononiæ, quo conuenerant Patres; interesse non posset; literis, & nuncio eo munere se abdicauit, cuius abdicationis causas,quas in illis Comitijs Aurelius Rocca recitauit, apud Signiæ Episcopum in ipsius Ord. Eremitani chronico,videre est. Quieti igitur, atq; vero otio vacãs; oblatum sibi à Carolo V. Romanorum Imperatore Aquilanũ Episcopatum, constanter recusauit, apud quem postea, cum in Belgas Neapolitanæ Ciuitatis esset Orator; Salernitanum Archiepiscopatum, ob mortem Alóysij de Torres vacantem suscipere; ipso Carolo V. instante, coactus est, in cuius Imperatoris defuncti laudes Neapoli, dum ibi anno 1559. solemnes exe

quiæ celebrarentur; Bartholomæo Cardinale de la Cueua Ciuitatis Prorege mandante, elegantissimam habuit orationem italicè, quam postea latinè compositam posteritati reliquit. Hieronymus Romam à Pio IV. vocatus anno Domini 1561. Pont. II. 4. Kal. Martij, die Mercurij, Presbyter Card.tt.Sanctæ Susannę; & paulò post sacri œcumenici Concilij Tridentini ab ipso iterum indicti, vna cum Cardinalibus, de quibus supra, pro Sede Apostolica Præsidens, & Apostolicus de latere Legatus creatur, cui Cōcilio antea sub Paulo Tertio an. 1546. Tridenti, Bononiæq; anno sequenti, quo translatum illud fuerat; dum Prior Eremitarum esset, interfuerat. Ibi pestifera febre correptus, anno 1563. 16. Kal. Aprilis, die Martis, hora 23. dimidiata, dum annum ætatis septuagesimum, & vltra ageret; animã egit, cuius corpus in D. Marci Templo apud eiusdem Ordinis Fratres depositũ, cum elogio, de quo infra; trãslatum postea Neapolim, in D. Iacobi de Carbonaria Eremitani Ordinis, Templo conditum est.

Hieronymo Seripando Cardinale Concilij Tridentini Legato, Christophorus Patauinus Sodalitij Eremit. Magister P. Vix. annos LXX. Mens. 5. dies 11.

Si quis honos Tumuli, quantum Sol lampade lustrat,
Terrarum, Cœliq; tuum est Seripande sepulchrum.

Hieronymus doctè, & eleganter Cõmentaria in omnes Diui Pauli, & septem Canonicas Epistolas; Expositioné in Quadragesimalia Euangelia; Quæstiones aduersus nostri temporis hæreses; De hominis iustificatione; De peccato originali; Orationes; Sermones; & diuersarum materiarum prædicabilium libros nonnullos conscripsit, quæ opera Neapolis apud Patres Eremitanos in Bibliotheca S.Ioannis de Carbonaria ab ipso extructa, & libris scientiarum omniũ, & impressis, & manuscriptis referta, extare affirmat Episcopus Signius in Ordinis

nis, Eremitani chronico, ex quo huius laudes, à Hieronymo Garimberto, & ex epiſtola Hieronymi Roſſelli ad Philippum Secundum Hiſpaniarum Regem ſcripta, quæ lib. 3. epiſtolarum Principum extat, quiuis poterit delibare.

XV.

IACOBVS Puteus Gallonarbonenſis nobilis Nicienſis, ortus anno Dom. 1497. 5. Idus Februarij, die Mercurij, vbi ſapere cœpit; legum ſtudio, ita ſe dedit; vt paruo temporis interuallo I. V. Doctorum ſui temporis longè Princeps extiterit. Hic poſt multa officia, priuatosq; honores in Romana curia apud quoſdam Cardinales; præſertim apud Petrum Acoltum Cardinalẽ Anconitanum, cuius diù Auditor fuerat, honorificè ſuſceptos, à Paulo Tertio Auditor Rotæ delectus; munus idem per quindecim annos obiuit, maxima ſui cum laude; donec à Iulio Tertio, cui ante Põtificatum, amica neceſsitudine ſe adiunxerat. Ex Rotæ Decano Archiepiſcopus Barenſis electus eſt, eiusq; opera in rebus perarduis, & difficillimis Pontificatus negotijs vſus eſt, quæ omnia cum ſacra Pontifex purpura digna videret; anno Domini 1551. 13. Kal. Ianuarij; Iacobum creatum Presbyterum tt. S. Simeonis, ad Cardinalatus faſtigium euexit; & vna cum Io. Baptiſta Cicada tt. S. Clementis Card. ad reuidendas, & recidendas bonorum Eccleſiaſticorum alienationes, contra formam conſtitutionis, olim fœlicis record. Pauli Papæ II. factas, & anno 1554. ad liberanda bona emphyteotica, cenſus, & canones quarumcunq; Eccleſiarum, & piorum locorum in Dominio S. R. E. exiſtentium, deputatus eſt. Sub Paulo IV. ad titulum S. Mariæ in via translatus; Signaturæ, modo Gratiæ, modo Iuſtitiæ ab eodem Pont. & ſucceſſore præficitur, qui etiam mortuo Pontifice parum defuit; quin Pontifex ſummus declararetur. Sub Pio Quarto Protectiones Regni Poloniæ; item Ordinis Militaris S. Ioan. Hieroſolymitani, & Religionis Carmelitanæ ſuſcepit; ad ſacroſanctamq; Tridentinam Synodum Legatus, & Præſidens pro

Sede Apostolica, in Hieronymi Seripandi Cardinalis mortui loco designatus; dum itineri se accingit, subita aurium reuerberatione oppressus; Rome anno 1563. 6. Kal. Maij, die Lunæ moritur, & in Ecclesia S. Mariæ super Mineruam sepultus est, vbi in pauiméto ante Altaris Maioris gradus in lapide marmoreo sequens elogium cęlatum legitur.

D. O. M.

Iacobo Puteo Niciensi S. R. E. Presbytro Card. præcipuo, ac integerrimo viro, qui summā I. V. scientiam, ita, cū summa probitate coniunxit; vt vnus Reipub. constituendæ, disciplinæq; veteris reuocandæ præcipuus auctor, votis bonorum expeteretur. Vixit ann. LXVIII. Mens. 2. dies 15. Obijt 6. Kal. Maij. 1563. Antonius Puteus Archiepiscopus Barensis Nepos posuit.

Qui copiosius Cardinalis Putei descriptas virtutes requirit; Francisci Scantij I. C. Mediolanensis laudationem in ipsius funere habitam legat.

XVI.

QVID modo dicam de Odetto sanguine quidem maximè nobili: sed factis, ac rebus gestis summe ignobili? non.n. video, cur malè gesta veritati debeant anteponi; quandoquidem elogia hæc nostra sunt quędam specula, quibus homines; non modo eorum, quorum laudes insinuamus, virtutes debent imitari; sed etiam vitia detestari. Odettus igitur Collinius de Castillione Gallofrancus nobilissimus natus est anno salutis 1523. Kal. Februarij, die Dominico, Patrem habuit Marescallum Castillioneum; matrem verò, sororem Annei Memoransij Magni equitum Magistri Galliç Regis; fratres Gasparem ordinis S. Michaelis equité Dynastam Regni, & Andelottum Collinios Primariæ nobilitatis viros, præcipuosq; Hugonotarum fautores. Is post Carolum de Villers; quia

quia erat vir multiplicis doctrinæ; peritia admirabilis; industria, & ingenio singularis; & cum primis ad omnia quæq; munia; præsertim verò ad populos ritè cõstituendos, maximè idoneus; Ecclesiã Bellouacẽsem, summo Pont. ac Francisco I. Rege deferẽtib. administrauit, factus Ciuitatis Comes, & Par Frãciæ, qui eodem Rege petente, à Clemente VII. Massiliç, quò vt solennibus Henrici Regis filij, & Catherinæ Mediceæ Laurentij filiæ; inter quos matrimonium fuerat contractum, nuptijs interesse venerat, cum alijs tribus in Purpuratorum Patrum numerum adscriptus anno 1533. 7. Idus Nouembris, die veneris Diaconus Cardinalis SS. Sergij, & Bacchi; postea à Iulio III. S. Hadriani, creatus; Archiepisc. Tolosanus electus est. Hic, vt erat ingenio temerario; fratribus suis, & Ludouico Borbonio Condensi Principi; Antonij Vendosmi Nauarræ Regis fratre adhæsit, qui ab Henrici Regis infausta morte, Francisci II. & Caroli IX. Regum puerili ætate abutentes; quia ægreferebant Guisiorum remis, qui Regis tutores erant, & Consiliarij; totam Regni nauim impelli, atq; secunda eorum voluntate, tanquam suaui Zephyro spirante, fælici cursu vehi, perturbandæ; necnon etiam, auitæ religionis mutandæ auidi; nefariè Catholica loca rapinis agitare; incendijs minuere; cędibus, & cladibus, multorum internicione euertere labefactare cœperunt, & idem anno 1562. Hugonotarum labe maculatus, cum illorum protector factus esset, sacram purpuram (proh summũ scelus) despiciens, ac Principis secularis nomen sumens, Comes Bellouacensis, communi consensu, voluit appellari: qua re Pius IV. audita; literis sæpè de errore monere; de Archidiaconatus Ecclesiastici dignitate hortari; atq; vt tandem resipisceret, orare, cuius literas, cũ; non minus, quam Fidem orthodoxam ille negligeret; Pontifex anno 1563. Pridie Kal. Aprilis, die Mercurij, secreto Patrum consistorio Romæ coacto, Cardinalitia dignitate, Bellouacensi, S. R. E. Archidiaconatu, & alijs Sacerdotijs priuatum; censurarum Ecclesiasticarum vinculis innodatum; atq; hęreticum declarauit, quibus intellectis Odettus;

tus; purpuram ſacram, quam antea dimiſerat, iterum ſuſcipit, atq; illo habitu in contemptu Eccleſiæ Apoſtolicæ (facinus indignum) vxorem duxit. Verum Pij V. diligentia factum eſt, vt non modo habitum dimiſerit, atq; ab incœpto ſcelere deſtiterit; ſed etiam loco à Conſilijs regijs fuerit priuatus. Tandem in Anglia, quo ſe contulerat; non ſine veneni ſuſcipione perijſſe dicitur, anno 1568. die Sabathi. 16. Kal. Martij, ætatis annorum 46. Cantaurieq; ſepultum.

XVII.

INTER illuſtres Prælatos, & S. R. E. nominis celebritate, rerum præclarè geſtarum gloria Antiſtites inſignes, merito celebrandus eſt Rodulphus Lionellij filius, ex illuſtriſsima Pia familia, quæ in Carpenſibus, Meldulanis, & Sarſinenſibus Italiæ populis per multos annos dominata eſt, qui quã; ſi quam tamen Ordini: immo ſibi ipſi, dum Eccleſiaſtica dignitate pollet, maculæ notam inurit Odettus; virtutum ſuarum ſplendore ad omnem obliuionem propulſauit, natus anno 1500. die Lunę 6. Nonas Martij. Is à primis, vt dicunt, vnguiculis, in diſciplinis liberalibus patris ſtudio educatus, Patauij commoratus; breui ſcientiarum gloria, morum ſuauitate, & vitæ integritate omnes ſuos coætaneos in Gymnaſio commorantes ſuperauit. Romam tantarum virtutum fama, quæ iam extremas orbis terræ partes peruaſerat, accerſitus à Clemente VII. cum Lionelij patris opera, ipſe, & Leo Pontifex in perarduis Eccleſiæ negotijs, & maximè in Piceni Prouincia in Romanæ Eccleſiæ fide retinenda, vſi eſſent; poſt alios Eccleſiaſtici ordinis minores gradus, Legatione apud Cæſarem, & Epiſcopatu Fauentino condecoratus eſt. Hunc Paulus III. Clementis ſucceſſor, cui Rodulphi dotes non erant ignotę, quem in Galliam; vt cum Franciſco Rege, de indicendo Concilio ageret, miſerat, 11. Kal. Ianuarij anno 1536. ex Epiſcopo Agrigentino, Presbyterum Cardinalem tt. S. Priſcæ; mox tt. S. Clementis; poſt S. Mariæ Tranſtiberim tt. Calixti creauit, à quo Legatus etiam, quin-

quinquies declaratus. Primò, anno 1537. pro componenda pace ad Imperatorem; Secundò sequenti, ad eundem Francorum Regem, vt eandem pacem inter ipsum, & Cæsarem, vel saltem inducias componat, in Galliam proficiscitur, cuius opera Niceæ Rex Pontificem adijt, quo etiam Cæsar se contulerat, inter quos per nouẽ annos induciæ firmatæ sunt; Tertiò ad Piceni Prouinciam moderandam anno 1539. vbi nonnulla suæ industriæ, & pietatis monumenta reliquit; & in propugnaculo portus Anconitani; & in S. Lauretana Domo sacellum constructum, ornatum, dotatumq́; ; præter id, quod silentio prætereundum nullo pacto mihi visum est, quod Constitutiones ab Egidio Albornotio Episcopo Card. Sabinense pro ipsius Prouinciæ trãquillo statu editas; ipse, vt Prouinciç, & subditorũ vtilitati prouideret correxit, deliniuit, dilucidioresq́; reddidit, ac faciliores; has Paulus confirmauit, non mediocri laudabilẽ Rodulphi operam afficiens commendatione; Quartò Ponfice Lucam ad Imperatorem, pro summis rei Christianæ negotijs profecto; Romæ Legatus ab eodem relinquitur; & Quintò eadem Almæ Vrbis Legatione ornatur anno 1543. quando Pontifex eũdem Carolum apud Buxetum excepit, pro felici Regnorum statu, necnon Catholicæ fidei exaltatione, in quibus legationibus talem se præbuit; vt eximiam virtutem, prudentiam, & rerum gerendarum experientiam omnes magnopere fuerint contestati. Sub Iulio III. ex Presbytero tt. Calixti, factus Episcopus Cardinalis Albanus; mox Tusculanus; Legatus ad Carolum Imperatorẽ pro rebus Parmensibus designatus, quo non se contulit; in Patrimonij Legatione Ranutio Farnesio S. Angeli Cardinali successit. Quid multis? tanta quarumcunq; dignitatũ gloria dignum se præbuit; vt Pontifices ipsi (propè dixerim) de honoribus illi deferendis certasse videantur; à Paulo.n.IV. ex Tusculano Episcopus Portuensis, & S. Rufinæ; sub Pio IV. Ostiensis, & Veliternus, sacriq́; Collegij Decanus, ob mortem Francisci Cardinalis Turnonij, & Archiepiscopus Salernitanus post Hieronymum Cardinalem Seripandum, supremusq́;

musq́; Hæreticæ prauitatis Inquiſitor factus eſt. Rodulphus ſacræ Lauretanæ Domus Protector, ibi; vt Patres Societatis Ieſu, ob præclaras res alijs in locis geſtas; peregrinorum confeſſiones audirent, &; vt eiſdem Patribus Collegium extrueretur, auctor fuit. Extitit hic idem Protector Hoſpitalis S. Hieronymi Illicorum, atq; Ordinis S. Franciſci; Patres Capucinos fouit, eorumq́; inſtitutum in ipſius enaſcentis primordijs inuida detractione depreſſum erexit, ac apud ſummũ Pontificem, Cardinalesq́;; donec approbatum eſt, indefeſſa cura, atq́; auctoritate defendit. Vir; vt ſemel omnia complectar; eximię in Deũ pietatis, & maximo rerum vſu præditus, Pontificatuq́; digniſſimus ab hominibus habitus; & ſi hanc dignitatem, quam omnes illi concedebant, morte pręuentus non potuit obtinere. Obijt Romę die Martis 6. Nonas Maij, hora XXII. anno Domini 1564. Pont. IV. ſepultusq́; eſt in templo Sanctiſsimę Trinitatis in Monte Pincio, vbi marmoreum extat ſepulchrum cum hoc elogio, atq; ipſius ad viuum expreſſa effigie. quo eum Pius V. vt quanti hunc faceret demonſtraret, donauit.

Qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt.

Rodulpho Pio Card. Carpenſi, Principi Senatus, ampliſsimis Eccleſiæ Dei muneribus, ſingulari prudentia perfuncto, iuris Eccleſiaſtici defenſori; à gratia, terrore, voluptatum illecebris, & aduerſis ſenſibus æquè inuicto; ad beneficentiam nato, in ſumma grauitate iucundiſsimo; Pius V. Pont. Max. ſalutaris Officij in cuſtodia Catholicæ veritatis conſorti, perpetuis de Chriſtiana Rep. ſenſibus, ſtudijsq; coniunctiſsimo; hoc amoris, & iudicij ſui monumentum poſuit anno ſalutis 1568. Pont. III. Vix: annos 64. Menſes 2: dies 8. Obijt anno ſalutis 1564. 6. Nonas Maias.

XVIII.

XVIII.

RODVLPHO ſuccedit ſeculi noſtri ſplendor, Guido Aſcanius Sfortia illi nullatenus ſanguinis nobilitate, aut virtutum præſtantia inferior; nobilitate ſiquidem fuit Romanus, Boſij S. Floræ Comitis,& Conſtantię Petri Aloyſij Farneſij, Parmæ,& Placentiæ poſtea Ducis ſororis, filius; Alexādri Pij Papę Quarti Card. frater; Frāciſci Gregorij XIII. item Cardinalis patruus, natus anno 1518. 7. Kal. Decembris, die Iouis, qui ob virtutum prętantiā ab Auo Pontifice Paulo Tertio, dum 16. tantum ætatis ageret annum, Bononiæq; in Collegio Farneſianæ familiæ, à Petro Ancarano eiuſdem familiæ I. C. olim inſtituto, literis operam daret; in Cardinalium numerum anno Domini 1534. 15. Kal. Ianuarij, die Veneris Diaconus SS. Viti, & Modeſti in Macello Martyrum; poſt S. Mariæ in Coſmedin; deinde S. Euſtachij, adſcitus eſt; & ſequenti; vt potè integritate ſingularis, humilitate conſpicuus, pietate incomparabilis, & quouis honorum genere maximè dignus; adminiſtrator Eccleſiæ Parmenſis, Bononiæq;, & Aemiliæ Legatus; & defuncto Auguſtino Cardin. Spinola, S. R. E. Camerarius factus eſt. Accedit ad pacis, togæq; artes; incredibilis etiam rei militaris peritia; & mirificus ad populos, ac Principes conſiliandos modus; & ob id anno 1540. ab eodem Pontifice, vna cum Hieronymo Capoferreo Theſaurario generali, poſtea Cardinale, ad bellum contra Turcas Pannoniam, fines Germaniæ, & Italiam inuadere tentantes, ſuſtinendum; & extinguendum ad hoc Canones Cameræ Apoſtolicæ, Eccleſiæ Romanæ,& aliorum piorum locorum in dominio exiſtentium, deputatur; à Iulio III. ex Diacono S. Euſtachij, ad S. Mariæ in via lata Diaconatum tranſlatus; ab eodem Parmam ad Octauium Farneſium fratrē, mittitur, vt pro rebus Parmenſibus, antequam Pontifex bellum ſuſciperet, aliquid conſilij capiat. Paulo IV. ſedente, cum protectionem Hiſpaniæ ſuſcepiſſet, ipſius opera tandem pax inter ſummum Pontificem, & Philippum II. Ca-

II. Catholicũ Regem inita est,atq; composita. Omitto varias in Ecclesia ei delatas dignitates, sub Pio.n.IV. primus inter Sanctæ Rom. Ecclesiæ Diaconos Cardinales;fuit, & S. Mariæ Maioris de Vrbe Archipresbyter, quo in Templo sacellum pulcherrimũ ædificare, & ornare incœpit, quod postea, cum morte præuentus esset, Alexander Cardinalis perfecit; cui etiam in Cremonensi territorio: in Diœcesi tamẽ Parmẽsi, seu in oppido Cãneti agri Mantuani (vt alijs placet) ætatis annorum 46. dum loca suæ Ecclesiæ subiecta visit. Nonis Octobris an. 1564. Pont.V. vita functo; nobilissimum marmoreum tumulum,cum effigie, & epitaphio, de quo infra, vbi, & ipsius corpus Romã portatum, cõdidit, fraternæ pietatis non immemor,& è regione aliud simile sibi ipsi idem Alexander poni curauit.

D. O. M.

Guidoni Ascanio Sfortiæ Cardinali Pauli III. Pontificis Max. nepoti, Bononiæ, & Flaminiæ Legato, atq; huiusce Basilicæ Archipresbytero; Alexander Card. Sfortia fratri desideratissimo. Vix. annos XLV. Menses 10. dies 12. Obijt anno Salutis 1564. nonis Octobris.

XIX.

ET quoniam de celeberrimis Præsulibus sermo cœpit; se se mihi offert,omni encomiorũ genere celebrãdus, CHRISTOPHORVS Hetruscus Aretinus ex familia de Monte, Iulij Papæ III. patruelis frater, qui ab eodem Iulio, ex Calij Episcopatu; post Massiliensi; & Patriarchatu Alexandrino, quibus eum dignitatibus insigniuerat, quia; non diligendus modo: sed complectendus, colendusq; ab omnibus erat, ob summã religionem, ingenij acumen, ad studia ardorem, mansuetudinem in omnes, & singularem quandam liberalitatem in egenorum inopia subleuanda, anno 1551. Pontificatus II. 13. Kal. Ianuarij, die Veneris, in tertia Cardinalium ordinatione Presbyter

byter tt. S. Praxedis creatus; meruit ad Cardineæ dignitatis apicem sublimari; & cùm esset vir eruditus, ac rerum vsu, atq; experientia insignis semper in consilijs, & curis Pótificatus eidem Iulio extitit. In Domino quieuit is in oppido S. Angeli in Vado propè Vrbinũ, die Mercurij, 8. Kal. Nouembris, anno à partu Virgineo 1564. Pont. V. ætatis octuaginta, & amplius. Corpus ibi ante gradus Maioris Aræ Ecclesiæ S. Angeli, cuius fuerat Archipresbyter, sepelitur; in qua nõ pauca ipsius in Deum monumenta extant, & inter hæc, sacellum ab eodem splendidè ædificatum; Turris, Domusq; ipsius restituta; & extra Castrum, Oratoriũ S. Rocho dicatum, ad elegantem formam redactum, vbi in marmore insculpta hæc leguntur.

Hæc requies nostra in sæculorum sæcula.
Et erit in pace memoria eorum.

XX.

SEquitur modo FEDERICVS ex nobilissima familia Cæsia, inter Romanos primaria natus anno 1500. Kalendis Iulij. Hic, adolescens legum studijs, omnibus (quod aiũt) neruis incubuit; sciebat videlicet magnã omnino vim, magnũq; momentũ positum esse in literis; præsertim verò in legibus, ad cõseruandas, bonisq; omnibus cumulandas Ciuitates; cum felicitas publica, ad quã humana omnia referenda sunt, è singulorum Ciuium felicitate constet; singulorum autem felicitas, in exercenda, excolendaq; virtute sita sit; & propterea in illis, (si quid Andreæ Alciato Iuris consultissimo credimus) admirabiliter excelluit, huius frater fuit Paulus Cæsius, ipse etiam S. Eustachij Leonis Papę X. Cardinalis, ob cuius singularia, ac Illustrissimæ suæ familiæ in Sedem Apostolicam merita; Federicus ex Episcopo Tudertino; à Paulo Tertio anno 1544. in 10. Cardin. ordinatione 14. Kal. Ianuarij, sacra purpura cohonestatus, S. Pancratij titulum; & post sub Iulio Tertio Cremonensem Episcopatum, Francisco Cardinale Sfondrato, cedente,

dente, vel(vt alijs placet)decedente, administrandum suscepit; atq; è titulo S. Pancratij, ad S. Priscæ ab eodem translatus; à Paulo IV. ex Presbytero electus Episcopus Cardinalis Prænestinus; à Pio IV. ex Prænestino, Albanensis; mox Tusculanus; postremò Portuensis, & Sanctæ Rufinæ factus est; primusq; electus est inter octo purpuratos Patres, qui causæ Caroli Cardinalis Carafæ Iudicibus assisterēt. Pontifice, hoc idem permittente, Cremonensem Ecclesiam Nicolao Sfondrato, quēm à Gregorio XIII. Card. creatum; Vrbano postea VII. vita functo, vidimus successisse; renunciauit. Sed, vt facilius vnusquisque cognoscat, quam dignè, & quam meritò, quos recensuimus, habuerit honores; in mentem sibi reuocet pręclaras illas Federici virtutes, singularem in homines humanitatem; in pauperes liberalitatem, & eximiam in Deum pietatem, quam quidem, vel ipsum Templum D. Catherinę virgini, & martyri sacrum, in Alma Vrbe, Virginibus miserabilibus (quas vocant) incolendum ab eo instructum, satis loquitur, satis prædicat, satis in omnem æternitatem commendat. Silentio inuoluo in eadem Vrbe sacella duo, quorum alterum in S. Mariæ Maioris, vbi Paulo Cardinali fratri, de quo supra; marmoreū cum ænea effigie posuit monumentum; alterum in S. Marię Annunciatæ de Pace, statuis, parijs columnis, necnon pulcherrimis ab excellentissimis artificibus pictis imaginibus, ornatum, dotatūq; videre est. His virtutum, atq; in primis pietatis suæ æternis testimonijs relictis; Obijt Romę 5. Kalē. Februarij, hora noctis 8. anno Salutis 1565. Pontificatus Pij Quarti, Sexto. Corpus eius delatum ab Aede D. Catherinæ; sepulturę traditur in D. Mariæ Maioris Tēpli sacello ab eodem erecto, mausolęo marmoreo, cum ænea effigie, atque hoc elogio ab Angelo Cæsio Nepote donatus.

D. O. M.

Federico Cæsio S. R. E. Cardinali Portuensi, qui hoc sacellum, & alterum

alterum in Aede D. Mariæ Pacis, ac Templum D. Catherinæ Virginum miserabiliũ fundauit, & dicauit. Angelus Cæsius patruo optimo posuit. Vixit annos LXIV. Menses 6. dies 27. Obijt 5. Kalẽ. Februarij 1565.

XXI.

OCcurrit etiam post Federicũ, natura, ingenio præditus, eruditus studijs liberalium doctrinarum; diuturno, assiduoq́;, magnarum rerum vsu peritus, alter FEDERICVS Gõzaga clarissima editus sanguinis propagine Federici Primi Mantuæ Ducis, & Margaritæ Paleologæ Montisferrati Dominæ filius, natus an. 1540. Posthumus, & ob id patris nomine vocatus. Hic sub Herculis Gonzagæ Cardinalis, & Episcopi Mantuani patrui tutela relictus, eius virtutes imitatus, Bononię, vbi literis operam dedit, breui liberalibus disciplinis eruditus; sic disciplinas, cum virtutibus coniunxit; vt sacris iam initiatus; non modò dignissimus habitus sit, qui à Pio Quarto, anno 1563. 8. Idus Ianuarij, die Mercurij, Festo Epiphaniæ Domini, in Congregatione Generali factus Presbyter tt. S. Mariæ nouæ in cœtu Cardinaliũ cooptaretur; verum etiam idoneus sit iudicatus, cui; quamuis esset annorum vigintiquatuor tantùm, Cathedralis Ecclesia, quę non nisi ætate maturis patribus præscribitur; cui inquam, Ecclesia Mantuana, quæ ob mortem Herculis patrui, qui Pontificię Legatus in Synodo Tridentina mortuus fuerat, Pastore destituebatur; cõmitteretur. Romam postea veniens 6. Kal. Aprilis, Cardinalitium pileum accepit; tandem ab eodem Pont. perhonorifica insignitus Legatione est, Montisq́; ferrati Cardinalis, ad differentiam Francisci Gonzagæ, qui in eodem tempore viuebat, eiusdem Pij IV. Cardinalis dictus est. Dolebit fortassis quispiam tantam Reipublicę Christianę iacturam, & quidem meritò; quid.n. si dum vix incœperat, tanta, tamq́; egregia facinora reliquit, quid facturum fuisse, si vixisset, existimamus? Sed soletur se ille, neq; de huius ęterna felicitate aliquid detrahere velle videatur; nõ

.n.in terras missus, quò terras relinquens, reuersus est, illum ita liberalissimis studijs florentē, & sanctimonia vitę laudabilē animi simul, & corporis bonis omnibus affluentem (O conditionē humanam, clamat vir eloquens, nasci, dolere, mori, heu hominum fragilis status, cita, & volucris ad interitum vita) vnius pene diei, lāguor extinxit Mantuæ die Mercuij, nono Kal. Martij, anno 1565. Pontificatus VI. ætat. 25. hora 13. Corpus sepultum est in Cathedrali D. Petro dicata, cum hoc elogio.

Federico Federici Ducis filio Posthumo Gonzaga Mantuæ Episcopo, Card. Legato, acerbissima morte erepto anno ætat. 25. Salut. humanæ 1565.

XXII.

PRæclarè olim, quanti literæ essent mihi videtur itellexisse Mythelenæi, qui pręcipuam esse in Republica vim literarum animaduertentes; quos populos bello deuicerant, nullam eis aliam pœnam irrogabant, nisi, vt ne liberos suos literas edocerent; sciebant videlicet eas tantum Ciuitates florere, in quibus literarum studia vigerent, quam veritatem, Respublica præ cæteris Veneta, & in primis intellexit BERNARDVS Nauagerius Italus Eques, & Senator Venetus, vir humaniorū præsertim literarum, & Reipub. gerendæ scientia, insignis; vt nonnulla ipsius carmina, & orationes ab ipso conscriptæ; Patauij, & aliarum Ciuitatum Prętura, Legationesq; complures, quas, magna semper cum gloria ad magnos Principes; præcipuè verò ad Franciscum II. Gallorum Regem, & apud Paulū Quartum Pontificē obiuit; satis apertè declarant. A Pio IV. is in secunda 18. Cardinalium ordinatione anno 1561. Pontificatus Secundo, 4. Kal. Martij, Diaconus Cardin; post Presbyt. tt. S. Pancratij; mox tt. S. Nicolai inter Imagines; vltimò tt. S Susannæ creatus; sequenti Episcopatum Veronensem, maximo cum omnium applausu administrandum suscepit. Anno verò 1563. ad Concilium Tridentinum; non in Seripandi Cardina-

dinalis, & Legati mortui, vt ferè omnes affirmãt: ſed in Marci Sittici Cardinalis Altempſij loco, de latere Legatus miſſus; 4. Kalẽ. Maij Tridentum ingreſſus eſt, cui Concilio impoſito fine, Veronam venit, vbi in corrigendis ſacerdotum moribus, diſciplinaq; Eccleſiaſtica reſtituenda non parũ elaborauit, maioraq; quotidie feciſſet; ni ſubita oculorum cœcitate oppreſſus, ipſius regimen relinquere coactus fuiſſet. Coadiutore igitur ex permiſsione Summi Pont. ſibi facto, cum futura ſucceſſione Auguſtino Valerio Patritio Veneto ſororis filio, quem vitæ integritate, literarum cognitione celeberrimum; Gregorius XIII. meritò in purpuratorum Patrum numerum adſciuit; ipſe ſubita correptus morte; Veronæ, pridie Kal. Iunij, anno 1565. Pontificatus VI. die Iouis obdormiuit in Domino, cuius corpus ibi in pauimento Eccleſiæ Cathedralis ante chorum ſepulturæ traditum, marmoreo lapide, in quo iuſculptum legitur ſequens epitaphium cooperitur.

Bernardi Nauagerij Cardinalis, perpetui Eccleſiæ Veronẽſis Adminiſtratoris, oſſa.

XXIII.

PRæclare ſanè, & vt ſemper ſapienter ſeuerus ille morum cenſor (Catonem intelligo) eam Remp. fore maximam, felicemq; dicebat, vbi claro loco nati, primas virtutum partes minimè ignobilibus concederent, & plebęi homines ordinis, cum nobilibus, & primarijs; non de generis gloria: ſed de virtutum laudibus concertarent, quod dictum, velut oraculum: quantum intellexerit, ALFONSVS Carafa Italus nobilis Neapolitanus Eques, Antonij Montisbelij, poſtea Marchionis, Caroli Card. fratris, & Pauli Quarti Nepotis filius, natus anno ſalutis 1540. idibus Auguſti, non obſcurè ſignificauit. Is.n. ſub Pauli, de quo paulò antea, tunc S. R. E. Cardinalis, diſciplina educatus, qui ſtudiorum ſocium ipſi adiunxerat Antoniũ

de eadem familia, quem literis, & vitæ sanctimonia celebrem, Pius V. in Cardinalium Collegium adscripsit; huius exemplo, atq; æmulatione inflammatus; virtutibus ita animum applicauit; vt in ipso integritas vitæ, modestia, humanitas summa, in rebus gerendis admirabilis prudentia, iustitiæ cultus, Ecclesiasticæ rei zelus, atq; aliæ innumeræ virtutes elucerent, quibus motus Paulus, iã Pontificatum adeptus; Alfonsum ex Protonotario Apostolico, anno Domini 1557. Pont. II. idibus Martij, Diaconum Cardinalem SS. Ioannis, & Pauli; post S. Nicolai inter Imagines creauit; Ecclesiæq; Neapolit. paulo post ipsi administrationem commisit;atq; officij Auditoris Cameræ nomine deleto; Francisco Alberico vltimo Auditore, anno sequenti, vita functo, idq; officium in Cameræ Apostolicæ Regentatus nomen conuersum, maximisq; priuilegijs auctum, & quod vni ex Cardinalibus, adinstar Camerariatus conferri debere decreuerat, Alfonso addixit; quem vnum anno 1559. cum cæteros fratris sui filios, necnon etiam Antonium Alfonsi patrem honoribus priuasset, atq; in exilium relegasset, apud se innocentem retinuit: cui tamen; ne cum extorribus ageret, ne ve pro illis aliquid intercederet, vetitum est. Iste postea; ex S. Nicolai, ad S.Mariæ in Porticu; mox sub Pio Quarto adSãctorum Ioannis, & Pauli Diaconatum translatus; eodem Pontifice mandante, vna cum Carolo Cardinale patruo ad Consistorium proficiscens; captus, & in Hadriani molem, cum alijs propinquis 3. idus Iunij, anno 1560. coniectus; carcerẽ illum summa patientia sustinuit; verũ Carolo Cardinale, & reliquis maiestatis reis morti addictis; Alfonsus accusatus, tãtum, quod mortuo Paulo Pont. bona abstulisset, in centum millium aureorum solutione, & Cameræ Apostolicæ Regentatus muneris priuatione, quod tunc eius nomine Pio Quarto Vitellotius Card. Vitellius cessit, cuius studio, cum ipso aliquanto mitius Pontifex egit, mulctatus; hac tamen conditione, ne Vrbe egrediatur, dimittitur; cæterum, cum ipsius redditus adeò tenues essent; vt nullo pacto soluere posset tantam pecuniæ summã; hu-

ius in-

ius innocentiæ misertus sacer purpuratorum Patrum Senatus, pro eo decem millia aureorum persoluit, cuius exemplo excitati Romanorum Proceres; cum certam aliquam Summus Pōtifex illi condonasset partem, & ex Antonij patris bonorū venditione collecta pecunia, persoluerunt. In gratiam postea Pij cum redijsset, factus Presbyter tt. SS. Ioannis, & Pauli, ab eodem impetrata venia, anno 1562. Neapolim ad curandū gregem veniens; ibi animi mœrore confectus, à terrena hac morte ad cœlestem vitam se transtulit, die Mercurij, 4. Kal. Septēbris, anno Salutis 1565. Pontificatus VI. ętatis 25. hora noctis tertia, ibiq; in Choro Metropolitanę propè Altare Maius sepelitur, vbi à Pio V. Summo Pontifice, grati erga Carafam familiam animi causa, & in ipsius adolescentis innocentiæ testimonium, honorifico Sarcophago marmoreo donatus est, in quo Alfonsi Cardinalis statua celeberrimi artificis manu sculpta, & elogium extat.

D. O. M.

Alfonso Carafæ S. R. E. Cardin. Archiepisepiscopo Neapolitano adolescenti; non minus virtute sua, quàm maiorum splendore, claro, patrui Pauli IV. Pont. Max. religionem integritatemq; referenti, ea sapientia prædito; vt in secundis rebus, summam eius temperantiam, in aduersis miram constantiam, omnes laudauerint, Pius Quintus Pontifex Max. posuit. Vixit an. 25. dies 15. Obijt 1565. IV. Kal. Septemb.

XXIV.

TVa sunt omnia, sapientissime Plato, & dicta, & cogitata præclarè. Tu dicere solebas. Tum demum Respublicas beatas fore, cum eas, aut Philosophi cœpissent regere, aut qui regerent Philosophari, cui veritati Genua, & Sedes Apost. cū alias quā sępissimè; tū demū visa est assentiri, qn̄ SIMONE Pasqua Genuēse nobili loco nato Galeatij filio, Art. & Me-

dicinę Doctore, inter suę ætatis Philosophos primarios, annumerato; literarum prę sertim grę carum cognitione maximè prædito, sacræq; Theologiæ non ignaro, vsa est. Is post patrios honores, & Legationes ad Principes à Republica demandatas, felici obitas auspicio; à Pio IV. cui medicorum primus inseruit, cum primum Pontificatum adeptus est, Episcop. Lunensis, & Sergianensis electus, atq; ad sacrosanctam Tridentinam Synodum missus, anno 1565. Pont. Quarto, die Lunæ, 4. idus Martij, propter excellentem doctrinam, admirabilem erga superos pietatem, & acerrimam, contra hęreticos insectationem; Presbyter Card. S. Sabinæ, denunciatur, qui eodē anno, die Martis, pridie Nonas Septembris, hora noctis tertia, Rom. in Apostolico palatio; ex huius fluctuātis vitę naufragio, ad cœlestem patriam, repentino cursu adductus est, & vt erat vir frugi, sexaginta millia aureorum in pecunia numerata reliquit. Eius corpus in suo titulo, transferendum in patriam, deponitur, ibiq; ad dexteram Portæ collateralis ipsius Ecclesiæ; extat in pariete lapis, in quo sculptum legitur hoc elogium.

D. O. M.

Simoni Pasquæ Patricio Genuensi, viro omni doctrina, probitate, morum suauitate ornatissimo, S. R. E. Presbytero Card. S. Sabinæ, qui annos agens 72. menses 10. dies 7. anno salutis 1565. pridie Nonas Septemb. relicto omnibus incredibili sui desiderio, ad meliorē vitam commigrauit. Octauius Pasqua Referendarius Apostolicus fratris filius, mœrens posuit.

Translatum postea in oras patrias; ad Ecclesiam S. Marię de Pace, apud Minores de Obseruantia, extra Genuæ portam, quę ab Arcu nuncupatur, vbi in Choro ad Maioris Altaris dexteram monumentum, cum sequenti epitaphio cernitur; ibi sepultum est.

Qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt.

Simoni Galeatij F. Pasqua Theologo, & Philosopho, romana, græcaq; facundia clarissimo, S. R. E. Presbytero Card. S. Sabinæ; qui cum præclarè domi, forisq; de Republ. meritus esset; Romam à Pio Quarto Pont. Max. accitus; Lunensis primum Episcopus factus; ac post egregiè nauatam Dei Ecclesiæ Tridentino in Concilio operã; in amplissimum Ordinem est cooptatus. Viro integerrimo, & in summa grauitate iucundissimo. Stephanus frater germanus mærens P. Vixit annos 72. Menses 10. dies 7. Obijt Romæ, pridie Nonas Septembris. 1565.

M. Antonij Bobæ Card. de Simone, apud Vbertum Folietam virum eloquentissimum in clarorum Ligurum elogijs, nõnulla carmina leguntur, quæ cum animi, & corporis ipsius dotes, breuiter, & eleganter effingant; hæc non superfluum, duximus apponere.

Egregio Pasquam finxit Deus ore Simonem,
Eximijsq; animum virtutibus imbuit; vt, quas
Condidit insignes præstanti in pectore dotes;
Protinus exprimerent oculi sub fronte decori
Ingenua, è liquido ceu picta corallia fulgent
Cristallo, nullam rosei perpessa nitoris
Iacturam, mittuntq; suos illæsa colores.
Illustri quantum is patria; celeberrima tantum
Vrbs Lugurum; claro fælix lætatur alumno,
Consiliumq;, operamq; haud rarò experta fidelem,
Quem modo, purpureo ornatum venerata Galero est,
Inclyta Roma sacri columenq;, decusq; Senatus,
Virtutis propria nitentem. Fortibus alis,

Dum sublime volat, mors abstulit inuida terris
Ingenio pollentem acri, viridiq; senecta.

XXV.

OCcurrit ANNIBAL Bozzutus Italus Ioannis, quondam S. Mariæ in porticu Hadriani Pontificis IV. Diaconi Cardinalis, de quo infra in Epitaphio, consanguineus, nobilis Neapolitanus, legalis sapientiæ Doctor, Annibali illi Amilcaris filio, rerum præclare gestarum fama necquicquam secundus; vt.n. illum adhuc impuberem iureiurando ante Aras Pater adstrinxisse, fertur, vt; cum primum per ætatem liceret, arma contra Romanos sumeret; ita hic ab ipsis incunabulis institutus videatur, vt contra hostes Patriæ irrueret, & patrios Penates conseruaret, quanquam in hoc non multum laudandus, quia maiorum decretis identidem restitit. Is.n. tam viuida ingenij acie; in consilijs capessendis polluit mentis celeritate; vt adhuc iuuenis, eius rebellionis tempore, quo Neapolitani Petrum Toletum, qui pro Carolo V. Imperatore illius Regni clauũ tenebat, questionem religionis Hispanico more, in eodem Regno instituere conantem, multis seditionibus, & tumultibus fatigatum, ab incępto consilio desistere coegerunt; electus sit, qui, cum nõnullis alijs constanter se Proregi opponeret, & ad eundẽ Petrum, hac de re orationẽ Ciuitatis nomine (id.n. negotij ipsi publicè datum est) vehementẽ, liberãq; haberet, qui postea armis depositis, pacataq; vrbe, cum alij, quorum in tumultibus animus magis excanduerat exilio essent damnati; ipse postea à Cæsare, ad quem, eadem de causa à patria missus fuerat orator, vt exulum numerus ad viginti tantum reduceretur, obtinuit; cum ijsq; & si non multo post patrię etiã ipse esset restitutus; voluntarium tamen exilium sibi consciuit, & sic Romam veniens, perbenignè à Paulo III. acceptus Protonotarius Apost. & Bononiam Prolegatus anno 1548. Ioanne Maria Cardinale de Monte Legato, missus est; & vita functo Paulo III. cum idem Cardinalis Montius Pontifex ele-

ctus

ctus esset, dictusq; Iulius III. Annibalem hunc Auinionensi Ecclesiæ præfecit, quo; vt Marcello II. vita functis, dum comitia pro futuro Pontifice deligendo habentur; bis gubernatione Burgi, & Conclauis præfectura à sacro Cardinalium Collegio cohonestatus est. Apud Paulum Quartum, à quo vnicè est dilectus, tanti fuit is; vt inter eos patres electus sit, quorum opera, & consilio summus Pont. ad causas totius rei Ecclesiæ cognoscendas vteretur; ab eodem etiam Cameræ Apostolicæ clericatu, quod munus triginta millibus aureis emi solet, summa liberalitate donatus. Tandem ex Cameræ Apostolicæ Præsidente; & Auinionense Archiepiscopo, à Pio IIII. Pontice Maximo IV. Idus Martij, anno Domini 1565. in quarta Cardinalium electione Presbyter Cardinalis tt. S. Siluestri creatus, eodem anno, pridie Nonas Octobris die Sabathi, hora 23. in suburbio Chiaiæ propè Neapolim, dolore calculi obijt. Eius corpus Neapoli in Metropolitana propè Chorũ in sepulchro marmoreo conditur, vbi & ipsius effigies ad viuũ expressa, instar orantis ante Christum, & elogiũ, quod sequitur, cernitur.

Annibal Bozzutus Patritius Neapolitanus ex familia annos ante 410. Cardinalitia, Orator ad Carolum V. Cæs. Aug. anno ætatis suæ 26. summis de rebus à patria missus, Bonon. Prolegatus à Paulo III. Pont. Max. præpositus; Archiepiscopatu Auinionensi à Iulio Tertio decoratus. bis vacua Sede; primùm Iulij Tertij, deinde Marcelli Secundi, cui carus in primis fuit, Vaticano, & Conclaui præfectus, rerum omnium maximarum, deligendorumq; vniuersæ ditionis Ecclesiasticæ Magistratuum potestate, Clericatu etiam Cameræ Apostolicæ gratuita Pauli Quarti liberalitate honestatus; demum à Pio Quarto Presbyter Cardinalis tt. S. Syluestri creatus, intra septem menses dolore calculi, Salutis anno 1565. ætatis 44. Mense 8. die 4. ex hac vita ereptus est.

Fabritius Bozzutus Frater ex testamento hæres C. L. P.

XXVI.

Restat nobis in hoc genere laudis elogijs exornare Fratrẽ RANVTIVM Italum Romanum Petri Luysij Farnesij ex Alexandro; postea Paulo Tertio Pont. nati, filium, ortum 3. idus Augusti anno 1530. Alexandri Cardinalis Farnesij, Octauijq; Parmæ, & Placentiæ Ducis fratrem. Is adolescẽs Bononiæ, Patauijq; literis operam dedit, in quas totis (quod aiunt) neruis intendens; mirifica claruit eruditione. Habitũ, & Crucem militarem S. Ioannis Hierosolymitani Religionis suscepit, Priorq; Venetus factus, Commendam Bononiensem, & alias eiusdem Religionis Pręceptorias consecutus, nulla habita ætatis ratione; sed propter mores in eo seniles, multiplicemq; rerum cognitionem, ac Christianam pietatem; electus est Archiepiscopus Neapolitanus ab Auo Summo Pontifice, quod non fuit ei præmium; sed calcar, & stimulus ad maiorem virtutem; annos quippe natus quindecim ab eodẽ 17. Kal. Ianuarij, an. 1545. Pontificatus XII. Diaconus Cardinalis Sãctæ Lucię in Silice; & paulò post Presbyter tt. S. Angeli; & sequenti Piceni Legatus; & anno 1547. ob mortẽ Roberti Puccij tt. SS. Quatuor Coronatorum; S. R. E. maior Pœnitentiarius; Religionis Camaldulensis Patronus; & Constantinopolitanus Patriarcha Latinus; Marino Cardin. Grimano, vita functo, quam dignitatẽ anno 1550. postea dimisit, quando in Benedicti Accolti, tt. S. Eusebij Card. demortui locum suffectus Ecclesiæ Rauennatensis Archiepiscopus, in Ordine centesimus sextus, annumeratus est. Hic cum idem Paulus Pontifex Iuliũ de Ruuere Guidonis Vbaldi Ducis fratrem, anno 1549. Diaconum Cardinalem S. Petri in Vincula, creasset; Pisauri purpureum Pileum; Aui nomine, solenni pompa capiti eius imposuit; dum eo tempore; studiorum comes Hieronymus Ruuereus Taurinensis, in huius ritus celebri cœremonia, latinam haberet orationem; qui postea Patriæ Archiepiscopus, Cardinalitia dignitate, ob multas insignes partes, nostra ætate insignitus est.

Ranu-

Ranutio Iulius III. anno 1551. defuncto Andrea S. Theodori Card. Cornelio, Patrimonij Legato; eam Legationem contulit. Sub Pio Quarto, cum eiusdem Ordinis Patribus Politiano, Sabello, Amulio, & Vitellio, ad coercendas Tyberis inundationes præfuit; qui ex Presbytero tt. S. Angeli, ad Sabinensem Episcopatum translatus; patrocinium Confraternitatis Sanctissimi Crucifixi in Ecclesia Sancti Marcelli de Vrbe, suscepit, Archiepiscopatuq; Rauẽnæ dimisso; Bononiensem Episcopatum, Ioanne Campeggio vita functo, ipso Pio deferẽte, 4. Kal. Maij 1564. administrandum suscepit. Sequenti ad Ecclesiam ante Dominicam Palmarum venit, & Festo S. Petri Boloniæ celebrato, Parmam ad Octauium Ducem Fratrem profectus; ibi 5. Kal. Nouembris eiusdem anni, Pontificatus VI. die Lunæ, hora 17. ætatis annorũ 35. immatura morte, ex hac vita decessit, cuius corpus in Cathedrali depositum; ad S. Marthæ in Vulsiniensis Lacus Insula, in maiorum suorum monumẽtum translatum est. Ranutius (vt cætera silentio inuoluam) vir fuit placidissimus, omnibus gratus, purpurei Senatus splendor, & clarissimum Italiæ decus; pietatis quidem suæ nonnulla monumenta in Ecclesia Bononien. insignia, scilicet Ecclesiæ ornamenta, quæ, simul atq; Episcopatum suscepit, reliquit; de qua restauranda etiam cogitauit. Extat in Lateranen. Basilica, cuius dum viueret Archipresbyteratus munere functus est, propè Altare, in quo sacra Sanctorum Petri, & Pauli capita seruantur marmoreum, multis columnis, & statuis mirificè elaboratum, atq; hoc epitaphio inscriptũ monumentum.

D. O. M.

Ranutio Farnesio Pauli III. Pont. Max. Nepoti, Episcopo Card. Sabinensi, maiori Pœnitentiario, huius Eccl. Archipresbytero.

XXVII.

CAROLVS ex Illustrissima Vicecomitum familia, Italus nobilis, & Regius Senator Mediolanensis, vir doctrina, & prudentia insignis, eiusdemq; Ciuitatis anno 1560. apud

apud Catholicum Hiſpaniarum Regem Philippum II. Orator. à Pio Papa IV. ob ipſius virtutes anno 1561. menſe Nouembris Protonotarius Apoſtolicus; mox Vintimillienſis Eccleſiæ Epiſcopus electus; Concilio Tridentino (quo quicquid floris habuit Christiana Reſp. conſtat conueniſſe) interfuit; & maximis de rebus ad ipſum Concilium pertinentibus, à Cardinalibus Legatis Pręſidentibus, Romam ad ipſum Pium Pont. miſſus; ab eodem anno 1565 Pontificatus VI. 4. idus Martij Cardinalitia dignitate inſignitus, Presbyter tt. SS. Viti, & Modeſti in Macello Martyrum, creatus eſt; cui etiam poſt, Ferentanam Eccleſiam adminiſtrandam commiſit; qui eo ipſo anno Romę, immatura morte in Quirinali, pręuentus, die Sabbathi, idibus Nouembris, hora 2. noctis obijt, ſepeliturq; ibi in ſuo titulo, vbi ad dexteram in maiori Ara marmoreum caput, & ſepulchrum ſequenti elogio conſcriptum cernitur.

D. O. M.

Carolo Vicecomiti Mediolanenſi S. R. E. Cardinali, qui Pio IV. Pont. Max. ex Senatu regio ad Epiſcopatum; inde ad Cardinalatum prouectus; multis ad Reges, Imperatoresq́; Legationibus, ſumma cum laude functus, vetuſtiſſimæ gentis ſuæ nobilitati præclarè, omni parte reſpondit. Vix. annos XLII. Ob. Romæ idibus Nouemb. anno ſalutis 1565. Carolus Vicecomes, Abizati Comes, magno Patruo B. M. P.

Pij Quarti Papæ obitus.

ANNO Domini 1565. 5. idus Decembris; hora noctis, quæ diem Dominicum ſecuta eſt, ſecunda, Romę in Palatio Apoſtolico; ſcunctis Eccleſiæ Sacramentis Christiano ritu, &, vt Summum Sacerdotem decebat, maxima animi demiſsione, ac religione ſuſceptis; Palæoto, & Syrleto, Cardinalibus extremas preces, quas animæ commendationem

voca-

vocamus, lectulo astantibus, religiosissimè recitantibus; è mortali miseriarũ carcere, ad immortale felicitatis domiciliũ migrauit, Pivs Papa IV. ætatis annis 66. mensibus 9. Pont. anno 5. mens. 11. die 15. Corpus in Basilica S. Petri ad tempus in lateritio sepulchro depositum; translatum postea hora noctis 7. quæ pridie nonas Ianuarij, anno 1583. secuta est, ad S. Mariæ Angelorum in Thermis apud Carthusianos, ibiq; in marmoreo sepulchro à Cardinalibus S. Georgij, Sorbellono, Borromeo, & Altaempsio posito, vbi sequens elogium legitur, conditum est.

Pivs IV. Pont. Max. Medices Mediolanensis, sedit annos V. menses 11. dies 15. Vixit annos LXVI. Io Antonius Sorbellonus Episcopus Prænestinus, Consobrino, Carolus Borromæus tt. S. Praxedis Mediolanensis, Marcus de Altaemps Germanus Constantiensis, tt. S. Mariæ Transtiberim Presbyteri Cardinales S.R.E. Auunculo, posuerunt. Vacauit Sedes 29. dies.

Eodem anno die Martis 3. Idus Decembris, eius iusta, ac parentalia incœperunt celebrari. Rursus eodem anno, die Iouis 13. Kal. Ianuarij, missa Spiritus sancti cantata ab Episcopo Cardinale Sabino, Cardinales numero 52. in loco consueto, Conclaue ingressi sunt, qui diuino afflati numine, nemine dissentiente, die Lunæ septimo Nonas Ianuarij anno Domini 1566. Pij IV. successorem ad Pontificatum assumpserunt Fr. Michaelem Ghisilerium, origine Bononiensem: natum tamen in oppido Boschi Agri Alexandrini ordinis Prædicatorum Presbyterum Cardinalem tt. S. Mariæ super Mineruam, qui Pius Papa V. appellatus est.

Car-

Cardinalis mortuus ſede Vacante.

XXVIII.

FRANCISCVS è ſereniſſima Gonzaga familia natus patrẽ habuit Ferrantem Federici Mantuæ Ducis fratrem Ducem Arriani; matrẽ vero Iſabellam Capuanam Molfetæ Dominam, & inter cęteros fratres, Cæſarem Arriani Ducem, & Io. Vincentium militię Rhodię equitem, Baruliq; Priorem, quem poſtea Gregorius XIII. ſacra purpura inſigniuit. Nollem in huius laudum oceanum incidere; ſed quia eæ ſunt, quæ ſe ipſæ prodant; non poſſum non illas delineare. Fuit igitur iuuenis morum elegantia, ſcientiarum, forenſium præſertim rerum cognitione, vitæq; integritate, ac ſanctimonia perinſignis, & dignus Herculis Cardin. Mantuani Nepos; qui ex Abbate Aquęnigræ, & Protonotario Apoſtolico à Pio Quarto anno 1561. Pont. II. 4. Kal. Martij, Diaconus Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano; poſt Presbyter tt. S. Laurentij in Lucina; & ſequenti Campaniæ Prouincię de latere Legatus; Archiepiſcopusq; Cõſentinus, ob mortem Cardinalis Gaddij creatus Titulum, & Palatium ipſi Titulo contiguum reſtaurauit, ornauitq;, maiora in dies facturus; ni tertia earum, quæ per antiphraſim, quod nulli parcant, Parcæ ſunt cognominatę, filum vitæ, inuido forcipe abſcidiſſet. Obijt Romæ in Conclaui, dum Comitia pro Pij IV. functi vita, ſucceſſore deligendo, haberentur; 8. idus Ianuarij, die Epiphaniæ Domini, hora 21. Pręter virtutes, quas ſcripſimus; eius diuinam propè, mentis ſagacitatem quidam mirificè exornant; atq; in primis Hieronymus Catena inſignis author in vita Pij V. præſagium Franciſci de eodem Pontifice eloquentiſſimè narrat. Scribit. n. Frãciſcum Cardinalem, cum in Conclaui morbo elaboraret; paulò ante obitum, quadam nocte ſemiuiuum, è ſomno excitatum, de ſuis familiaribus conqueſtum fuiſſe, quod de creato Sũmo Pontifice Cardin. Alexandrino nemo commonefaceret; fami

liares, cum nihil ſcirent, veritate paulò poſt intellecta, miram Franciſci mentis ſagacitatem, non mediocriter ſunt admirati: Corpus in pauimēto ſui tituli ſub marmoreo lapide æneis trophæis, elogio, de quo infra ornato, ſepelitur.


D. O. M.

Franciſco Gonzagæ, qui ſi ad ſenectutem perueniſſet, cum Herculе Gonzaga Cardinale eius Patruo, cuius diſciplinæ fuerat alumnus, conferri iure potuiſſet, tanta iam in eo religio, prudentia, omniumq; virtutum indoles fulgebat. Vixit annos 28. menſes 6. dies 25. Obijt anno Salutis 1565.

Præter familię nota ſtemmata, Franciſcus ad demonſtrandā animi ſui tranquillitatem, Aquilam oliuę ramo inſidentē, hoc adiuncto elogio: *Bella gerant alij*; pro inſigni geſtabat.



PIVS QVINTVS PONT. MAX.



ANNO CHRISTI MDLXVI.

SIGNVM PII QVINTI.

Vtinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas iustificationes tuas.

PIvs Papa V. Michaël antea vocatus, ex oppido Boschi agri Alexandrini, è familia Ghisileria, quæ Bononiæ inter Patritias locum tenet; à qua Ciuitate maiores ui, ob ciuiles discordias, anno 1445. expulsi sunt. Patrem

trem habuit Paulum Ghislerium, matremq; Domninam Augeriam; natusq; est die Mercurij, 16. Kal. Februarij, Festo S. Antonij, anno 1504. Cum adhuc esset annorum 14. quia de eo præpotens Deus summa statuerat, ipso inspirante; Prædicatorio instituto se addixit, & Bononiæ Philosophiæ, ac Theologiæ studijs operã dedit; vnde magistri gradum assumens, easdem disciplinas multis in locis publicè; sub lectoris munere professus est; & præter cœtera; semper vitæ innocentiam, religionisq; obseruantiam, cum scientiarum cognitione coniunxit. In Capitulo (quod vocant) Generali sui Ordinis 1543. Parmæ coacto, suas Theses mirificè defendit, & cum, non minora doctrinæ; quam pietatis signa præseferret, Prior Albæ, Sõcini, Viglebaniq; fuit; sacras Conciones multis in partibus habuit; & Alfonsi Dauali Vuastij Marchionis confessiones audiuit. Qui Nouocomensis factus Inquisitor; ibi, cum quæstionem cum ipsius vrbis Vicario, & capitulo, vacante Episcopali Sede de nonnullis hæreticorum libris habuisset; magnam ex eo munere laudem apud S. R. E. Cardinales, qui Sanctissimæ Inquisitionis Congregationi Romæ præpositi tunc erãt, adeptus est. Cœterum inter Rethios; postea Bergomum bis ab ipsis Cardinalibus missus, contra Bergomatum Episcopum hæretica infectum peste, non sine ipsius vitæ discrimine, quam vltrò pro religione exponere nunquam destitit, capitis iudicium habuit. Anno 1551. à Io Petro Carafa Cardinale Neapolitano, inter Sanctæ Inquisitionis Cardinales præpositos Primas tenente, cui Fr. Michaëlis virtus, & in eo genere industria, ac labores non erant ignoti, Iulio III. Pontifice permittente, de aliorum collegarum consilio; generalis Commissarius Inquisitionis eligitur, à quo etiam electo Pontifice, & Paulo IIII. dicto; Episcopus primum Nepesinus, & Sutrinus electus; anno postea sal. 1557. Pont. II. die Lunæ Idibus Martij, Presbyter Card. tt. S. Mariæ super Mineruam, quæ Ecclesia tunc temporis, in eius gratiam tituli decore fuerat cohonestata; post tt. S. Sabinæ creatus, & sanctæ Inquisitionis officio (congregationis

loco)in collegium Cardinalium introducto;Fr. Michael Card. Alexandrinus anno 1558. 19. Kal. Ianuarij supremus Inquisitor deputatus est, quod officium; Pontifex postea renunciatus, deleuit, & Congregationem; vt antea sub Paulo III. fuerat, cui Cardinales præsunt,quorum, qui in ordine primus est summus Inquisitor dicitur, restituit. Is à Pio Papa IIII. præpositus S. Spiritus de Columbella,Mediolanensis diœcesis, & Episcopus Montis Regalis in Pedemontana prouincia renunciatus; sacri Concilij Tridentini decreta, cum alijs eiusdem ordinis Patribus ab ipso summo Pont. ad hoc deputatis,diligenter examinauit. Anno tandem 1564. ardore vrinæ percussus; cum se in vitæ discrimine videret periclitari, de morte, & resurrectione cogitans, ante gradus maioris sacelli Ecclesiæ S. Mariæ super Mineruam in pauimento sepulturæ locum elegit, in quo Epitaphium in marmore insculptum.

Ad laudem Dei Optimi Maximi.

Fr. Michaël Ghislerius, ex oppido Boschi Agri Alexandrini,Ordin. Prædic. diuina miser. tt. S. Sabinæ S. R. E. Præsbyter Cardin. noscens terram, terræ se redditurũ, ob certam resurrectionis spem in Virg. Dei Genitricis Templo, cuius & sanctorum piorum viuētium cupiens adiuuari suffragÿs; locum hunc sibi viuens, in quo cadauer; cum suum obierit diem poni cur. annum agens ætatis LX. & humanæ Salutis 1564.

Translatus postea ab eodem Pio ad pristinum S. Mariæ super Mineruam titulum; ipso Pont. vita functo, nono, ac vigesimo Sedis vacantis die; cum nihil tale cogitaret, publica Patrum confessione, ac diuino numinis afflatu, ad summum omnium honorum fastigium die Lunæ, 7. idus Ianuarij, an. 1566. Pij Quinti nomine sumpto,ad Dominici gregis infestos hostes extirpandos, & ad Christianam Rempub. non dicam collapsam, sed nutantem erigendam, & erectam ,in summo felicita-

tis

tis ſtatu conſeruandam admirabiliter euectus eſt. Sedit in Apoſtolica Sede, Maximiliano II. electo Imperatore, annos VI. menſes 3. & dies 23.

Cardinales 69. viui, quando PIVS *Papa V. creatus eſt.*

Epiſcopi Cardinales VI.

LEO X.

Franciſcus Piſanus Epiſcopus Card. Oſtienſis, & Velitern. ac ſacri Collegij Decanus.

PAVLVS III.

Ioannes Moronus Epiſcopus Card. Portuenſis, & Sanctæ Rufinæ.

Chriſtoforus Madrucius Epiſcopus Card. Præneſtinus.

* Otho Truchſes Epiſcopus Card. Albanus.

Alexander Farneſius Epiſcopus Card. Tuſculanus.

Tyberius Criſpus Epiſcopus Cad. Sabinus.

Presbyteri Card. LIV.

PAVLVS III.

* Georgius de Arminiaco, tt. S. Nicolai, S. R. E. Archipreſ.
* Franciſcus de Mendozza, tt. S. Euſebij.
* Henricus Infans Portugalliæ, tt. SS. Quatuor Coronatorũ.
* Carolus de Lotharingia, tt. S. Apollinaris.
* Carolus Borbonius, tt. S. Chryſogoni.

IVLIVS III.

Fuluius Corneus tt. S. Laurentij in Lucina.

Io. Michaël Sarracenus, tt. S. Mariæ Tranſtiberim.

Io. Riccius, tt. S. Angeli.

Io. Baptiſta Cicada, tt. S. Clementis.

PAVLVS IV.

* Don Bernardinus Scotus, tt. S. Matthæi.
Scipio Rebiba, tt. S. Anastasiæ.
Ioannes Suauius Reumanus, tt. S. Priscę.
Io. Antonius Capisuccus, tt. S. Clementis.
* Laurentius Strocius, tt. S. Balbinæ.
Fr. Michaël Ghislerius, tt. Mariæ super Mineruam.
Fr. Clemens Dolera, tt. S. Mariæ de Aracœli.

PAVLVS III.

Iacobus Sabellus, tt. S. Mariæ in Cosmedin.

PIVS IV.

Io. Antonius Sorbellonius, tt. S. Mariæ Angelorum in Thermis.

IVLIVS III.

Fr. Aloysius Cornelius, tt. S. Marci.

PIVS IV.

Fr. Bernardus Saluiatus, tt. S. Simeonis.
* Philibertus Naldus Burdesius, tt. S. Martini in Montibus.
Ludouicus Simoneta, tt. S. Cyriaci.
* Antonius Perenottus Granuelanus, tt. S. Bartholomęi in Insula.
* Stanislaus Hosius, tt. S. Theodori.
* Petrus Franciscus Ferrerius, tt. S. Agnetis in Agone.
Franciscus Paciecus, tt. S. Crucis in Hierusalem.
* Marcus Antonius Amulius, tt. S. Marcelli.
Hieronymus Austriacus de Corrigio, tt. S. Stephani in Monte Cœlio.
Io. Franciscus de Gambara, S. Pudentianę, tt. Pastoris.
Carolus Borromæus, tt. S. Praxedis.
Marcus Sitticus de Altaemps, tt. S. Georgij ad Vellus aureum.
Alfonsus Gesualdus, tt. S. Cæciliæ.

PAVLVS III.

Nicolaus Caëtanus, tt. S. Eustachij.

*Hip-

* Hippolytus Estensis, tt. S. Mariæ Nouæ.

PIVS IV.

Innicus Aualos de Aragonia, tt. S. Hadriani.
Marcus Antonius Columna, SS. Basilicę duodecim Apost.
Ptolomæus Gallius, tt. S. Pancratij.
Angelus Nicolinius, tt. S. Calixti.
Aloysius Pisanus, tt. S.. . . .
Prosper Sanctacrucius, tt. S. . . .
Zacharias Delphinus, tt. S. Mariæ in Aquiro.
* Hugo Boncompagnus, tt. S. Sixti.
Alexander Sfortia, tt. S. Mariæ in Via.
* Io. Franciscus Commendonus, tt. S.. . .
Flauius Vrsinus, tt. SS. Marcellini, & Petri.
Alexander Cribellius, tt. S.. . .
M. Ant. Boba, tt. S.. . .
* Antonius Crechius, tt. S.. . .
Guido Ferrerius, tt. S.. . .
Franciscus Abundius Castellionęus, tt. S.. . .
Benedictus Lomellinus, tt. S. Sabinæ.
Gulielmus Sirlettus, tt. S. Laurentij in pane, & pernæ.
Gabriel Palæotus, tt. SS. Ioannis, & Pauli.
Franciscus Crassus, tt. S. . .

Diaconi Cardinales IX.

PAVLVS III.

Iulius de Ruuere, S. Petri ad vincula S. R. E. Archid.

IVLIVS III.

Innocentius de Monte, S. Mariæ in Porticu.
Hieronymus Simoncellus, SS. Cosmæ, & Damiani.
* Ludouicus de Guisa, S. Thomæ in Parione.

PAVLVS IV.

Vitellotius Vitellius, S. Mariæ in via lata S. R. E. Camer.

PIVS IV.

Aloysius Estensis S. Luciæ in Silice.
Ludouicus Madrucius S. Onu phrij.
Ferdinandus Medices S. Mariæ in Dominica.
Franciscus Alciatus S. Luciæ in Septisolio.

Prima creatio vnius Cardinalis.
Anno Domini MDLXVI. Pontificatus primo die Merçurij, pridie nonas Martij Romæ.
PIVS *Papa V. primò creauit vnum Card. Is fuit.*

8 F. MICHAEL Bonellus Alexandrinus, ord. Prædicatorũ, Papæ ex sorore pronepos, Presbyter Card. tt. S. Mariæ super Mineruam.

I.



Secun-

Secunda creatio IV. Cardinalium.

Anno Domini MDLXVIII. Pontificatus tertio, die Mercurij, nono Kalen. Aprilis, Romæ.


PIVS Papa V. ſecundò creauit quatuor Cardinales, qui fuerunt.

2 DIdacus Spinoſa Hiſpanus Inquiſitor Generalis in Regnis Hiſpaniarum, Regis eiuſdem conſilij Præſes, Epiſcopus Saguntinus, Presbyter Card. tt. S. Stephani in Cœlio monte, abſens.

3 Don Hieronymus Socherus Aruernus Theolog. Pariſinus, Abbas Clareuallenſis, & Generalis Magiſter Ciſtercienſiũ, Presbyter Card. tt. S. Matthæi in Merulana, abſens.

4 Io. Paulus ab Eccleſia Dertonenſis, Protonotarius Apoſtolicus, Diaconus Card. S. Calixti.

5 Antonius Carafa Neapolitanus, Papæ intimus Cubicularius, Baſilicæ S. Petri de Vrbe Canonicus, Protonotarius Apoſtolicus, Diaconus Card. S. Euſebij.



II.




III.



IV.



V.



VI.

Tertia creatio XVI. Cardinalium.
Anno Domini MDLXX. Pontificatus V. die Mercurij, 16. Kal. Iunij Romæ.

PIVS *Papa V. tertiò creauit 16. Cardinales, qui fuerunt.*

6 MArcus Antonius Maffeus Romanus Archiepiſcop. Theatinus, S.D.N. Papæ Datarius, Presby. Card. tt. S. Calixti.

7 Gaſpar de Stunica, & Auellaneda Hiſpanus, Archiepiſcopus Hiſpalenſis, Presbyt. Card. tt. S. Barbaræ, abſens.

8 Gaſpar Ceruantes de Gaète ex oppido Caceres Placentinæ, Diœceſis Hiſpanus, Archiepiſcopus Tarraconenſis, Presbyter Card. tt. S. Vitalis, abſens.

9 Nicolaus de Pelleue ex oppido Iouij Rothemagenſis Diœceſis Normandus Gallus, Archiepiſcopus Senonenſis, ac Galliarum Primas, & in ſecreto Regni Franciæ Conſilio ſupremus Cancell. Presbyter Card. tt. S. . . abſens.

10 Iulius Antonius Sanctorius Caſertanus, Archiep. S.Seuerinæ, Presbyt. Card. tt. S. Bartholomæi in Inſula.

11 Petrus Donatus Cæſius Romanus, Epiſcop. Narnienſis, Cameræ Apoſtolicæ Pręſidens Clericus, Presbyter Cardin. tt. S. Vitalis.

12 Carolus de Graſſis Bononienſis, Epiſcopus Montis Faliſcorum, Cameræ Apoſtolicæ Pręſidens Clericus, ac Vrbis Gubernator, Presbyter Card. tt. S. Agnetis in Agone.

13 Carolus Dangenes à Rambouiletto Gallus, Epiſcopus Cœnomanenſis, & Caroli Noni Francorum Regis apud Sedem Apoſtolicam Orator, Presbyter Cardin. tt. Sanctæ Euphemiæ.

14 Fr.

14 Fr. Archangelus de Blanchis Viglebanensis Ord. Prædicatorum, Papæ à sacris Confessionibus, Commissarius sanctissimæ Inquisitionis Officij, Episcopus Theanẽsis, Presbyter Card. tt. S. Cæsarij in Palatio, absens.

15 Fr. Felix Perettus de Monte Alto Picenus, Ord. Conuentualium S. Francisci, Episcopus S. Agathæ, Presbyter Card. tt. S. Hironymi Illircorum.

16 Don Paulus Arretius de Itrio, Ord. Clericorum Regulariũ Theatinorum, Episcopus Placentinus, Presbyter Card. S. Pudentianæ, tt. Pastoris, absens.

17 Ioannes Aldobrandinus Florentinus, Rotæ Auditor, Episcopus Imolensis, Presbyter Card. tt. S. Simeonis.

18 Magister Frater Vincentius Iustinianus, ex Dominis Insulę Chij Genuensis, Ordin. Prædicatorum Generalis Magister, Presbyter Card. tt. S. Nicolai inter Imag. absens.

19 Hieronymus Rusticuccius Fanensis, Protonotarius Apostolicus, Episcopus Senogaliensis, Papæ intimus Secretarius, Præsbyter Card. S. Susannæ.

20 Io. Hieronymus Albanus Bergomẽsis, Protonotarius Apostolicus, ac Piceni Gubernator, Presbyter Card. tt. S. Io. ante portam Latinam, absens.

21 Iulius de Aquauiua, & Aragonia Neapolitanus, V.S. Refecendarius, Diaconus Card. S. Theodori.



VI.



VII.



VIII.



IX.



X.

X.



XI.



XII.



XIII.



XIV.

XIV.



XV.



XVI.



XVII.



XVIII.

XVIII.




XIX.



XX.



XXI.



Pius

Pivs Papa Quintus tribus ordinationibus menſibus Martij, & Maij factis, vnum, & viginti Cardinales de nouo creauit, videlicet Presbyteros 18. & Diaconos tres.

S. R. E. Cardinales XXIII. mortui ſub Pio Papa Quinto.

1 Franciſcus Craſſus.
2 Ioannes Reumanus.
3 Tyberius Criſpus.
4 Petrus Franciſcus Ferrerius.
5 Franciſcus Mendozza.
6 Angelus Nicólinius.
7 Fr. Clemens Monilia.
8 Io. Michaël Sarracenus.
9 Ludouicus Simoneta.
10 Frater Bernardus Saluiatus.
11 Franciſcus Caſtillionæus.
12 Vitellotius Vitellius.
13 Ioannes Bernardinus Scotus.
14 Ioannes Antonius Capiſuccus.
15 Philibertus Naldius à Burdeſia.
16 M. Antonius Amulius.
17. Io. Baptiſta Cicada.
18 Aloyſius Piſanus.
19 Franciſcus Piſanus.
20 Gaſpar de Stunica.
21 Carolus de Graſsis.
22 Laurentius Strocius.
23 Hieronymus Socherius.

I.

Nobilitas ſanguinis, & legalis ſapientiæ Panegyrica commendatio in cauſa eſt, vt nullatenus ſupprimatur Franciscvs Italus, è familia Craſſa natus, inter Mediolanenſes nobiliſſimus, ex qua diuerſis temporibus; præter cæteros domi, ac foris, nominis claritate inſignes; cum primis tres ipſius Ciuitatis Mediolanenſes Epiſcopi, Thomas, Alipertus, & Landulfus floruere, quorum primus etiam, in Diuorum Catalogo adſcriptus eſt, qui patrem habuit Petrum Antonium. Ineunte ætate primos annos literarum cognitioni; poſt legibus, commiſit; vnde, tam præſtanti forenſium rerum cognitione

ne excelluit, vt Mediolanensis Senator; Ducalis fisci Præsidens; Regiusq; Consiliarius fuerit designatus. Is in funere Caroli V. Imperatoris; apud quem semper magni fuit, & cuius mirificam, ac (propè dixerim) diuinam in summis, atq; arduis Imperij negotijs, Augustus adhibuerat prudentiam; eloquentissimè ad præconia tanti Imperatoris, posteritati consideranda; in Patria anno 1559. declamauit. Romanam Curiam postea adiens, vxore defuncta, à Pio IV. summo Pontifice; cum quo magnā contraxerat necessitudinem, Protonotarius Apostolicus; mox Bononię Gubernator; tandem anno 1565. Pontificatus VI. 4. Idus Martij, S.R.E. Diaconus S. Luciæ in Septisolio; post tt. S. Cæciliæ Cardinalis Presbyter creatus est. Qui obijt Romę anno sequenti, Pij Papæ V. Pontificatus primò in ipso Kalendarum Septembris limine, mane. Corpus in eius titulo depositum, translatumq; in Patriam; in Ecclesia de Pace, quam Minores Obseruantes incolunt, in sacello, quod Diuo Francisco ipse antea dicauerat, sepelitur; vbi in læuo pariete extat lapis Albus, in quo elogium nigris caracteribus insculptum, legitur.

Francisco Crasso Petri Antonij filio I. C. Aduocato Fisci, præfecto rerum capitalium, Senæ Prætori, Vrbini tertiò Magistro Quæsturæ ordinariorum Senatori, Consiliario principali. Quæstori præfecto vrbis Senarum, & Bononiæ; Cardinali, qui vixit annos 66. mortuus est Romæ Kalendis Septembris, anno 1566. & in monumentum Cellæ huius, quam Diuo Francisco viuens fecit, inferri voluit. Petrus Antonius, & Hippolytus parenti optimè merito PP.

II.

CElebrandus est post hunc, vir egregius, ac spectatæ virtutis IOANNES Suauius Reumanus Vasco Gallus, qui; tanta valuit Pontificij, ac Cæsariani iuris scientia, vt in Rom. Aula pro Gallica Natione; inter sacrę Rotæ Patres adscriptus; Episcopus Mirapicensis eligeretur, quē postea Paulus Quartus

Ponti-

Pontifex, eum flammanti fidei Catholicæ zelo videret ardere, & animo esse immobili, atque inuicto, S. R. E. Cardinalem anno Dom. 1555. Pontificatus I. in secunda promotione; Presbyterum, tt. Sancti Ioannis ante portam Latinam, creauit; cui etiam, & Fabio Mignanello differentias super locationibus, & pensionibus casalium, & domorum, & nonnullorum locorum S. R. E. subiectorum, ob inuasionem Vrbis à militibus Hispanis Proregis Neapolitani factam, multis concessis facultatibus summatim decidendas, commisit. Et cum ingrauescente iam ætate, multis alijs negotijs Pontifex distraheretur; Ioannem hunc, cum Bernardino Tranēse,& Ioanne Baptista Cōsiliario Cardinalibus, adhibitis etiam Ioannis Antonij Vrsini; & Aloysij Lipomani Bergomensis Episcopi consilijs; ad Almę Vrbis,ac totius Ecclesiasticæ ditionis negotia examinanda deputat. Quem Pius Quartus; perspecta eius mentis sagacitate, singulari in rebus pertractādis prudentia,ingenioq; ad omnia; quamuis ardua, ac difficilia, idoneo; è S. Ioannis, ad S. Priscę titulum translatum, sanctissimę Inquisistionis Tribunali, Canonizationiq; B. Didaci præposuit. qua prouincia commissa; cū Signaturæ Iustitiæ esset præfectus; Romæ dolore calculi extinctus est anno Salutis 1566. Pontificatus I 3. Kal. Octobris, sepelitur in ingressu Ecclesiæ S.Spiritus de Saxia; sed postea trāslatus propè Altare Maius, à Scipione Rebiba S. R. E. Card. de Pisis dicto, amico, & testamenti executore in eodem marmoreo monumento, quo prius, cum hoc epitaphio contumulatur.

Iesu Christo spei vitæ futuræ.

Ioannes Suauius Reumanus Gallus, tt. S. Priscæ, Presbyter Cardinalis, ob animi candorem, & eximiam iuris prudentiam; duodecimuiratus litibus iudicandis, ascitus, ac propter humanitatem, & innocentiam; Pauli IV. beneficentia, Patrum Senatu meritò cooptatus; LXIII. agens annum sanctissimè, vt vixerat; ita Christianis-

stianissimè decessit. Die 29. Septembris 1566. Scipio Rebiba tt. S. Angeli, Cardinalis de Pisis, testamenti executor, absolui curauit.

III.

SVbnectendus est his viris doctis, & celeberrimis Ecclesiæ Pręsulibus, TYBERIVS Crispus Italus Romanus, natus an. Domini 1498. pridie Kal. Februarij, hora 15. in quo; tam celeres animi, atq; ingenij motus, ad excogitandum acuti, ad explicandum, ornandumq; vberes, & ad memoriam firmi, atque diuturni extiterunt; vt, cum Philosophiæ operam dedisset; de hoc in Philosophicis assertionibus, quod de Pythagora in naturæ peruestigationibus dicebatur, iure posset affirmari. Tyberij igitur ingenij acumine, atq; in retinenda Ecclesiastica dignitate, graui maiestate Paulus Tertius, cui etiam famulatus fuerat ante Pontificatũ è Perusina Ciuitate; Tyrannide ad extremas Orbis terræ partes propulsata, noua quasi illius Ciuitatis redintegratione constituta, atq; ad bonorum Ciuium quiétem, & ad seditiosorum molestiam (melius dixerim) ad frenũ sceleribus abstinendis, Arce à fundamentis erecta; hunc illius prefectum; & paulò post Ciuitatis Gubernatorẽ, suffecit; cuius præfecturæ monumentum; præter Arcem, cui opera à Ciuibus præstita, perbreui temporis spatio, extremas manus imposuit; Templum dicatum Beatæ Virg. (de Populo vocant) ipso mandante, constructa, satis superq; attestatur. Cum verò maiori cohonestandus dignitate, videretur; Romam à Pontifice accersitur, & Hadriani moli præficitur. In quo officio, cum dignè, & laudabiliter se gessisset, anno 1544. Pont. II. 14. Kalẽ. Ianuarij, in Cardinalẽ S.R.E. Diaconum S. Agathæ; & in eiusdem Perusinæ Ciuitatis Legatũ promouetur. Iulio Tertio Pontif. ex Diacono, factus Presbyter tt. S. Agathæ; suaue iugum, ac leue onus Dominici gregis Amalphitani Archiepiepiscopatus pascendi, humeris impositum, suscepit. Hic à Marcello Secundo ad Pontificatum assumpto, summis honoribus, & Sacerdotijs cohonestatus; ex tt. Sanctæ Agathę, Pio IV. sedente.

dente, ad S. Mariæ Transtiberim translatus, cedente Fr. Michaële Ghislerio Card. Alexãdrino, Ecclesiæ Sutrinç, & Nepesinæ Pastor extitit. Ex Presbytero S. Mariæ Transtiberinæ tt. Calixti, Episcopus Suessanensis, & Cardin. Sabinensis electus. Obijt Sutri die Dominico, pridie nonas Octobris, Anno Domini 1566. Pont. I. ætatis 68. mense 8. die 5. sepeliturq; in Cathedrali.

IV.

EGregium etiam ingenij, doctrinæ, & pietatis specimen posteris reliquit PETRVS FRANCISCVS Pedemõtanus Vercellensis, è familia Ferreria Illustrissima, Bugellæ, & aliorum locorum Domina; quam, eandem esse cum Acciaiola Florentinam, item nobilissima, Authores omnes affirmant. Is Patrem habuit Loffredum Casalis Valoni Dominum, Mediolaniq; Senatus pro Francisco Gallorum Rege Præsidentem; patruos Ioannem Stephanum Episcopum Bononiensem, Alexandri VI. & Bonifacium Eporidiensem etiam Episcopum, Leonis X. Fratrẽ verò Filibertũ Pauli Papæ III. S.R.E. Cardinales, à quo Paulo Pontif. Petrus Franciscus; & ipse; ex Abbate S. Stephani in patria, dum Romanam Curiam sequitur, post Augustinum patruum; Episcopus Vercellensis electus est, quam Ecclesiam, nouẽ in ea (quas vocant) Capellanijs institutis, & dotatis, & Palatio reædificato; ad pristinam restituit dignitatem. Eodem Pont. patruo Bonifacio Cardinale Eporidiense Ciuitatis de latere Legato; Bononiam Prolegatus mittitur. Venetias tandem legatus missus à Pio IV. anno salutis 1561. Pontificatus II. 4. Kal. Martij; Presbyter Cardinalis tt. S. Cæsarei in Palatio; mox S. Agnetis in Agone creatus in familiam suam quartus hũc honorẽ intulit, qui propter eximia ipsius in Sedẽ Apostolicam merita, Guidonem Nepotem suum sacra etiam purpura ab eodem Pontifice insignitum quintum familiæ Cardinalis videre dignus habitus est; sub quo, è S. Agnetis ad S. Anastasiæ tt. trãslatus, anno Domini 1566. Pont. I. pridie Idus

Nouembris Romæ moritur, ſepeliturq; in S. Mariæ Maioris Baſilica; vbi in læua Templi parte, marmoreum è pauimento erectum à ſupradicto Guidone Card. Nepote, cum effigie atq; elogio ſepulchrum conſeruatur.

D. O. M.

Petro Franciſco Ferrerio tt. S. Anaſtaſia S.R.E. Presbytero Card. Ioannis Stephani Bonon. & Bonifacij Portuen. Cardd. ex fratre Nepoti, Philiberti Eporidienſis Card. fr. Guido Card. Vercellenſis patruo optimo, atq; optimè de ſe merito, Poſuit. Vix: annos LIII. Obijt anno ſal. 1566. pridie Idus Nouembris.

V.

ILluſtri decorandus encomiorum exornatione mihi videtur ſummus ille orator Demoſthenes, qui plus ſe debere induſtriæ, à qua ſummus orator factus fuerat, quam matri, à qua eſſe ſuſceperat, dicebat. Dictum tali oratore dignum; ſed illuſtriori celebrandum approbatione illud ipſum eſt Franciſci de Mendozza, & Bobadilla Hiſpani Conchenſis Illuſtriſſimi de Cagnete Marchionis filij præclarum facinus, qui non contentus mendaci (ſic eam vocabat) maiorum ſuorum nobilitate, voluit veram virtutum nobilitatem ſibi comparare, quam comparatam; Archidiaconatu primum Toletanæ Eccleſiæ; deinde, Fr. Franciſco Quignonio tt S. Crucis in Hieruſalem Cardinale cedente, deferenteq; Põtifice Clemente VII. Epiſcopatu Cauriẽſi, cœpit illuſtrare. Hic ſe ſe mihi campus aperit latiſsimus, Franciſci virtutum indicandarum: non laudandarum. Quis.n. tanta ingenij vbertate, tanta dicendi copia præditus reperiatur, qui, cum de huius laudibus plurima dixerit; plura tamen ſe omiſiſſe non fateatur? neq; noſtrum eſt ſingula queq; minutatim recenſere, quod ſi quis ſcire percupiat; quantæ illius virtutes eſſent; ſatis inde colligere poteſt, quod ei Paulus III. anno 1544. Põt. XI. 14. Kal. Ianuarij in decima Cardinaliũ pro motio-

motione; Presbytero tt.S.Mariæ de Aracœli; & post tt.S.Ioannis ante portam Latinam, creato; sacræ purpuræ detulit honorem. Qui sequenti, cedente Fratre Ioanne Toletano Card. Episcopatus Burgensis administratione suscepta; ipsius Ecclesiæ iura defendit, auxitq́;, & longam super hoc cum Burgensi Capitulo quæstionem habuit, de qua in Decisionibus Romanæ Rotæ prima parte, decisione 777. vbi etiã, ob litem super pẽsionem Cauriensem, quam cum Ioanne Quignonio habuit; tertia parte decisionibus 149. & 244. multa videre est. Franciscus anno 1548. Philippo Secundo Hispaniȩ tunc Principi Italiam petenti, occurrit, huncq́; per eandem Prouinciam iter agentem comitatus est, & Iulio Tertio Pontif. ex Presbytero tt. S.Ioannis ante portam Latinam; ad tt. S.Eusebij translatus, anno 1555. vita functo Francisco Toletano Senarum Gubernatore; ipsius Ciuitatis ab eodem Philippo Rege clauum suscepit; donec ipsa vrbs Cosmo Mediceo Florentiæ Duci, annuo imposito tributo addicta est. Archiep. Valẽtinus postea electus, ætate confectus; obijt Burgensi in Ciuitate, *3.* Nonas Decẽbris, anno 15*66*. Pont. I. Huius corpus Concham delatum; in nobilissimo familiæ Mendozziæ sacello, quod in Cathedrali erectũ fuerat ante, sepelitur.

VI.

SEmper mihi placuit celeberrima illa prudenter excogitata, sapienter prolata atheniẽsis Antisthenis sententia, qui; homines virtute præditos fontem in se habere, ex quo nobilitatem sibi affluenter hauriant, dicere solebat, quȩ; eo mihi magis placuit; quò eam non verbis, sed re ipsa confirmasse videtur ANGELVS Nicolinius Florẽtinus, nobilib. parentibus natus, qui quidem tantã; quia in Senarum Gymnasio legalem sibi scientiam compararat, ex se hausit, nobilitatem, vt à Cosmo Mediceo Florentiæ Duce accersitus, apud eum præstantissimi I. C. Senatoris, & Consiliarij nomen sit consecutus; neq; verò, solum Põtificij, ac Cæsariani iuris præstitit cognitione: sed

etiam vir eloquentiſsimus; tanto valuit aureo, quaſi verborũ flumine; vt de eo ſine vlla dubitatione dici poſſit, quod narratur de illo Hercule Ogmio, quem prudentiæ, atq; eloquentię Deum Celtę exiſtimabant, atq; ideò eius ſimulacrum ita pingebant; vt ab eius lingua quamplurimæ catenæ aureæ proflue rent, quæ maximam hominum multitudinem auribus alligatã ita traherent; vt tamen omnes libentiſſimè ſequi viderentur. Quæ; quam verè de Angelo dici poſsint; ex eo apparet, quod Oratoris munere apud Paulum Tertium Pontificem Maximũ; & anno 1538. apud Carolum V. Imperatorem functus, apud quẽ maximis quidem de rebus; ſed pręcipuè de cauſa, quæ inter Coſmum, & Margaritam ipſius Caroli Cæſaris filiam; olim Alexandri Medicei Florentiæ Ducis, ſine liberis vita functi, vxorem, quæ multa; ratione dotis; tam profectitię, quam aduẽtitiæ, ex Neapolitano ſtatuto in bonis patrimonialib. dicti Alexandri, quorum maior pars fideicõmiſſo erat ſuppoſita; pręte ndebat. De hac (inquam) cauſa apud Cæſarem multis agẽs; omnia per eloquentiam ſuam, ad fauorem dicti Coſmi impetrauit. Cæterum anno 1557. Senarum Ciuitatis, quæ in ipſius Ducis poteſtatem annuo, vt diximus, tributo impoſito, peruenerat; Gubernator, & Locumtenens deſignatus; anno 1559. Montis Alcini, & reliquæ Senarum ditionis, pro eodem, poſſeſſionem adipiſcitur. Enimuerò quoniam, & Eccleſiaſticarũ dignitatum honoribus dignus videbatur; ecce defuncta vxore, ex qua filios ſuſceperat, anno 1563. ad Archiepiſc. Piſarũ adminiſtrationem, poſt Ioannẽ Cardinalẽ Mediceũ, à Pio IV. euectus eſt; & anno 1565. 4. idus Martij; in eorundem Principũ grã, apud quos pluris iſtius virtus, erat; illi ipſi tt. S. Calixti dato, ſacræ purpuræ honos eſt delatus. Moritur is Senis, repẽtina morte, 11. vel vt alij 18. Kal. Septembris, anno Domini 1567. Pont. II. hora 18. Eius corpus Florentiam deportatũ, in Eccleſia S. Crucis, in ornatiſſimo gentilitio ſacello, honorifico ſepulchro à Ioanne filio, donatus, in quo epitaphium hoc conditum eſt.

Ange-

Angelo Nicolinio Matthæi filio, Angeli Nepoti, I. C. ac Senatori clarißimo, Cosmi Hetruriæ Magni Ducis Consiliario, qui primò ad Paulum Tertium Pontificem Maximum, & Carolum Quintum Imperatorem Legationibus egregiè functus; deinde Senarum Gubernationi, præpositus; itemq; Pisanæ Ecclesiæ Archiepiscopus; postremò à Pio IV. in Cardinalium Collegium cooptatus; integritatem, & innocentiam suam, omnibus probauit. Obijt anno Salutis 1567. ætatis 66. Ioannes filius legitimo matrimonio procreatus, Patri optimo posuit.

VII.

IN hoc quoq; sermonis genere floruit Fr. CLEMENS Dolera Italus, ex Moniliano oppido Genuẽ. Diœcesis, natus anno Dom. 1501. 12. Kal. Iulij, à meridie hora XIX. Qui adolescens ad Fratrum Minorum de Obseruantia, familiam se contulit; cumq; literarum studio, quæ ab humanitate nomen inuenerunt; deinde Dialecticæ, Philosophiæ, ac Theologię se dedisset; Magister euadens, eas scientias, multis in Gymnasijs, publicè, summa cum laude, professus est; ob quarum singularem præstantiam; ab inferioribus religionis suæ munerib. Salmanticę in Hispania anno 1553. ad summi Ministerij apicem conscendit, ipsiq; per sex annos, summa cum omnium approbatione, præfuit. Hoc sibi ad maiores honores aditu patefacto; à Paulo Quarto, apud quẽ; & gratia valebat; & auctoritate, anno 1557. Pontificatus Secundo, idibus Martij, Presbyter Card. tt. S. Mariæ de Aracœli creatus est, fuitq; sacri Romani Imperij Protector; cui etiam Pius IV. quod in eodem ad oẽs administrationes suscipiendas aptitudinem videret, Epatũ Fulginatensem, anno salutis 1560. cõmisit. Sanctiss Inquisit. Tribunali Clemens, cum alijs octo Cardinalib doctrina, & pietate conspicuis prępositus, & inter alios octo Patres, qui Tridentini Cõcilij Decreta seruari curarent, delectus; pro Canonizatione Beati Didaci, eiusdem Ordinis sancti viri, deputatus. Tandem, naturæ; ex hac vita sublatus, cessit Romę ad S. Petrũ

in Monteaureo, die Martis, in sanctissimæ Epiphaniæ Domini Festo, hora 17. anno salutis 1568. Pont. II. hęredibus sibi ex testamento institutis, S. Iacobi de Vrbe pauperibus incurabilibus. Eius corpus in suo titulo, ante Altare Maius, sub lapide marmoreo, in quo literis æneis insculptum extat hoc epitaphium; tumulatur.

D. O. M.

Clementi Moniliano Cardinali Aracæli, summæ doctrinæ, & religionis viro, prudentiæ documento per omnes honorum gradus, ad summam, in Ordine Fratrum Minorum de Obseruantia dignitatē elato, à Paulo Quarto Card. creato; liberalitatē, quam semper viuens exercuerat; moriens cōprobauit. Pauperes Incurabiles Hospitalis Sancti Iacobi, ex testamento hæredes, beneficij accepti ergò B. M. P. Vixit annos 66. menses 6. dies 16. Obijt 8. idus Ianuarij 1568.

Ipsius singularis doctrinæ, non obscura testimonia posteritati consecrata, extant. Compendium Catholicarum institutionum, & duo perutiles tractatus. Alter de peccatis, & eorum differentijs. Alter de Sacerdotum Cœlibatu; & quædam alia. Quę hic de Clemente desunt, apud Vbertum Folietam in clarorum Ligurum Elogijs, inueniet Lector.

VIII.

ET si tam celebris viri Io. Michaelis, è nobilissima inter Neapolitanos familia, olim Girifalca; ob victoriam postea de potentissimo hoste sarraceno à fortissimo equite gentile reportatam Sarracena dicta, nati Kal. Nouembris anno 1498. hora 4. post meridiē; & si (inquam) huius tā præclari viri memoria, minime cum lacrymis recensenda est; huius tamen; vt fuit vita omnibus laudibus plena; ita debet semper esse, eius

ſe, eius feſtiua, iucundaq; recordatio. Is; quia egregiæ indolis erat Philoſophiæ, ac Theologiæ grauioribus ſtudijs animum appulit, quibus id primum conſecutus eſt; vt in Archiepiſcopum Acheruntinum, & Materanum in Apulia promoueretur; & à Paulo III. anno 1546. ad celeberrimum Chriſtiani Orbis theatrum (Tridentinum Concilium intelligo) quo non niſi eruditiſsimi quiq; & religioſiſsimi conuenerunt; mitteretur, Quem;cum Iulius III. eius præclaras dotes,& prçſtantem quendam in rebus forenſibus modum, admiraretur; non potuit,non eum Romanis rebus rite gubernandis præficere, in cuius adminiſtratione; cum omnibus, tum verò maximè ipſi Pontifici admirabilem ſe præſtitit, à quo anno 1551. Pontificatus II. 13. Kal. Ianuarij, Presbyter Card. tt. S. Mariæ de Aracœli creatus, Archiconfraternitatis Neophytorum protector, vna cum Innocentio Cardinale Montio,& à Paulo IV. in cauſis annatarum, & quindennij Cameræ Apoſtolicæ, cum Fabio Cardinale Mignanello eligitur. E titulo verò S. Mariæ de Aracœli; ad S. Anaſtaſiæ tranſlatus, à Marcello II. ſimul atq; Pontificatum aſcendit; altero ex ſacerdotijs, quibus ipſe in minoribus dotabatur, decoratus eſt. Cum inter Canonicos Regulares S. Auguſtini Congregationis Lateranenſis, & Monachos S. Benedicti ordinis Caſsinenſis, lis eſſet exorta; Pius Pont. rem totam Sarraceno, Cicadæ, & Tranenſi,Cardinalibus, qui pro Canonicis retulerunt, commiſit; hunc etiam, cum ſeptem alijs eiuſdem ordinis patribus, Caroli Cardinalis Carafæ quæſtioni adeſſe voluit; & quod magis eſt;Iudicibus aſsiſtere, cui idem,& Morono, Cicadæ, & Alexandrino, Cardinalibus,oblata Concilij Tridentini decreta inſpicienda, atq; examinanda;eoſdem, & alios, qui ea ſeruari curarent deligendo,tradidit. Tribunali ſanctiſsimæ Inquiſitionis, præpoſuit; & cum Philippus Hiſpaniarum Rex, Beati Didaci Canonizationem expeteret; Sarracenum; prçter cçteros Cardinales, qui rem examinarent, conſtituit, qui ex Presbytero tt. S. Anaſtaſiæ; Presbyter tt.S.Agathæ; & mox S. Mariæ Tranſtiberim, tt. Calixti factus; Epi-
ſcopa-

ſcopatus Licienſis adminiſtrationem non repudiauit. Pio V. Pontifice; vt Archiconfraternitatis Hoſpitalis, & Monaſterij Cathecumenorum, & Neophytorum Protector; vna cum Ioanne Card. Politiano, Monaſterium Monialium Virginũ Neophytarũ anguſtum nimis redditum, propter magnam Iudęorũ quantitatem, qui ſub Pio V. ad fidem conuertebantur; à B.M. Annunciatę; ad Eccleſiam S.Baſilij; in regionem montiũ Vrbis ſatis commodam tranſtulit. Et ex Presbytero Epiſcopus Cardinalis Sabinus creatus; obijt Romæ die Martis, 5. Kalẽ. Maij, anno 1568. Pontif. III. ætatis 69. menſe 5. die 26. hora 16. ſepultusq; eſt ad S. Mariæ ſuper Mineruam, vbi ante Maiores ipſius Eccleſiæ fores, in pauiméto extat lapis, in quo Card. inſignia, & infraſcripta inſculpta leguntur. Oſſa poſtea ipſius Neapolim trãslata, ibi in maiorũ ſuorũ ſepulchro cõdita sũt.

D. O. M.

Ioannes Michaël Epiſcopus Sabinenſis, Card. Sarracenus Neapolitanus, annum agens 69. Obijt 5. Kal. Maij.

IX.

VT cætera pręclara; cum verò illud, quaſi quoddam oraculũ, edidiſſe mihi videtur Gallus ille, qui dicere identidem ſolebat. Tantum, in literis, & præſertim in legali ſapientia poſitum eſſe; vt eas ſiquis ſuſtulerit, Solem quodãmodo ipſum de mũdo ſuſtuliſſe videatur. Quæ preclara ſententia, videtur arriſiſſe Lvdovico Simonetę Italo Mediolanẽſi nobiliſſimo, qui adeo illius ſe radijs illuſtrauit, vt cum I.V.Doctor Romanam Curiam ſecutus fuiſſet, ad Epiſcopatum Piſaurienſem, quem Iacobus item Simoneta Pauli III. Card. gentilitius, multis annis ſanctiſsimè rexerat, ob ipſius quidem Iacobi in Sedem Apoſtolicam, merita; ſed præcipuè ob Ludouici legalem ſapientiam, morum grauitatem, & vitæ integritatem, fuerit aſſumptus, quas virtutes; non ſolũ in Concilio Tridentino,

no, sub Paulo III. anno 1546. sed etiam in alijs muneribus, à Pontificibus sibi demandatis, summa cum integritatis, humanitatis, & iustitiæ laude demonstrauit. A Pio idem Quarto ex Datario anno 1561. Pont. II. 4. Kal. Martij in Card. Presbyt. tt. S.Cyriaci in Thermis promotus; & sequenti anno, cũ Pontifex vniuersale Christianorum Concilium Tridenti prosequẽdum esse, & iterum inchoandum indixisset; Apostolicæ Sedis Legatis Præsidentibus, Hercule Gonzaga Mantuano, Hieronymo Seripando Neapolitano, & Stanislao Hosio Polono Cardinalibus, missis; his, haud ita multo post; Ludouicus, & Marcus Sitticus Altaempsius, adiuncti sunt, cui Concilio, cum postea finis esset impositus, idem Simoneta, & Ioannes Card. Moronus, duo ex ipsis Legatis; quibus id publicè fuerat à Patribus Concilij demandatum, Romam reuersi, ipsorum nomine omnium in ipso Concilio actorum confirmationem à Summo Põtifice petierunt, & diplomate eiusdem, dato Romæ 8. Kal. Februarij, anno 1564. obtinuerunt. Nec me præterit, eundẽ Ludouicũ in octo Patres, qui ipsius Concilij Decreta seruari, debebant curare, delectum; & inter nouem eiusdem Ordinis, qui sanctissimæ Inquisitionis tribunali præpositi erant, deputatum; Signaturæ tandem Iustitiæ pręfectum fuisse; qui ex Presbytero S. Cyriaci factus Presbyter tt. S. Anastasiæ, ab hominibus, ad superos feliciter demigrauit Romæ die Veneris, pridie Kalend. Maij, hora noctis prima, anno Sal. 1568. Pij Papæ V. Põt. III. sepeliturq; ad S. Mariã Angelorũ in Thermis apud Carthusianos; Et hæc de Ludouico Simoneta.

Verũ non abre fuerit; scelestũ facinus, patratũ à nefario quodã homine, qui Simonetæ Card. facie persimilis; ipsius nomẽ, habitumq; vsurparat, in memoriã reuocare. Erat iuuenis infimæ conditionis; ex patre tamen Dei timorem præ oculis habente, natus, qui (vt plerįq; malorum) spreto ipsius consilio; hortabatur.n hũc pater quotidie, vt ad artem aliquam exercendam, qua victum sibi pararet, animum induceret; prędonibus comitem se addixit, & talem se in latrocinijs ostendit; vt breui inter ip-

ter ipſos, primum locum ſit conſecutus, & eò temeritatis venit, vt; quò facilius furari ſibi liceret; cum Ludouicum Simonetam facie repreſentaret, Cardinalis habitum indutus, & ipſius Card. ſimulata grauitate, ſibi Legati nomen arrogans, magna latronũ caterua inſequente, quaſi honeſta familia, qui ipſi in diuerſis officijs coram inſeruiebant coronatus, multis in locis in Ciuitatum finibus, in montibus præſertim vagans; impedimenta Matrimonij in tertio, & ſecundo affinitatis gradu, & diſpenſationes concedendo, renunciationibus beneficiorũ admiſsis; excommunicationis vinculo annexis, liberatis; indulgentijs cõceſsis; & alijs ſimilibus, vel etiam multò maioribus, quæ Legatus de latere facere conſueuit, perpetratis; tantã auri vim, ex his ſibi comparauit; vt tota ſupellectilis, ex auro, atque argento, eſſet confecta, ex quo factum eſt, vt in tanta haberetur exiſtimatione, vt eum multi nobiles aliquando comitati ſint, hoſpitio honorificè exceperint, necnon precioſis muneribus fuerint proſecuti, inter quos Annibal Lambertinus nobiliſſimus Bononienſis, Podij Rognatici Comes, hunc per comitatum ſuum iter agentem, vt domum ſuam diuerteret, eum ſuppliciter rogaſſet, ab hoc in eo hoſpitio, in quo morabatur; lautiſſimo, ac ſplendidiſſimo conuiuio, fuit exceptus. Cum autem in ditionẽ Bononienſem (Deo ita permittente) qui, vt ibi, quæ multis in locis concederet, veniſſe, Petrus Donatus Cæſius, Vrbis tũc Præfectus, poſtea S.R.E. Cardinalis, audiuiſſet; lictorib. miſſis, eundem cum nonnullis ex familiarib. (nam multi fugæ ſe dederant) captum, & teterrimo carceri mancipatũ, cum multa vir ſceleſtiſsimus indigna confeſſus eſſet, ſuſpendẽdum condemnauit, quod factum eſt, laqueo aureo ad collũ appenſo, & marſupio vacuo, ac inſcriptione, qua populum; non hunc eſſe Cardinalem Simonetam, vt ſe iactabat: ſed graſſatorem, tunc ſine moneta moneret. Itaq; tantis pecunis per fas, ac nefas congeſtis, hoc effecit, vt aureo laqueo empto ſuſpenſus vitam, quam ſceleſtiſsime tranſigerat, ſceleleſtiſsimè etiam finiret.

X. Si

X.

SI facta præclarorum, atq; insignium virorum, æterna seculorum memoria dignissima, pro dignitate, quemquam prosequi posse putarem; esset profecto, quod me non mediocriter commoueret: sed illud est mihi in tanto negotio leuaminis, quod, teste sapientissimo, atq; eloquentissimo viro, tãtum abest, vt externa exornatione alicuius laudes magis extollantur, vt potius eleuentur; sed quoniam virtute clari laudandi sunt, ad aliorum exercitationem; Horatij exemplo.

Paulum sepultæ distat inertiæ,
Celata virtus.

Elogij nostri breuitate prosequemur Fr. BERNARDVM Iacobi Saluiati nobilissimi Florentini, & Lucretiæ Mediceæ, Leonis Decimi Pont. sororis, filium, Ioannis Saluiati Card. fratrẽ. Is habitum militarem Rhodiæ Militię sub Clemente Septimo, sumens, eo .s. tempore, quo religio ab vrbe Rhodo à Solymano Turcarum tyranno, post diuturnam obsidionem, expulsa, Melitam Insulam, Carolo V. Imperatore concedente, colere cœpit; iuuenis adhuc; sed strenuus, ipsius triremium Pręfecturam consecutus, Turcarum maritimas oras perlustrans, sancta quadam, pro expulsa Militia, indignatione correptus; Coronem, & Modonem, Ciuitates, quæ in Peloponesi ditione sitæ sunt, vi acceptas, ac deuictas, sacræ Religioni adscripsit, à quibus postea, vtpotè à pręsidio nimium distantibus, eadem defecit; cui, ob id, Militia, Romanum Prioratum eiusdem Ordinis, quæ dignitas, non nisi Principibus viris defertur, contulit. Cęterum cum Clemens Põt. obijsset; Bernardus, cum Philippo Strocio, & Laurentio Rodulpho, à fratre Cardinale; & alijs Florentinis extorribus Barcinonam mittitur Carolum Quintum Imperatorem rogatum, vt Patriæ restituat libertatem. In Galliam postea profectus cum eodem Philippo, strenuorum militum Dux factus; fortem, & imperterritum se in bello demõstrauit; sed

ſed non multò poſt à Catherina Francorũ Regina, ipſius cōſanguinea in Aulã Aduocatus, ea ab incertis belli euẽtibus, ac periculis, ad vitæ pacatioris ſtatum adhortante, clericali habitu ſumpto, à Rege nonnulla ſacerdotia; mox eiuſdem Reginæ maioris Eleemoſynarij munus obtinuit, in quo obeundo tantam præſetulit pietatem; vt ad Epiſcopalem dignitatem euectus, in Claramontana Eccleſia Guilielmo dù Prat Antonij Cardinalis, ex legitimo matrimonio filio ſucceſſerit; electus etiam S. Papuli Epiſcopus, quod Sacerdotium Antonio Maria Saluiato Cameræ Apoſtolicæ Clerico, & poſtea S.R.E. Cardinali nepoti ceſsit. Bernardum tandem, Pius Quartus Regina ſemel, iterum, ac tertiò inſtante, & ſingulares eius virtutes prædicante, & Cardinea dignitate dignas approbante; in ſecunda octodecim Card. creatione, Romę 4. Kalen. Martias, anno ſalutis 1561. Pontificatus Secundo, Presbyterum Card. tt. S. Simeonis creauit, ex quo titulo Pio V. ſedente; ad S. Priſcæ translatus, ex hac mortali, ad immortalem vitam ſe tranſtulit, Romę anno 1568. Pij V. Pont. Tertio, die Iouis, pridie Nonas Maij, hora noctis prima, ſepeliturq; in ſanctæ Mariæ ſuper Mineruam.

XI.

QVamuis aliqua ex maiorum antiquitate, ac nobilitate gloria poſsit emanare; certior tamen habenda eſt (vt ait Valerius Maximus) ea nobilitas, quam ſibi quiſque ſuis virtutibus parat; quam, quæ ex maiorum tantum imaginibus cuique contingit; hos.n. qui tantum de maiorum ſuorũ nobilitate gloriantur, celeberrimus Orator obiurgat. *Quid maiores* (inquit) *veſtros nominatis? Qui ſi veſtri ſimiles fuiſſent, vos hodie in poſtremis iaceretis; ſi quales vos eſtis, tales ipſi fuerunt, indigni ſunt, qui nominentur: ſin alij; vos indigni, qui eos nominetis.* Non ſe igitur iactabat ob maiorum ſuorum nominis celebrationẽ; ſed propter virtutes ſuas FRANCISCVS Abundius Italus, Hieronymi Caſtillionæi nobiliſsimi Mediolanenſis, &

Ciui-

Ciuitatis Senatus Regij Præsidis filius, natus anno 1523. Kalē. Februarij, cuius familia; vt Cathalogo Sanctorum adscriptos viros, Mediolani, & aliarum Ciuitatum Antistites, & cæteros toga, atq; armis celeberrimos proceres omittam; Cœlestinum IV. Summum Pontificem, Octauianū SS. Sergij, & Bachi; post Ostiensem Episcopum; Lucij III. Gotifredum S. Hadriani, Innocentij Quarti; Brandā Placentinū, Ioannis XXII. & Ioannē Papiensem Calixti III. Cardd. edidit in lucē. Is adhuc iuuenis linguæ græcæ, ac latinæ cognitioni studuit, & Ticini in leges Pontificias, ac Ciuiles incubuit, multum etiam poëtica arte delectatus, qua nonnulla sermone Hetrusco composuit, quæ inter alia variorum Authorum Hieronymus Ruscellus posuit lib. 6. vt etiam quædam pia in laudem B. Virginis, quæ Matthæus Castillionæus recenter mundo communicauit in ijs Cōmentarijs, in quibus Francisci meminit; ijs etiam addidit Philosophiam, ac sacram Theologiam, quibus animum appulit. Nobilissima post S. Abundij Comensis Abbatia Cisterciensis Ordinis insignitus Philippo eius patruo Iurisconsulto, & literis humanioribus eruditissimo viro renunciante, eā rectè, & ritè regens, cum; non solum singularem Philippi in ea instituenda administrationem adæquasset: sed etiam superasset, ad Episcopalem post grauissimam ægritudinem, quæ ad mortis vsq; limina eum adduxerat; Bobij cathedram à Pio IV. anno 1562. 5. Idus Ianuarij promotus, & ad Concilium Tridentinum missus; triennio post Pont. VI. in 4. 23. Cardinalium creatione, IV. Idus Martij, Presbyter Card. tt. S. Nicolai inter imagines creatur, qui, Episcopatum postea prædictum; non gentilibus: sed viro dignitatis verè digno, Luganensi cuidam Camutio familiari suo, viri eruditissimi, & religiosissimi virtutem admiratus, renunciauit. Is etiam Castillionçæ familiæ suæ monumenta; ex annalibus, ad historiam à Bonauentura Castillionæo, redacta, in cathalogum reduxit, eaq; Camillo Castillionæo viro literis expolito dono dedit, quibus Ant. Besa Nigrinus I. V. Doctor Dominus, atq; amicus meus, vir in omnibus disci-

disciplinis; sed præcipuè in Iure, ac politioribus literis excellens, in componendis elogijs insignium virorum huius Illustrissimæ familiæ vsus est, quæ lectori; vt ei magis innotescant Frãcisci virtutes, legenda relinquimus; hoc tantum de ipso dicturi, leges, ac mores Collegij Castillionæi Ticini, olim à Brãda Cardinale erecti; ijs propè destituti reformasse, & proprio sumptu etiam restaurasse, eiq; multa moriens piè legasse, necnon pulcherrimæ sepulturæ Cœlestino Papa Quarto erigẽdæ principium dedisse; quæ ipso mortuo, imperfecta mansit. Obijt enim Romæ die Martis 18. Kal. Decembris, anno 1568. Pontif. III. hora noctis secunda; sepeliturq; in S. Maria de Populo in marmoreo, quod nunc cernitur sepulchro, vbi ad læuam eiusdem Ecclesiæ, & ipsius effigies, elogiumq; (vt illud, quod Paulus Manutius instantibus testamenti executoribus, composuit, taceamus) subscriptum videre est.

D. O. M.

Francisco Abundio Castillionæo Mediolanensi, Hieronymi Senatoris Mediolani Præsidis, filio, S.R.E. Presbyt. Card. Cœlestini IV. Pont. Max. Octauiani, Gotifredi, Brandæ, & Ioannis Cardd. gentili; Pio IV. Pontifici Maximo valdè caro, atq; ab eodem; ob fidem, ac pietatem, quam Episcopus Bobiensis in Tridentino Concilio præstitit, in amplißimum Collegium cooptato. Vixit annos 45. obijt anno 1568. 18. Kal. Decembris. Ioseph Castillionæus I. C. hæres, patrueli, & Ioãnes Iacobus Archiepiscopus Barensis, cõmune M. P. Excepto donec veniat immutatio mea.

Præter gentis stemmata, Franciscus in celeberrima Fidentium Academia Ticini, pro insigne habuit sertum frondibus lauri, quercus, & oliuæ insertum, super Altare positũ, cum hac inscriptione. *Triplici virtute micatur.* vel cum hac alia; *Si re ctè facies.*

XII. Fal-

XII'.

FAlſum eſſe illud prouerbium, quod vulgata populi paroemia circumfertur. Filios, videlicet, Heroum noxas eſſe, oſtẽdit VITELLOTIVS Vitellius nobiliſſimus Tiphernas Italus, ab ipſius Ciuitatis Regulis originẽ ducens Alexãdri illius, in tota Europa celeberrimi viri, exercitus Imperatoris ſtrenuiſſimi, cuius opera tres Summi Pontifices, Clemens VII. Paulus III. & Iulius III. vſi ſunt; Angelæq; Rubeæ filius, qui annorum quatuordecim Patauium miſſus, quo ſe virtutũ ornamentis expoliret, ſpatio ſex annorum, legalis ſapiẽtiæ toga meruit condecorari. Cum Romam ergo veniſſet, & virtutum ſuarũ quoſdam, quaſi radios effundere cœpiſſet; à Iulio Tertio Cameræ Apoſtolicæ Clericus; mox Patrię Epiſcopus electus eſt; Paulus verò IV. cum Vitellotium, non omnibus, quos merebat, honoribus non potuiſſe decorari, à Iulio Tertio videret; cum anno 1557. Pont. II. idibus Martij; dũ ſecundo Cardinales pro moueret, Diaconum Cardinalem SS. Sergij, & Bacchi creauit; cuius apud eundem, vſq; adeo authoritas valuit; vt in difficilioribus negotijs, nihil ille publicè, aut priuatim ageret, quod nõ prius Vitellotij conſilium approbaſſet. Qui pace inter ipſum Pont. & Neapoli Proregem Albæ Ducem, poſt diuturnum bellum, ſumma prudentia compoſita; eodem anno Pio IV. ſedente, è SS. Sergij, & Bacchi, ad S. Mariæ in Porticu; & poſt ad S. Mariæ in via lata Diaconatum trãſlatus; anno 1564. defuncto Guidone Aſcanio Cardin. Sfortia S. R. E. Camerarius, ſeptuaginta millibus aureis Cameræ Apoſtolicæ ſolutis, renunciatus, ac Epiſcopatus Imolenſis adminiſtrator; Campaniæ, & Maritimę de latere Legatus declaratus; adnumeratusq; inter hęreticæ prauitatis Inquiſitores; Congregationibus pro interpretatione, & exequutione Concilij Tridentini; B. Didaci Canonizatione; pro Tyberis innundatione coercenda; bonorumq; Eccleſiaſticorum malè alienatorum cognitione; Signaturæq; Gratiæ præficitur; Regni Gallorum protector, ac Priuilegio-

rum, quæ Pius Quintus exercentibus artẽ Agricolturæ in distri ctu Almæ Vrbis, blandaq;, ad eandem Vrbem deferentib. cõcesserat, Conseruator deputatus; ex his, atq; alijs multis muneribus magnam sibi Cardinalis hic laudem comparauit. Accedit ad hæc, quod fuit diligentissimus indagator actionũ Summorum Pontificum, & Cardinalium antiquorum, multaq; ad hanc rem spectantia; summo labore, ac magnis sumptibus, ex Archiuijs, & Bibliothecis publicis, ac priuatis, Auinioni, Lugduni, & aliarum vrbium in Gallia, Hispania, atque Italia collecta sunt, quæ si ad continuatam historiam redacta; typis, vt ipse statuerat, mandata fuissent, tantam antiquorum Præsulum iacturam gloria non fecisset, neq; nos hodierna luce præclare gesta desiderari, frustra conquereremur. Sed heu, quot virtutum vno momenti spatio iacturam fecit Resp. Christiana. Qualem virum, quod sydus amisimus? loquor improprie, & torrente rapior vulgaris elogij. Ita verò me ille amet, cuius in amore felicitas vera est, vt ego viuẽtium fama forte aliquos, neminem sibi, vel ingenio, vel legali sapientia, vel tandem morum suauitate præferendum noui. Obijt Vitellotius Romæ die Veneris 13. Kal. Decembris, hora noctis 2. anno Domini 1568. Pontificatus III. ætatis 37. sepeliturq; in sua Diaconia Sanctæ Mariæ in via lata.

XIII.

INter eos, qui patriam suam, rebus præclarè gestis, & claritate sui nominis illustrarunt, nemo mihi præclarius de patria bene mereri videtur, quam, qui eam propria virtute; non ex fumosis antiquorum suorum imaginibus, desumpta, moribus, exemplis, ac pietate; plusquam armis, aut literis ornant, instruunt, atq; defendunt, & ij quidem, quantò rariores sunt, tanto prçstantiores sunt habendi. atq; ex ijs mea sanè sententia extitit Io. BERNARDINVS Scotus, è castro Maliani Sabinensis Diœcesis, vir quidem honestis natus parentibus; sed literarum vsu, rerum, ac vitæ honestate longè præstantior. Is;

rerum

rerum humanarum curis affatim destitutus, in ipso ætatis flore, & ipsius religionis fundamentis, nouam Clericorum Regularium Cõgregationem à Ioanne Petro Carafa Theatino Episcopo; post S. R. E. Cardinale; & demum summo Pontifice institutam, quæ Theatina dicta est; ingressus, seuerioris vitæ cultum, cum ipso, & alijs huius pij instituti socijs professus, ab eodem ad Apostolatus Apicem euecto, Tranẽsis Archiepiscopus; mox anno 1555. Pontificatus I. 13. Kal. Ianuarij Presbyter Card. tt. S. Matthæi in Merulana creatus, ipsius integritati, ac prudentiæ totam rerum summam commisit, cui etiam quantum fideret, Ioanniq; Reumano, & Ioanni Baptistæ Consiliario, Cardd.ostẽdit idem Paulus, constitutione 19. quando grauissimis alijs curis impeditus; his, cum consilio, & voto Ioannis Antonij Vrsini,& Aloysij Lipomani Bergomensis Episcopi, quæcumq; negotia Almæ Vrbis, & totius Ecclesiastici status cognoscenda, commisit. Hic sedente Pio IV. ad Episcopatum Placentinum, anno 1560. translatus, annotationes multas; olim sub Paulo IV. qui orandi, & celebrandi, varietatem, in diuersis Ecclesiarum locis, per abusum introductam, constituerat emendare, super Romani Breuiarij reformationem factas collegit; Missaleq;, ab Alexandro Brixiensi tunc reformatum, examinauit, & sacris Concilij Tridentini Patribus(Pontifice mandante)misit, sicq; Breuiarium,& Missale Romanum ad pristinum morem,& institutum; vt nunc cernimus, ipso in primis, Bernardino Card.Tranẽse,Egydio Foscarario nob.Bonon.Mutinẽsi Episcopo ordinis Prædicatorum, viro vitæ sanctimonia illustri, alijsq; patribus ad id munus à summis Pontificibus Pio IV. & Pio V. delectis, elaborantibus,redacta sunt; cui etiam,& Ioanni Michàëli Sarraceno, & Ioanni Baptistę Cicadæ item S. R. E. Presbyteris Cardinalibus litem inter Canonicos regulares S. Augustini, congregationis Lateranensis,& Monachos ordinis S.Benedicti congregationis Casfinensis super ipsorum præcedentiam, audiendam, & sibi referendam, Pius IV. commisit. A Pio V. Scipione Rebiba,Francisco

cisco Pacieco, Ioanne Francisco Gambara Cardinalibus sanctissimo officio Inquisitionis hæreticæ prauitatis Præfectis, inter hos ipse Tranensis primum locum tenuit; qui obijt Romæ die sabathi 3. Nonas Decembris anno à partu Virgineo 1568. Pont. III. ibiq; in S. Pauli Basilica, extra Vrbis mœnia, via Ostiensi moli sepulchrali corpus demandatum est, vbi in Sanctissimi Sacramenti sacello Sarcophagum sibi extruxerat hoc titulo inscriptum.

Ioannes Bernardinus S. R. E. Cardinalis, Episcopus Placentinus, viuens sibi posuit anno Domini 1563. Οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει. idest *non mortuus est: sed dormit.*

XIV.

INiquũ planè arbitror in hac clarissimorum virorum classe obliuisci nominis celeberrimi Io. ANTONII Capisucci nobilis Rom. qui Pauli Capisucci Rotę Decani, & post Neocastrensis Episc. patrui, celeberrimi viri, iuuenis adhuc, virtutes imitatus, in eodem sacro Auditorio, post minora adhibita officia; tum ob singularia patrui merita; tum ob admirabiles legalis prudẽtiæ assertiones laudabiliter per multos annos versatus est, cuius in eo munere cognitis præclaris dotibus, Paulus Quartus in secunda septem purpuratorum Patrum ordinatione, anno 1555. Pontificatus I. 13. Kal. Ianuarij, Romæ habita, eum Presbyterum Card. tt. S. Pancratij; & post Laudensis Ecclesiæ Episcopum creauit; quẽ Pius IV. è tt. S. Pancratij, ad S. Crucis in Hierusalem; post ad S. Clementis titulum transtulit; & Pius Quintus Vitellotio Cardin. Vitellio, vita functo, Signaturę Gratię Præfectura cohonestauit, sub quo, ex hoc corporis ergastulo animã exhalauit anno incarnationis diuini Verbi 1569. Pontificatus IV. die Sabbathi, 4. Kal. Februarij, hora 12. & in suo titulo sub lapide in pauimento propè sacellum eiusdem familiæ collocato, sequenti elogio inscripto contumulatur.

D.O.M.

D. O. M.

Ioanni Antonio Capisucco tt. S. Clementis, Presbyt. Cardinali, Episcopo Lauden. à Pio Quinto subsignandis Gratiæ rescriptis præposito, viro integerrimo, pietatis, religionisq. Christianæ cultori præcipuo. Hieronymus Capisuccus patruo B. M. posuit. Vixit annos 53. menses 3. dies 8. obijt 4. Kal. Februarij 1569.

XV.

SApienter quidem fecisse cēsendus est ille ipse PHILIBERTVS Naldius Burdesius Gallus, patris Equestris ordinis viri, & totius Galliæ Regni exedificationibus Præpositi; & Mariæ Gaudim filius, qui; cum non ignoraret hominem; immortalem, ac diuinum à sola virtute fieri, in Parisiensi Academia; ita literis vacauit, vt nulla habita ætatis ratione, adhuc iuuenis Engolismensem; & postea Antisiodorensem Ecclesias susceperit, moderandas; factusq; sit de Consilio Henrici Secundi Regis, in cuius Aula; cum nomen suum celebre reddidisset, duplici laude, & doctrinę, & prudentię identidem commendabatur, ex quo factum est, vt ab eodem Rege Romam ad Paulū IV. Pontificē Orator mitteretur, in quo munere obeundo, magna cum sui gloria, & Henrico, & duobus Regibus ipsi successoribus, & Summis etiam Pontificibus Paulo, & Pio IV. satisfecit, & propterea ad Cardinalatus fastigium; non minus Carolo IX. instante, quam ipso Pio spontè deferente, propter singulares eius virtutes, in secunda 18. Cardinaliū electione Romę, 4. Kal. Martij, anno 1561. Pont. II. habita, creatus Presbyter tt. S. Sixti; & post tt. S. Martini in Mōtibus euectus sit, qui titulo alio relicto; S. Anastasiæ titulum sumens, anno 1570. Pij V. Pontificatus V. 7. Kal. Februarij, morte repentina, Romæ occubuit; cuius corpus in S. Ludouici Nationis Gallicanę Templo, sepulturæ demandatum est, vbi in ipsius Ecclesiæ pauimento propè portā lapis inuisitur, sequēti epitaphio inscriptus.

 D.O.M.

D. O. M.

Philiberto Naldio Burdesio S. R. E. Card. trium Galliæ Regum, Henrici II. Francisci II. & Caroli IX. apud Paulũ IV. & Piũ IV. Pont. Max. Legatione perpetua, egregiè functo. Maria Gaudim mater; Philibertus, & Fabritius nepotes posuerunt. Vixit annos 57. ob. anno 1570. 7. Kal. Februarij.

XVI.

SEquitur, vt de viro; doctrina, & nobilitate illustri, M. ANTONIO Amulio Equite, & patritio veneto, nato anno Domini 1505. pridie idus Februarij, hora post meridiem 18. verba faciamus; qui eximiam eloquentiam, ciuilium rerũ singularem peritiam, & multiplicem doctrinam; iam inde à prima ætate; assiduo vsu, ac tractatione assecutus; pro patria Rep. Ciuitates prudenter rexit; Legationibusq; apud summos Principes functus est diuersis temporibus; & prçsertim Iulio Tertio sedente, apud Carolum V. Imperatorẽ; & sub Paulo Quarto, è prçtura Veronensi rediens, ad Philippum Secundum Hispaniarum Regem; postremò apud Pium Quartũ Pontificem, suis virtutibus; eum apud ipsum Pontificem auctoritatis, & honoris locũ obtinuit, vt nihil prorsus Pontifex; nisi de Amulij consilio ageret, cuius singularia merita; amplissimis dignitatibus, remuneratione dignissima, cum gratus Pontifex iudicasset, Veronensem Ecclesiam; tunc vacantem, quæ postea Nauagerio, Cardinali item Veneto tradita est, inscio; ipsi Marco Antonio conferendam statuerat, sed Senatus Venetus; re perspecta, idq; grauiter ferens, quod antiquissimis legibus, quibus Oratores vllam dignitatem accipere prohibebantur, aduersaretur, Hieronymo Soranzo illi successore decreto M. Antonium ab officio reuocat, qua re commotus, & offensus Pontifex, ad Senatũ literis manu propria scriptis, affirmans; quæ in Amulij personam agere ipse proposuerat, idem omnino ignota fuisse, & ob

id nil

id nil contra patrias leges egisse; vt pristinæ dignitati restitua tur; etiam, atq; etiam eundẽ rogat, quod tandem in ipsius gratiam factum est, addito etiam ei ab eodem Senatu honorifico quingentorum aureorum dono. Hunc paulò post idem Pius, cum propter admirabiles virtutes, non satis posset admirari, & quouis dignum honore prædicare, Pontificatus sui anno secundo, salutis 1561. nil tale cogitantem; Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum primò; post Presbyterum Cardinalem tt. Sãcti Marcelli pronunciauit, & quamuis Resp. Veneta, ob superius dicta ipsius consanguineis purpuram, & propter Cardinalatus fastigium, vt moris est, prohiberet, lætitiæ; & publicæ, & priuatæ signa, neq; quoad vixit cum ipso, & eius gente reconciliari; quod ipse enixè multoties tentauit, voluerit: tamen tota Resp. Christiana de tanti viri dignitate lætata est. Episcopus postea Reatinus ab eodem Pontifice; mox Apostolici Palatij Bibliothecarius; ad coercendasq; Tyberis innũdationes, cum alijs Cardinalibus electus, coram ipso, & Cardinale Alexãdrino, postea Summo Pontifice, Abd Isu Patriarca Muzalè, Oriẽtalis Asyriæ, qui; vt Apostolorum limina, & Pium Pontificem salutaret Romã venerat, S.R.E. fidem professus est; quem Romæ agentem fouit, ac in Patriam redeuntem; vt à Pio Quarto amplis muneribus liberalissimè donaretur author extitit. Hic tãdem à Pio V. vna cum Simoneta, & Vitellotio, Cardinalibus super artem Agricolturæ deputatus; vt est hominis proprium, Romæ anno Virginei partus 1570. Põtificatus V. 3. idus Martij, die Lunæ, 65. ætatis suæ anno, moritur; corpus in S. Iacobi Hispanorum Templo depositum; Venetias postea translatũ in S. Iob, Ordinis Fratrum Minorum de Obseruantia in sacrario sepultũ est. Requireret hic fortasse quispiam difusius Amulianę doctrinæ elogium, sed quia nostrũ hoc non est; huic, Epistolæ, quas ipse conscripsit, familiares, Orationes Italicę, & latinę contextæ; Tractatus de sublimi genere dicendi; & præclarum etiam, de huius, dum adolesceret, virtute Petri Cardinalis Bembi lib. Epist. 2. testimonium facient satis.

XVII.

MIlitari gloriæ, qua Ligures in primis floruerunt, togatam virtutem respondere declarant magnorum honorum præmia omnibus ętatibus viris eiusdem nationis tributa, inter quos; quãuis multa à multis de Io. BAPTISTA Cicada nobilissimo Genuense, anno 1510. sexto Kal. Iunij, hora 15. post meridiem nato, scriptis fuerint mandata: nos tamen; ne nostri elogij spes eum frustraretur, eius præclarè gestorũ famã non dubitamus interpolare. Hunc Edoardus patruus Soanensis Episcopus, qui sciebat hominem literarum ignarum; nõ virum: sed pecus, aut certè si hominem; non hominem liberũ: sed mancipium, ac seruum esse, ac Ioanni Baptistæ literas; si nihil aliud, hoc saltẽ, vt Philosophus ille dicebat; Quod in theatro lapis supra lapidem non sedebit, esse allaturas, liberalibus disciplinis tradidit instituendum; cui patruo grati animi inditium, vita functo, in Laurẽtij Cibò Card. Beneuentani sacello Romæ, in D. Mariæ de Populo Aedibus, idem Io. Bapt. monumentum posuit. tantũ ergo valuit ingenua adolescentis educatio, & Põtificij, & Cæsariani iuris institutio, vt vniuersæ Romanæ Curię carissimus; sub Paulo Papa Tertio, primò vtriusque Signaturæ Referendarius; mox anno Domini 1539. Petro Paulo Parisio ad Cardinalatum promoto, Pontificijs, & Fiscalibus causis audiendis, Pręfectus (vulgo Cam. Apostolicę Auditorẽ vocant) sit designatus; in quo officio; pręter reliquos Vicarium (Locumtenentem dicunt) habuit Vgonem Boncompagnum Bononiensem, quem nostra tempestate S.R.E. Cardinalem, & Summum Pontificem vidimus renunciatum; est etiam, quo ipsum non mediocriter exornat, Ingaunorũ (vulgo Abinganensium) inter Ligures Episcopatus, & ad sacrum Conciliũ Tridentinum missio, ob cuius præclarè gesta, & in Episcopatu, & in Concilio à Iulio Tertio anno 1551. Pontific. II. 13. Kal. Ianuarij Presbyter tt. S. Clementis, in sacrum Senatum cooptatus

tatus

tatus eſt; & honeſta Campaniæ Legatione cohoneſtatus, eundem Vgonem Boncompagnum Prolegatum apud ſe habuit, à quo Pont. Apoſtolicarum literarum, contra non ſoluentes annates, & quindennia Romanę Cam. Apoſt. vna cum Guidone Aſcanio Sfortia, S.R.E. Camerario, Pręſidens factus; Pio IV. ſedente, iudicio Caroli Card. Carafæ, & ad examinanda ſacri Concilij Trident. Decreta, proq; ipſorum executione; ſanctiſſimæ item Inquiſitionis tribunali, cum alijs, de quibus, pluribus antea in locis egimus, prępoſitus eſt. Controuerſiã is inter Pontificem, & electi Imperatoris Maximiliani Oratorem, de ſolenni iuramẽto præſtãdo, Carpenſe, Tridentino, Auguſtano, & Vitellio, item Cardinalibus, ad hoc cum ipſo delectis, cõpoſuit: Eccleſiasq; Morinenſem, Actienſem, & Candienſem Cathedrales, adminiſtrauit; & ſub Pio V, ex Presbytero Sãcti Clemẽtis, ad tt. S. Agathæ; mox ad Epiſcopatũ Sabinẽſem trãslatus, factus Monachorum Cõgregat. Oliuetanę Protector; breui afflictione, vitam ſibi peperit æternã. Obijt Romę 6. idus Apr. die Sabbathi, ſurgẽte Aurora, anno ſalut. humanæ 1570. Pontificatus V. ſepeliturq́, ibi in diuæ Mariæ de populo in ſacello familię Ruuerecę, ſub Marmore his literis ęneis inſculpto.

D. O. M.

Ioanni Baptiſtæ Cicadæ Genuenſi, Epiſcopo Sabinen. S.R.E. Card. S. Clementis, viro; ingenij acumine, & vbertate conſilij admirabili, omnium officioſiſſimo; iuris rerumq́, vrbanarum, ac forenſium vſu, ac intelligentia peritiſſimo, libertatis Eccleſiaſticæ defenſori ſtudioſiſſimo, Carolus Cicada Epiſcopus Albinganenſis hæres, ex teſtamento patruo b. m. poſuit; Vix annos 60. obijt die VIII. Aprilis 1570.

XVIII.

SVccedit Cicadę ALOYSIVS Piſanus, Patritius Venetus, Frãciſci Piſani, Leonis X. Card. ex fratre Nepos, qui illi; celebritatis nomine non eſt ſecundus. Is admodum iuuenis, cum

cum nulla in eo virtus desideraretur, patruo Card. renunciante, Patauinam Ecclesiam administrandam suscepit, hancq; dum vixit, prudenter, ac felici auspicio rexit, qui; ob multiplicem in illa administratione cognitionem demonstratam, Concilio Tridentino, sub Pio IV. celebrato interfuit, à quo; non multo post; ex Præsidente clerico Apostolicæ Cameræ, in eiusdem Francisci patrui, tunc Ostiensis Episcopi; & sacri Cardinalium Collegij Decani gratiam, & in virtutum suarum, vbiq; patentium, præmium; dum quarto Cardinalium comitia Romę, anno Pontificatus VI. sal. 1565. 4. Idus Martij haberet, absens Presbyter Cardinalis tt. S. Vitalis, creatus est, cui iunioris nomen; ad diferentiam alterius senioris ab Aula Romana, impositum est. Hic anno redemptionis humanæ 1570. Pont. V. ætatis 45. Pridie Kal. Iunij die Mercurij Venetijs ad Dominum migrauit, cuius corpus in S. Mariæ Ecclesia de Zebenigo propè paternam domum depositum, in S Mariæ gratiarum apud Hieronyminos in Insula, ante Altare Maius in pauimento, sepulturæ traditum, cum hac inscriptione marmoreo lapide cooperitur.

Aloysio Pisano Card. Sorores pientissima ex testamento posuere, obijt anno 1570.

XIX.

VErissimum esse illud, quod scriptum reliquit M. Tul. pro Archia Poëta. Omnes. f. trahi laudis studio, & optimum quemq; maximè gloria duci. cum primis in florentissima Venetorum Rep. compertum est, quæ FRANCISCVM Aloysij Pisani Patritij Veneti, & S. Marci (vt illi dicunt) Procuratoris; magni, & clari viri filium, instante apud Leonem Decimum Leonardo Lauredano eiusdem Reipub. Principe, vt cũ duos haberet in sacro Cardinalium Collegio ciues suos, Dominicum Grimanum, & Marcum Cornelium; alterum aduer-

sa vale

ſa valetudine; alterũ ſenio confectum; adoleſcentem, ex eiuſdem Ciuibus in idem ſacrum Collegium cooptaret, poſtulabat; ne deeſſet per aliquot annos, qui ex ſua Repub. ea dignitate fulgeret. Ab eodem Pont. anno 1517. Pontificatus V. Kalen. Iulij; in quinta illa celebri 31. Cardinalium creatione; ex Protonotario Apoſtolico, Franciſcus, Diaconus Card. Sãcti Theodori annumeratus eſt. Qui paulo poſt, ipſo Leone adhortante Iura Petri Bembi Veneti, Pontificis ab epiſtolis, optima in fructibus Monaſterij Arbenſis ratione Salinarum prouentibus, qui ipſi iniuſtè retinebantur, defendenda; pro virib. ſuſcepit. Clemente verò VII. Pont. ex Diaconatu S. Theodori, ad S. Marię in porticu; mox S. Marci translatus, Romæ in Aedibus, mortuo Io. Antonio Maroſtica ipſius familiari ex peſtilentis morbi contagio, anno 1523. ad S. Potentianam animo conſternatus, aufugit; ſequenti, in meliorem ſtatum auocato, Marco Card. Cornelio Epiſcopus Patauinus eligitur, cuius Eccleſię, cum poſſeſsionem iniret, in laudem ipſius eleganter Antonius Porcellinus V. I. Doctor, & Eques Patauinus, perorauit, quæ Eccleſia magnificentius ipſius munere, & ope poſtea ędificata eſt. Anno 1527. eodem Clemente in Hadriani mole à Cæſarianis Militibus obſeſſo, deditione facta, quo ſanctius Carolo Cæſari, fidem obligaret, Franciſcus cum Triuultio, Gaddio, Vrſino, & Cæſio Cardinalibus, obſes datus eſt. Hic eodem anno Bernardo Rubeo vita functo, Triuiſanam Eccleſiam regendam, ſuſcepit; & anno 1550. Innocentio Cibò mortuo; S. R. E. Archidiaconus renunciatus, ex eo munere anno 1555. ad Epiſcopatum Albanũ; poſtea Tuſculanũ translatus; Euomienſis; mox Narbonen. Cathedralium Eccleſiarum adminiſtratione decoratus; ſub Pio IV. ex Tuſculana, ad Portuenſem, & S. Rufinæ; & è viuis erepto anno 1568. Rodulpho Pio Card. Carpenſe, ad Oſtienſem, & Veliternam Eccleſiam translatus, ſacri Cardinalium Collegij Decanus factus; Selino Turcarum Tyranno, anno 1572. Remp. Venetam bello adorto, in patriam Pius, vt aliquam opem ipſi ferret, eidem in
illo

illo bello eroganda quatuormillia aureorum dono dedit. Qui ætate tandem grandæuus, articulariq; morbo valdè laborans; nuncio de Aloysij Cardinalis nepotis morte accepto, dolore animi confectus, die Lunæ tertio Kalen. Iulij, anno Dominicæ Natiuitatis 1570. Pij V. Pontificatus V. occubuit, cuius corpus ad S. Marcum delatum, in nobilissimo sepulchro statuis, & columnis marmoreis ornato, apud maiorem Templi portã posito, sequenti elogio inscripto; conditum est.

D. O. M.

Francisco Pisano Card. Episc. Ostiensi. viro antiquæ probitatis, ac innocentiæ; hæredes ex testamento posuerunt. Vixit ann. 76. obijt 3. Kal. Iulij 1570.

XX.

QVam rectè cecinerit Claudianus in Consulatu Manlij.

Ipsa quidem virtus pretium sibi solaq; latè
Fortunæ secura nitet, nec fascibus vllis
Erigitur, plausuuè petit clarescere vulgi,
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis
Diuitijs animosa suis, immotaq; cunctis
Casibus ex alta mortalia despicit Arce.

Quã, inquã, præclarè cecinerit ille, exemplo suo comprobauit Gaspar à Stunica de Auellaneda Illustrissimi Mirandæ Comitis, e primaria inter Hispanos nobilitate viri filius, qui, dum in celebri Salmaticensi Academia sacram Theologiam publicè profiteretur, cum nihil minus, vel ambiret, vel cogitaret; à Carolo V. Imperat. ad obeundũ Episcopatus Segobiensis munus Paulo IV. deferente, magno; tum vitæ integerrimæ, tum præstantissimæ eruditionis meritò, vocatus à Philippo II. Hispaniarũ Rege, Caroli filio, defuncto Ernando de Valdes Hispalensi Præsule, æterna memoria ob virtutem, & vitæ sanctimoniam, viro digno, ad eundem Archiepiscopatum tunc vacã-

tem

tem translatus,anno 1568. à summo Pontifice Pio V. apud quē Ioannes à Stunnica eiusdem Gasparis consobrinus pro eodem Rege Catholico Oratorē agens,ipsi Pontifici in fœdere contra Turcas ineundo, magnopere satisfecit, an. 1570. Pont. V. die Mercurij 16. Kal. Iunij in tertia sexdecim Cardinalium promotione, Presbyter Card. tt. S. Barbaræ absens creatus est, qui eodemmet Rege mandante paulo post Annam Maximiliani Cæsaris, ex Maria Regis sorore, natu maximam ipsi desponsatam, è Sicambris in Hispaniam venientem, vna cum Francisco à Stunnica, Beari Duce ea, qua decuit pompa comitatus, dum celebratis nuptijs Segobia Hispalim ad gregem sibi creditum curandum reuertitur, in castro Martos Ienensis diœcesis; siue in Ciuitate, vulgo Iaen dicta, quo; vt exemplar Veronicæ, & Sanctissimi Christi Sudarij inuiseret, ac veneraretur hunc,iter arripuisse affirmat Gonzales de Illescas in historia Pontificali lingua Hispanica conscripta; ex intestinorum dolore ad æterna præmia properauit, quarto Nonas Februarij, Redemptionis nostræ anno 1571. Pij Quinti Pontificatus Sexto. Sudarij exemplar à quodam Cardinale maioris Alacātinæ Ecclesiæ Rectori dono datum, in Fratrum Minorum Ecclesia', quę ab eadem Ciuitate aliquantulum distat Fr. Franciscus Gonzaga Episc. Mantuanus in tertia parte Historiæ Min. Obseruantium conseruari asseuerat. Idem autem sit, de quo Illescas', an aliud non possum affirmare. Cardinalis corpus ibi depositum; Hispalim postea translatum in Metropolitana in sacello Deiparæ Virgini sacro, quod de Antiqua dicitur,ante ipsius Altaris gradus sepelitur.

XXI.

QVibus modo, si exteros elogijs exornauimus, laudibus efferemus CAROLVM de Grassis ex nobilissima familia, quæ quatuor Cardinalibus (omitto alios insignes viros)diuersis temporibus fuit illustrata, Ioannis Antonij Equitis, Senatorisq; Bononiensis, Blancæq; Gratæ filium, Achillis vnius

vnius ex duodecim Rotæ Patribus, Mōtisfaliſci Epiſcopi, Annibalis, Cameræ Apoſtolicæ Clerici, Epiſcopi Fauentini Cæſarisq́;, Romanæ item Rotæ Auditoris fratrem? Is ex maioris Bononienſis Eccleſię Archiprebytero; à Iulio Tertio Pontifice, cui cum intimus Cubicularius eſſet, in ſeruiendo gratus, & acceptus extitit, ad Mōtisfaliſci, Cornetiq́; Epiſcopatum trāſlatus, Cameræ Apoſtol. Clericatu; mox Peruſiæ, & Vmbrię Præfectura cohoneſtatus eſt; cum verò ſub Pio IV. Conc. Tridentino interfuiſſet; in quo non ſolum ſingularem doctrinam, ſed etiam excellentem in rebus gerendis prudentiam demonſtrarat, à Pio V. anno Salutis 1569. 4. idus Iunij Almę Vrbis Gubernium accepit, prudenterq́; adminiſtrauit, quo in munere, cum multa fidei exempla præſetuliſſet, ab eodem Pontifice in Cardinalium numerum die Merc. 16. Kal. Iunij, anno 1570. Pont. V. dum Cardinales tertio legeret Presb. Card. tt. Sanctæ Agnetis in Agone pronunciatus eſt; cuius etiam opera, pro fędere inter ipſum, Catholicum Regem, Philippum, & Remp. Venetam contra Turcas ineundo, vſus eſt, eundemq́;, vt Romanæ Curiæ officia procuratorum. ſ. Pœnitentiariæ, Contradictarum, Auditoris Cameræ, & aliorum id genus reformaret, quod factum eſt, extantq́; reformationes ab eodem Carolo cōditæ inter dicti Pontificis cōſtitutiones, reformataq́; executioni, vt mandarentur vna cum Alexandri Riarij Bononienſis, Patriarchę Alexandrini, tunc Cameræ Apoſt. Auditoris, poſtea S. R. E. Cardinalis, & aliorum minoris Ordinis Patrum opera adhibuit, in quo munere; vt eidem Pontifici multum ſatisfecit, ſic etiam in alijs, feciſſet ſatis, niſi immatura morte prerep tus, obijſſet Romæ 8. Kal. Aprilis, die Dominico, hora 20. anno Salutis 1571. Pontific. VI. ætatis ſecundo, & quinquageſimo, dum eſſet Presbyter tt. Sāctę Euphemię, quem titulum, S. Lucię loco optauerat. Eius corpus in Choro ſanctiſs. Trinitatis in Mōte Pincio ſepultū, marmoreo lapide, literis æneis, ſequenti elogio inſcripto, cooperitur.

D.O.M.

D. O. M.

Carolo de Graßis Bononienſi S. R. E. Card. viro; integritate vitæ; ingenij acumine, ac rerũ tractandarũ ſolertia, quas pro Christiana Rep. per viginti annos adminiſtrauit, inſigni. Fratres fratri benemerenti poſuere. Vixit annos 52. obijt anno 1571. 8. Kal. Aprilis.

XXII.

EAdem tempeſtate floruit; non tam patria nobilitate, quã propria virtute Illuſtris, LAVRENTIVS Philippi Strocij Florẽtini, & Claricis Mediceę Leonis X. neptis filius, qui eouſq; virtutum famę peruenit, vt; olim Regi Francorũ exercitus Præfectus in Gallia Narbonenſi pro Henrico II. Rege, diuerſa hęreticorum loca, armata manu expugnarit, & ad fidem Catholicam, à qua declinauerãt reduxerit, ob quę, & alia prępclarè geſta; pręter laudem; priuati Conſiliarij Regij nomine; & poſt Epiſcopali Biturenſis Eccleſię dignitate, meruit cohoneſtari. Hunc Paulus IV. in gratiam illius Petri Strocij iſtius fratris, qui geſtorum fama Magni nomen ſibi comparauit, eiuſdem Regis in Italiam agentis, & exercitus Imperatoris ſtrenuiſsimi, quem olim ad Cardinalatũ ſe promoturum, tunc adoleſcentẽ Clemens Papa VII. Philippo patri ſpopõderat; quia eius ope in bello, inter ſe, & Albę Ducem Neapolitanum Proregem, vſus fuerat, in tertia decem Cardinalium ordinatione Romę, anño Salutis 1557. Pont. II. idibus Martij habita; Presbyterum Cardinalẽ tt. S. Balbinę abſentẽ, pronuciauit. Hic ex Biturenſi, ad Albienſem, Ludouico Guiſio Iulij Tertij Card. cedente; mox ad Aquenſem Eccleſiam translatus; in Gallijs ad meliorem vitam euocatus eſt; quo autem tempore id acciderit, me latet, cum alij ſcriptũ reliquerint, eum in Gallia Trãſalpina obijſſe, anno 1568 quod falſum eſt; alijs Auinioni 19. Kal. Ian. anno 1571. obijſſe placeat. Hoc certũ eſt, ex hac vita mi-

migraſſe in Gallijs, Pio V. Pontifice ſedente, rebus pręclarè geſtis, titulisq; inſignem.

XXIII.

POſtremus in ordine; ſed nulli fortè; virtutum præſtantia, religione, ac vitæ integritate ſecundus, ſequitur HIERONYMVS Socherus Aruernus Pariſinus, qui; tanto ab ineunte ætate afflatus fuit diuini ſpiritus numine; vt Ciſtercienſis Ordinis habitũ ſuſceperit, in quo, ob vitę ſanctitatem, diuinarum rerum ſcientiam(in Theologicis.n.diſciplinis multum excelluit) eximiam prudentiã, acrisq; ingenij vim, talis, tantusq; euaſit, vt Henrico II. Franciſco II. & Carolo IX. Francorũ Regibus; Carolo item Card. Lotaringio, quibuscũ familiariter egit chariſsimus; poſt ipſius inſtituti,ſumma ſui cũ laude exercitata minora munera, Abbas Clareuallenſis factus ſit. Is Tridentino Conc. interfuit; Ciſtercij poſtea electus Abbas, necnõ ipſius Ordinis ſummus Magiſter, in ipſo regendo,ac moderando; ita omnia, quæ ſunt illius muneris piè, ac diligenter ſeruauit; vt Pius V. Pontifex ipſum abſentem Presbyterum Card. tt. S.Matthæi in Merulana, in ſecunda Patrum ordinatione die Mercurij, 9. Kal. Aprilis, anno 1568. Pont. II. Romę habita, creauerit; quam ille dignitatem; quia, iam ab ipſo Ordinis ingreſſu omnibus honoribus, ac mundo ipſi renunciarat, cum vellet dimittere; ſemel, atq; iterum in ſanctæ obedientiæ vim retinere admonuit Pontifex; à quo paulo poſt cum Romam accerſitus veniſſet; propter ſingularem opum, atq; glorię contẽptum, & vitæ moderationẽ, magna apud omnes floruit admirarione; digniſsimusq; ob id habitus eſt,qui à Thoma Bozio Cõgregationis Oratorij Presbytero, in opere de ſignis Eccleſiæ Dei inſcripto, de quo ſupra, inter eos S. R. E. Patres, iam vita functos, quorum ſanctitas ætate noſtra multis operibus cõprobata eſt; annumeraretur. Is incredibili totius Romanæ Curiæ deſiderio, ex hac mortalitate decedens, ad æternam vitam ſibi viam fecit, Romæ die Veneris, 10. Kal. Nouemb. anno à Virgini

ginis partu 1571. Pont. VI. ætatis 63. in S. Crucis in Hierusalem sacello sepultus, perpetuæ posterũ memoriæ nobili sepulchro, cum ipsius effigie, vbi & elogium in marmore incisum extat, continés ea, quæ de ipso scripsimus, à Monacis Clareuallensibus donatus, quod, vt ordinem incœptum seruemus, apponendum duximus.

D. O. M.

Don Hieronymo Socherio Aruerno Theologo præstantissimo, qui Henrico II. Francisco II. & Carolo IX. Gallorum Regibus, Carolo Card. Lotharingio bonisq; omnibus eximiè caro; Clareuallensi Abbati, in Tridentina Synodo; doctrinæ, pietatis, ac prudentiæ sententias plenissimas dixit, inde Cistercij electus Abbas, ipsiusq; ordinis Generalis, à Pio V. Pont. Max. delatam, absenti Cardinalatus dignitatem; vt acciperet, vix adduci potuit, deinde in Vrbem accitus singulari opum, ac gloriæ contemptu, & vitæ moderatione omnibus admirationi fuit. Vixit annos 63. obijt 10. Kal. Nouemb. 1571. Monaci Clareuallenses poni curarunt.

Obitus Pij Papæ Quinti.

ANno Domini 1572. die Iouis Kalendis Maij, hora 22. Pius Papa V. in Palatio Apostolico (ò diem pro illo, albo; pro nobis nigro, lapillo obsignandũ) calculo sublatus, ætatis anno 68. Pont. VII. maximo sui bonis omnibus relicto desiderio, sanctissimè; vt vixit, ex hac mortali, ad vitam immortalem migrauit. Eius corpus ad S. Petrum portatum à Ciuibus Romanis, & hospitibus multis cum lacrymis inuisitur, &; ne religionis ergo, pili, carnes, & vestes ab ipsis auferẽtur, sub militum custodia in sacello D. Thomæ Apostolo dicato, post cratem ferream ad pedum deosculationem ponitur, deposítum lateritio ad tempus tumulo, propè S. Andreæ Apostoli Altare, in sepulchro Boschi, natiuitatis suæ oppidi, à se dũ vi-

ueret posito, transferendum, vbi epitaphium infrascriptum legitur.

Pius Papa V. Boschensis, ex familia Ghisleriorũ oriundus, Ordinem Prædicatorum professus, diem mortis, vniuersalisq; resurrectionis præ oculis habens, à die assumptionis suæ ad apicem Apostolatus, monumentum istud erigi mandauit, pro cadauere suo reponendo, quando diuinæ clementiæ visum fuerit, ipsum ab seculo nequã eripere.

Sixto Quinto Pontifice postea, 5. idus Ianuarij, anno 1588. ex humili loco, solemni pompa, ad S. Mariæ Maioris Basilicã in monumẽto marmoreo statuis, inter quas ipsius Pij Quinti ad viuum delineata extat imago, & preciosissimis columnis, lapidibusq; ornato, in sacello ad Præsepe ædificato, vbi, & elogia de quibus infra in marmore sculpta leguntur, positum est.

Sub ipsius Pontificis Imagine.

Pio V. Pont. Max. ex Ordine Prædicatorum, Sixtus Quintus Pont. Max. ex Ordine Minorum, grati animi monumentũ posuit.

In inferiori base.

Pius V. gẽte Ghisleria Boschi, in Liguria natus, Theologus eximius; à Paulo Tertio in Insubria hæreticæ prauitatis inquisitor; à Iulio Tertio S. Inquisitionis officij Commissarius generalis; à Paulo IV. Episcopus Sutrinus; deinde S. R. E. tt. S. Mariæ super Mineruam Presbyt. Cardinalis; & à Pio IV. Ecclesiæ Montis Regalis in Subalpinis Administrator factus; eo vita functo, summo Cardinalium consensu Pont. Max. creatur; qui veteres sanctos Pontifices æmulatus, Catholicam fidem propagauit, Ecclesiasticam disciplinã restituit, & tandem, gestarum rerũ gloria clarus, dum maiora molitur totius Christ. Reipub. damno nobis eripitur. Kal. Maij 1572. Pont. anno VII. ætatis suæ 68.

Ad

Ad imaginis dexteram.

Selinum Turcarum Tyrannum; multis insolentem victorijs, ingenti parata classe, Cyproq; expugnata, Christianis extrema minitātem. Pius V. fœdere cum Philippo II. Hispaniarū Rege, & Rep. Veneta, inito, M. Antonium Columnam Pontificiæ classi præficiens ad Echinadas hostibus 30. mill. cæsis; 10. mill. in potestatē redactis, Triremibus 180. captis, 90. demersis, 15. mill. Christianis à seruitute liberatis; precibus, & armis deuicit.

Ad Læuam.

Galliam Carolo IX. Rege perduellium Hæreticorumq; nefarijs armis vexatam; vt de Regno, deq; religione actum videretur. Pius V. Sfortiæ Comitis S. Floræ ductu, missis equitum, peditumq; auxiliaribus copijs, periculo exemit, hostibusq; deletis, victoriam reportauit. Regi Regnum cum religione restituit. signa de hostibusq; capta ad Lateranensem Basilicam suspendit.

Vacauit Sedes Pontificia dies xiij.

Eodem anno 1572. die Veneris, 6 Nonas Maij ipsius exequię, more maiorum, à Cardd. in Vrbe commorantibus, celebrari in Sācti Petri Basilica cœperunt; orauitq; in ipsius funere M. Antonius Muretus iuris peritus, & humaniorum literarum cognitione insignis.

Eodem anno, die Lunæ, 4. idus Maij, Missa Spiritus sancti ab Alexandro Card. Farnesio Episc. Tusculano cantata; Cardinales, qui aderant, de more, Conclaue ingrediuntur, vbi altero die, ingressus, omnium suffragijs, electus est Hugo Boncōpagnus Bononiensis, Presbyt. Card. tt. S. Sixti, qui Gregorius Tertius decimus appellatus est.

GREGORIVS PP. XIII.
PONT. MAX.



ANNO CHRISTI MDLXXII.
SIGNVM GREGORII PP. XIII.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

I vberrima prçclarorum literariæ Reipublicæ ingenia in summis laudum argumentis visa sunt quodammodo eloquentiam nescire, quid mihi; qui nequicquam comparandus sum cum illis, animi esse debet, eius laudes demonstra-

monſtrare cupienti, quem; non modo Reſpub Chriſtiana; ſed vniuerſus terrarum Orbis, per 13. annos non potuit non admirari? Sed quia Cyreneus Poëta facilè eſſe omnib.(ait) Apollinem laudare, in quo tot, ac tanta laudum argumenta reperiãtur; cũ in hoc, cuius encomiũ aggredi animũ induco, quãplurima ſint exornationis argumenta; non eſt, quod illius laudes, quæ quidẽ innumerę ſunt verear; nõ dicã ſcribere; ſed recẽſere. Gregorius igitur Papa XIII. Hugo antea vocatus, Patria Bononienſis; peruetuſta, ac nobili familia Boncompagna ortus; Chriſtophorum virum ſumma in Deum pietate, & in pauperes caritate; & Angelam Mareſchalcam, viro moribus non diſsimilem; parentes hab uit; natusq; eſt 7. Nonas Ianuarij, anno Salutis 1502. Hic à primis, quaſi incunabilis, quę in ſummo Sacerdote requirebantur, ijs; ſcilicet vitæ integritate; bonis moribus operam dedit; præſertim verò legali prudentiæ diligentem, in Patria ſua nauauit operam, qua id obtinuit, vt breui lauream Doctoratus, conſecutus; Iuriſprudentiã in ipſius Gymnaſio; maximo cum omnium, & Ciuium, & externorum applauſu publicè, per octo annos fuerit profeſſus, cuius fama; cum omnes Italiæ Ciuitates; tum verò Romam peruaſiſſet, id præſtitit, vt anno 1539. illuc profectus, inter Capitolij Iudices; poſt inter Abbreuiatores de Parco maiori; & vtriuſq; Signat. Referendarios locum tenuerit; anno verò 1545. à Paulo Tertio ad Concilium Tridentinum, vtpotè, qui propter legalem ſapientiam, in eo decernere prudentiſsimè poterat, mittitur; quinquennio poſt in ciuilibus Ioannis Baptiſtæ Cicadæ, Camerę Apoſtolicæ Auditoris; poſtea tt. S. Clementis Card. locum tenentis munere functus; triennio poſt, Secretarius Apoſtolicus; mox ſub eodem Cicada, iam ad Cardinalatũ euecto, Cãpaniæ Prolegatus factus; anno 1555. Gratiæ Signaturam obtinuit; ſub Paulo IV. Vicegerentatus eiuſdẽ Cameræ pro Alfonſo Carafa Card. Neapolit. officio præfuit; ad Veſtanã Eccleſiã, per obitũ Peregrini Fabij Bononienſis vacantẽ, tranſlatus; in Flandriã Carolum Carafam Card. eiuſdem Pauli IV.

nepotem, ad Philippum II. Hispaniarũ Regem, Legationem agẽtem, vna cum alijs selectissimis Romanæ Curiæ Præsulib. eodem Pontifice mandante, comitatus est. Hic anno 1561. ad Concilium Tridentinũ, iterum à Pio IV. inditum missus; Concilio fine imposito, cum Romam reuersus fuisset, ab eodẽ Pio, anno 1565. 4. nonas Martij, in festo S. Gregorij Magni Pontificis inter 23. Cardinales electos, Presbyter Card. tt. S. Sixti creatus; eodem anno, die Lunæ, 6. Kal. Septembris, Legatus de latere in Hispaniam pro Archiepiscopi Toletani causa, missus est, ex qua Legatione, Romam cum venisset, Pio IV. iam vita functo, illiq; subrogato, successore Pio V. Signaturæ Breuium Præfecturam, qua absens donatus fuerat, exercuit, atq;, vt vno verbo, breuitati studentes, elogium hoc concludamus; Pio V. mortuo, altero Conclauis ingressus, die, videlicet, tertio idus Maij, anno 1572. in eius locum Cardinalium omnium suffragijs, Pont. Max. suffectus, Gregorius XIII. dictus est, qui 8. Kal. Iunij, die Pẽtecostes à Hieronymo Simõcello, tunc Cardinalium Diaconorũ præsentium, primo suæ coronationis insignia suscepit. Sedit autem in Apostolica Sede, Imperatorib. Cæs. electis Maximiliano II. & Rodulpho II. eius filio annos 12. menses 10. dies 28.

Cardinales 66. viui, quando GREGORIVS *Papa XIII. creatus est.*

Episcopi Cardinales VI.

PAVLVS III.

Ioannes Moronus Episcopus Card. Ostiensis, & Veliternus, sacriq; Collegij Decanus.

Christophorus Madrucius Episcopus Card. Portuensis, & S. Ruffinæ.

Otho Truchses Episcopus Card. Prænestinus.

Ale-

Alexander Farnesius Episcopus Card. Tusculanus S. R. E. Vicecancel.
Iulius Feltrius de Ruuere Episcopus Card. Sabinus.

IVLIVS III.

Ioannes Riccius Episcopus Cardinalis Albanus.

Presbyteri Card. LIV.

PAVLVS III.

* Georgius de Arminiaco, tt. S. Nicolai in Carcere S. R. E. Archipresbyter.
* Henricus Infans Portugalliȩ, tt. SS. Quatuor Coronatorum.
* Carolus de Lotharingia, tt. S. Appollinaris.
* Carolus Borbônius, tt. S. Chrysogoni.

IVLIVS III.

Fuluius Corneus, tt. S. Hadriani.

PAVLVS IV.

Scipio Rebiba, tt. S. Mariæ Transtiberim.

PAVLVS III.

Iacobus Sabellus, tt. S. Mariæ in Comesdin Papæ Vicarius.

PIVS IV.

Io. Antonius Sorbellonius tt. S. Angeli.

IVLIVS III.

Fr. Aloysius Cornelius, tt. S. Marci S. R. E. Camerarius.

PIVS IV.

Antonius Perenottus, Granuellanus tt. S. Petri ad vincula.
Stanislaus Hosius, tt. S. Clementis.
Franciscus Paciecus, tt. S. Crucis in Hierusalem.
Hieronymus Austriacus de Corrigio, tt. S. Anastasiæ.
Io. Franciscus Gambara, tt. S. Priscę.
Carolus Borromæus, tt. S. Praxedis.
M. Scitticus de Altaemps, tt. S. Georgij ad velus aureum.
Alfonsus Gesualdus, tt. S. Cæciliæ.

PAVLVS III.

Nicolaus Caètanus, tt. S. Euſtachij.
Hippolytus Eſtenſis,, tt. S. Mariæ nouæ.

PIVS IV.

Innicus Aualos de Aragonia, tt. S. Laurentij in Lucina.
M. Ant. Columna Baſilicæ, SS. XII. Apoſtolorum.
Ptolomęus Gallius Nouocomenſis, tt. S. Agathæ.
Proſper Sanctacrucius, tt. S. Mariæ Angelorum in thermis.
* Antonius Chrechius, tt. S. Triphonis.
* Zacharias Delphinius, tt. S. Mariæ in Aquiro.
* Io. Franciſcus Commendonus, tt. S. Cyriaci in thermis.
M. Ant. Boba, tt. S. Silueſtri.
Hugo Boncompagnus, tt. S. Sixti Sign. Breuium Præfectus.
Alexander Sfortia, tt. S. Mariæ in via.
Flauius Vrſinus, tt. SS. Marcellini, & Petri.
Alexander Cribellius, tt. S. Mariæ de Aracœli.
Guido Ferrerius, tt. SS. Viti, & Modeſti in Macello Mart.
Benedictus Lomellinus, tt. S. Sabinæ.
Guilielmus Sirlettus, tt. S. Laurentij in pane, & perna.
Gabriel Palæotus, tt. SS. Ioannis, & Pauli.

PIVS V.

Fr. Michaèl Bonellus, tt. S. Mariæ ſuper Mineruam.

IVLIVS III.

* Ludouicus de Guiſa, tt. S. Thomæ in Parione.

PIVS V.

* Didacus Spinoſa, tt. S. Stephani in Monte Cœlio.

PIVS IV.

Ludouicus Madruccius, tt. S. Onuphrij.
Franciſcus Alciatus, tt. S. Mariæ in porticu.

PIVS V.

Io. Paulus ab Eccleſia, tt. S. Pancratij Sig. Iuſt. Præfectus.
M. Ant. Maffæus, tt. S. Calixti.
* Gaſpar Ceruantes, tt. S. Martini in Montibus.
* Nicolaus de Pelleue, tt. S. . . .

* Iulius Ant. Sanctorius, tt. S. Bartholomæi in Insula; Hic erat Romæ, sed ægrotabat.
Petrus Donatus Cæsius, tt. S. Vitalis.
Carolus Dangenes, tt. S. Euphemiæ.
Fr. Archangelus de Blanchis, tt. S. Cæsarij in Palatio.
Fr. Felix Perettus, tt. S. Hieronymi Illyricorum.
Don Paulus de Aretio, tt. S. Potentianæ.
Ioannes Aldobrandinus, tt. S. Simeonis, maior Pœnitentiarius.
Fr. Vinc. Iustinianus, tt. S. Nicolai inter Imagines.
Hieronymus Rusticucius, tt. S. Susannnæ.
Ioannes Hieronymus Albanus, tt. S. Ioannis ante portam latinam.

Diaconi Cardinales VI.

IVLIVS III.


* Innocentius de Monte S. Mariæ in via lata, S.R.E. Archidiaconus.
Hieronymus Simoncellus SS. Cosmæ, & Damiani.

PIVS IV.

Aloysius Estensis SS. Nerei, & Archilei.
Ferdinandus Medices S. Mariæ in Domnica.

PIVS V.

Antonius Carafa S. Eusebij, Sig. gratiæ Præfectus.
Iulius Aquauiua S. Theodori.



Prima

Prima creatio vnius Cardinalis.
Anno Domini MDLXXII. Pontificatus primo, die Lunæ, quarto Nonas Iunij Romæ.
GREGORIVS Papæ xiij. vnum creauit Card. Is fuit.

1 PHilippus Boncompagnus Bononienſis, Papæ fratris filius, Vtr. Iur. Doct. Protonotarius Apoſtolicus, Presbyter Card. tt. S. Syxti.

I.



Secunda vnius Cardinalis creatio. Anno Domini MDLXXIV. Pontificatus tertio, die Lunæ, tertio Nonas Iulij, Romæ.

GREGORIVS *Papa xiij. ſecundò vnum Card. creauit, is fuit,*

2 PHilippus Vaſtauillanus Bononiẽſis, Papæ ſororis filius, Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariç in Coſmedin, abſens.

II.



Tertia

Tertia creatio vnius Cardinalis.

Anno Domini MDLXXVI. Pontificatus Quinto, die Lunæ, 13. Kalen. Decembris, Romæ.

GREGORIVS *Papa xiij. tertiò creauit vnum Cardinalem, is fuit.*

3 ANdreas ab Austria Germanus, Ferdinandi Austriæ Archiducis filius, Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariȩ nouæ, absens.

III.



Quarta creatio vnius Cardinalis.
Anno Domini MDLXXVII. Pont. V. die Lunæ IV. Nonas Martij Romæ.

GREGORIVS *Papa xiij quartò creauit vnum Card. qui fuit.*

4 ALBERTVS ab Auſtria Archidux Auſtriæ Rodulphi II. Imperatoris electi frater Diaconus Card. S. Crucis in Hieruſalem abſens.

IV.



Quin-

Creatio quinta nouem Cardinalium.

Anno Domini MDLXXVIII. Pontificatus VI. die Veneris, nono Kal. Martij, Romæ.

GREGORIVS *Papa xiij. quinto creauit nouem Cardinales, qui fuere.*

5 ALexander Riarius Bononienſis, vtr. Signaturæ Referendarius, Cameræ Apoſtolicæ cauſarum Generalis Auditor, Patriarcha Alexandrinus, Presby. Cardinalis, tt. S. Mariæ de Aracœli.

6 Claudius à Bauma Burgundus Archiepiſc. Biſuntinus, Presbyter Card. S. Pudentianæ, tt. Paſtoris, abſens.

7 Aloyſius de Guiſa de Lotharingia Gallus, Archiepiſcopus Remenſis, & Galliarum Primas, Presbyter Cardinalis S. R. E. abſens.

8 Gherardus à Grosbeck Gueldrius, Epiſcopus Leodienſis, Presbyter Card. S. R. E. abſens.

9 Petrus Deza, ex ciuitate Tauri Diœceſis Zamorenſis Hiſpanus, I. V. D. Vallioleti, ac Granatæ Præſidens, Presbyt. Cardin. tt. S. Priſcæ, abſens.

10 Ferdinandus de Toleto Hiſpanus, Decr. Doctor, Presbyter Cardinalis, S. R. E. abſens, qui gratias agens, dignitatem remiſit.

11 Renatus Biragus Mediolanenſis I. V. D. Regni Galliæ Magn. Cancellarius, Presbyter S. R. E. Cardinalis, abſens.

12 Carolus Lotharingius de Vandemonte electus Epiſco. Tullenſis, Diaconus S. R. E. Card. abſens.


13 Frater Ioã. Vincentius Gonzaga, Eques Militiæ S. Ioannis Hieroſolymitani, Prior Baruli, Diaconus Cardin. Sancti Georgij ad Velus aureum.

V.

V.



VI



VII.



VIII.




IX.


IX.



X.



XI.



XII.



XIII.

XIII.



Sexta vnius Cardinalis creatio.

Anno Domini MDLXXVIII. Pontificatus VII. die Lunæ, 18. Kal. Ianuarij Romæ.

GREGORIVS *Papa xiij. sextò creauit vnum Cardinalem, qui fuit.*

14 GAspar Quiroga ex Ciuit. Madrigali Hiſpanus, olim ſacræ Romanæ Rotæ Auditor, Inquiſitor Generalis Hiſpaniarum, Archiepiſcopus Toletanus, & Hiſpaniarum Primas, Presbyt. Card. tt. S. Balbinæ, abſens.

XIV.



Septima nouemdecim Cardinalium creatio.

Anno Domini MDLXXXIII. Pontificatus duodecimo, die Lunæ pridie Idus Decembris Romæ.

GREGORIVS *Papa xiij. ſeptimò creauit decem, & nouem Card. qui fuere.*

15 IO. ANTONIVS Fachinettus à Nuce Bononienſis Patriarcha Hieroſolymitanus, Presb. Card. tt. SS. Quatuor Coronatorum.

16 Ioannes Bapt. Castanea Romanus, Archiepiscopus Rossanensis Presb. Card. tt. S. Marcelli.
17 Alexander Medices Ciuis, & Archiepiscopus Florentinus, Francisci Magni Hetruriæ Ducis apud Sedem Apostolicam orator, Presb. Card. tt. SS. Quirici, & Iulitæ.
18 Rodericus de Castro Hispanus, Archiepiscopus Hispalensis, Presb. Card. Basilicæ SS. duodecim Apostolorum absens.
19 Carolus Borbonius de Vendosme Gallus, electus Archiepiscopus Rothomagensis Presb. Card. S. R. E. absens.
20 Franciscus de Ieyeuse Gallus Archiepiscopus Narbonēsis Presb. Card. S. R. E. absens.
21 Michaël à Turre Vtinensis, Episcopus Cenetensis Presb. S. R. E. Card. absens.
22 Iulius Cananius Ferrariensis, Episcopus Hadriensis, Presb. Card. tt. S. Eusebij absens.
23 Nicolaus Sfondratus Mediolanēsis Episcopus Cremonensis Presb. Card. tt. S. Cæciliæ absens.
24 Ant. Maria Saluiatus Romanus, Episcopus S. Papuli, Cameræ Apostolicæ Clericus Præsidens, atq; Decanus Presbyter Card. tt. S. Mariæ in Aquiro.
25 Augustinus Valerius Venetus Episcopus Veronensis Pres. Card. tt. S. Marci absens.
26 Vincentius Laureus Torpiensis Calaber, Episcopus Montis Regalis, Sedis Apostolicę apud Emanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem Nuntius, Presb. Card. S. R. E. absens.
27 Philippus Spinola Genuensis ligur Episcopus Nolanus, Presb. Card. tt. S. Sabinæ absens.
28 Albertus Bolognettus Bononiensis, Episcopus Massæ, & Populoniæ Sedis Apostolicæ apud Stephanum Bathorium Poloniæ Regem Nuntius, Presb. Card. S. R. E. absens.
29 Georgius Radziuuil Lituanus Episcopus Vilnensis Presb.

Card. S. R. E. abſens.

30 Matthæus Contarellus Cænomanus Gallus V. Sig. Referendarius S. D. N. Papæ Datarius, Presb. Card. tt. S. Stephani in Monte Cœlio.

31 Simeon Talliauia de Aragonia Siculus, Presb. S. R. E. Cardinalis abſens.

32 Scipio Lancellottus Romanus, Rotæ Audit. Presb. Card. tt. S. Simeonis.

33 Franciſcus Sfortia Romanus, Diaconus Card. S. Georgij ad Velum Aureum abſens.



XV. XVI.





XVII.

XVII.



XVIII.



XIX.




XX.



 XXI.

XXI.



XXII.



XXIII



XXIV.



XXV.

XXV.



XXVI.



XXVII



XXVIII.




 XXIX.


XXIX.



XXX.



XXXI.



XXXII.



XXXIII.



Creatio octaua vnius Cardinalis.

Anno Domini MDLXXXIV. Pont. XIII. die Lunæ, pridie Nonas Iunij Romæ, apud S. Marcum.


GREGORIVS *Papa xiij. octauò, creauit vnum Card. qui fuit.*

34 ANdreas Bathorius de Somlio Transyluanus, Stephani Poloniæ Regis ex fratre Nepos, Diaconus Card. Sancti Hadriani.

GRE-

XXXIV.





Gregorius Papa XIII. ordinationib. octo mensibus Februarij, Martij, Iunij, Iulij, & Decembri factis, quatuor, & triginta creauit Card. videlicet Presbyteros XXVII. & Diac. VII.

Alexander Farnesius Episcopus Cardinalis Ostiensis, & Veliternus, sacri Collegij Decanus, S.R.E. Vicecancellarius sub Gregorio XIII. Pontifice.



S. R. E.

S. R. E. Cardinales XXXIX. mortui sub Gregorio XIII.

1 Didacus Spinoſa.
2 Hieronymus de Corrigio.
3 Hippolytus Eſtenſis.
4 Otho Truchſes.
5 Io. Aldobrandinus.
6 Io. Riccius.
7 Antonius Crechius.
8 Iulius Aquauiua.
9 Alexander Cribellius.
10 Carolus de Guiſa Lotharingus.
11 Io. Paulus ab Eccleſia.
12 M. Antonius Boba.
13 Gaſpar Ceruantes.
14 Paulus de Aretio.
15 Scipio Rebiba.
16 Innocentius de Monte.
17 Ludouicus de Guiſa.
18 Chriſtophorus Madrucius.
19 Iulius de Ruuere.
20 Benedictus Lomelinus.
21 Stanislaus Hoſius.
22 Franciſcus Paciecus.
23 Gherardus Leodiēſis.
24 Fr. Archangelus de Blanchis.
25 Henricus Portugall. Rex.
26 Franciſcus Alciatus.
27 Io. Moronus.
28 Alexander Sfortia.
29 Ferdinandus de Toleto.
30 Flauius Vrſinus.
31 Fr. Vincētius Iuſtinianus.
32 Fuluius Corneus.
33 M. Antonius Maffæus.
34 Renatus Biragus.
35 Zacharias Delphinius.
36 Fr. Aloyſius Cornelius.
37 Claudius à Bauma.
38 Carolus Borromæus.
39 Ioan. Franciſcus Cōmendonus.

Gregorij Papæ xiij. obitus. Comitia.

I.

QVod paucis perrarò contingit, Didacvs Spinoſa Hiſpanus in Martin Munnoz de las Poſadas, Regni Caſtiliæ, veteris vico, parentibus; nec obſcuris, nec nobilibus ortus, in Salmanticenſi Collegio, quod S. Saluatoris de Ouie-

de Ouiedo dicitur, iuuenis, legalem ſcientiam profeſſus, inter Hiſpaniæ I. C. illa tempeſtate præſtantiſsimos, breui Primas tenens; vtramq; laudem, doctrinæ.ſ.& Reipub. benegerendæ conſecutus eſt, atq;; ita iuris prudentiam, Philoſophiam, rerum diuinarum cognitioné,facundamq; eloquentiam, cum innata prudentia, & conſilio coniunxit, vt Philippo II. Hiſpaniarum Regi, ob id carus; poſt minora ſibi demandata munera, ad ſupremi Conſilij Regij Præſidentiam,& eorundum Regnorum Generalis Inquiſitoris dignitatem, Epiſcopali Sagũtinæ Eccleſię honore inſignitus peruenerit;& in ſua prudentia, conſilio, ac moderatione ſumma Regni verſaretur: quo factũ eſt, vt Pius V.eodẽ Rege inſtante,& Didaci virtutes referente; dum Romę ſecundo Card.legeret 9.Kal.Aprilis an. ſal. 1568. Pont. Tertio, S. R. E. Presbyterum Cardin. tt. S.Stephani in Monte Cœlio, eundem abſentem crearet, cuius opera, & diligentia potiſsimum eſt vſus, dum Regem; vt arma contra Turcas ſumat, & ſecum fœdus, & cum Rep. Veneta inire velit,anno 1572. adhortatus eſt, per quem Pontifici ſatisfactum eſt. Hic Michaëli Bonello Card.Alexandrino Summi Põtificis ex ſororis filia pronepote Legato ad Philippum Hiſpaniarũ Regem à Pontifice miſſo, biduo à Madrilio, cum honeſta, & frequenti Procerum,& Conſilij Regij Præſidum caterua, obuiã procedens; omnibns beneuoli, & honorifici in ſe animi ſignificationibus eundem excepit, qui febri (quam tertianam vocant) quæ vix eum domi continebat, paucos poſt dies correptus, Madrilij die Mercurij nonis Septẽb. anno Virginei partus 1572. Gregorij XIII. Pont. I. ætatis 70. vitam cum morte commutauit. Eius corpus ibi depoſitum; tranſlatum poſtea in Martin Munnoz in ſacello ab eodemmet ſplendidè ædificato; ſepulturæ traditum eſt.

II.

INſigne quoq;,& celebre nomen fuit, Aeuo noſtro HIERONYMI Auſtriaci Itali de Corrigio filij Giberti Corrigienſis Dynaſtæ, & Veronicæ Gambaræ Vberti Card. ſororis fœmi-

fœminæ primariæ, cuius nomẽ; ob literarum ſcientiã, & præſertim artem carminum italico ſermone componendorum, Bembi, Caſæ, Molzæ,& ſimiliũ illuſtriũ Poetarum ſui temporis, literis commendatiſsimum extat. Is, cum Bononiæ literis operam dediſſet, Romanam Curiam ſecutus, Paulo Tertio Pontifici carus, ob nobilitatem, & ſingulares animi dotes; nam præter literarum ſcientiam, rerumq; gerendarum experientiam; inſitam animi fortitudinem, ac obfirmatas corporis vires habuit. Anno 1540. ab eodem in Galliam mittitur; vt Franciſco Primo Francorum Regi, ob Aurelienſis Ducis filij immaturam mortem, maximo Pontificem dolore affectũ fuiſſe ſignificaret, eumq; conſolaretur. Mortuo Pont. cum Alexandro Cardinali Pontificis nepoti inſeruiret, anno 1556. ad Philippum II. Hiſpaniarũ Regem mittitur, vt Placentina Ciuitas Octauio, Card. fratri, Parmæ Duci reſtitueretur, ab eoq; in gratiam reciperetur, quæ omnia, cum obtinuiſſet; eundem Octauius Dux, grati animi ergò, poſtea de Caſtro Medeſano agri Parmenſis infeudauit; ſequenti Corrigium ditionis ſuæ oppidum, armata militum manu collecta, ingreſſus; in familiæ ſuę Dominium, ſub Imperij protectionem, contra Ducis Ferrarię pretenſiones defendit, ac conſeruauit. A Pio Quarto in ſecunda decem,& octo Cardinaliũ ordinatione, Romæ 4. Kal. Martij, anno ſal. 1561. Pontificatus II. habita, Diaconus Cardinalis; mox Presbyt. tt. S. Stephani in Cælio Montę creatus; & paulo poſt M. Antonio Columna Tarentinam Eccleſiã dimittente, Archiepiſcopo Salernitano electo, ad eam Hieronymus; Philippo Rege deferente; anno 1569. 3. idus Martij tranſlatus eſt; qui ex tt. S Stephani, Presbyter tt. S. Anaſtaſtaſiæ factus; anno 1571. Selyno Turcarũ Imperatore in Chriſtianos bellum parante, cum Summus Pont. pro Anconę Ciuitatis præſidio milites elegiſſet, propugnaculaq; paraſſet. ipſis, & Ciuitatis adminiſtrationi Præfectus ab eodem toti Piceno tempore belli imperãdi poteſtate accepta; anno ſequenti Romę in ipſo iam ætatis decurſu; ſuis, & exteris cariſſimus; vir

enim

enim magnæ experientiæ, ſummi iudicij, & maximæ auctoritatis erat; non ſine magno dolore moritur; Gregorij XIII. Pōtificatus I. die Mercurij, octauo idus Octobris, hora 24. ſepeliturq; in Diui Syluestri Eccleſia in Quirinali.

III.

QVibus modo laudibus extollam hominem plenum officij, & ad omnium animos, ac voluntates deuinciendas regia liberalitate conſpicuum, Italiæ ſempiternum decus, atq; ornamentum HIPPOLYVM Eſtenſem Alfonſi I. Ferrariæ, Mutinæ, & Regij Ducis, & Lucretiæ Borgiæ filium, natum anno Domini 1509. 9. Kal. Sept. hora 3. pomeridiana? Is; præter gentilitiā nobilitatē; cum prudentia, conſilio, fide, doctrina, vera animi nobilitate polleret, in Aula Regū Galliæ Franciſci I. & Henrici II. cum quibus affinitate coniungebatur, à prima ætate verſatus, meruit ab eiſdem; non modò publicis, ac priuatis conſilijs adhiberi, in quibus ſe egregium virū præbuit; verum etiam in adminiſtratione Aurelienſis; mox anno 1520. Hippolyto I. Eſtenſe Cardinale ipſius patruo vita functo, ætatis ſuæ anno 11. Mediolanēſis Archiepiſcopatus; poſt Auxitani; Eduenſis; & Lugdunenſis, mortuo Franciſco Cardinale Turnonio Narbonenſis, Mauranenſiſq; Eccleſiarum; monaſterij item Præmonſtratenſis, aliorumq; Sacerdotiorum à prædictis Regibus, cæteris Pręſulibus præferri; quibus dignitatibus non contentus Rex Franciſcus, à Paulo Tertio, dum anno Sal. 1538. Pontificatus V. 13. Kal. Ianuarij, ſextò Cardinales legeret, Hippolytum Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Aquiro fieri impetrauit; qui non niſi 3. Nonas Martias ſequenti pronunciatus eſt. Venetias hic ab eodem Pontifice anno 1544. Remp. rogatum; vt ſecum, & cum eodem Franciſco Rege fœdus inire velit, mittitur; & è Gallia poſtea Romā eidem Pontifici Regis nomine ſuaſurus; anno 1548. vt Parmenſi Ciuitati, Horatium Farneſium, qui Regis filiam vxorē duxerat, præficeret; reuertitur. Anno 1551. ob quaſdam, inter

ter

ter Iulium III.& Henricum II. Gallorum Regem, excitatas ſimultates, vix impetrata à Pontifice abeundi venia diſcedens, cum Ferrariam diuertiſſet, Brixelli Caſtri Regienſis ditionis Hercule Duce, fratre deferente, clauum tenuit. Senas prætcrea ſequenti pro Chriſtianiſſimo Rege, quia Ciuitas ſe illi dediderat biennio, donec.ſ.Petrus Strocius in Italiam venit, firmo præſidio munitam pacatè moderatus eſt. Iam verò quis mihi eam dicendi facultatem det, vt excelſum iſtius Præſulis animum poſsim delineare? Prædicent hunc Horti Quirinales Romæ, Tyburis Ciuitatis ædificia, Mauſolæa, & Dianę templum æmulantia, hortiq;, & viridaria, quorum; ſi multicolores reſpicias delitias; eos; non dicam pomorum varietate, Heſperidum hortos, & ipſa Tempe fructicum, herbarum, florum amœnitate adequare; ſed ſuperare, ſine vlla aſentatio-cõfitearis. Ibi prima facie videas regio ſumptu conſtructa palatia, de quibus; & propter vermiculata intercolumnia, & pario de lapide confectas columnas, Praxitelis ſtatuas, antiquorum pictas imagines, & alia quamplurima; à Poètis potius verſibus deſcribenda, quam à me tenui ſtylo recenſenda. Silentio inuoluo fontes piſcium, ac volucrum viridaria, nemora, vineta, labyrinthęos, herbarum ambages, prata, ſyluas. quid plura? omnia omnino quæ aut de Inſulis fortunatis, aut de Campis elyſijs, Poètæ fabulantur, inibi reperias. Sed, vt eo redeamus; vnde nos tam pulchræ viſu; tam iucundæ dictu, delitiæ non nihil abduxerunt, veniamus ad cõmiſſas illi à Summis Põtificibus adminiſtrationes; ad legationem in Gallias, cum diſſidio religionis à domeſticis hoſtibus Regnum vexaretur à Pio Papa IV. demandatam, cuius comites, & miniſtri fuere inter alios Proſper Sãctacrucius Romanus Chyſamenſis Epiſcopus: poſt S. R. E. Cardinalis, qui Prolegati munere fungebatur, & Matthæus Cõtarellus, qui ſubnotãdis ſupplicibus libellis præfuit, quem Gregorius XIII. in Cardinalem poſtea promouit, in qua Legatione obeunda; quamuis ſibi magnam laudem cõparauit; non defuerunt tamen, qui huic, crimini darent, quod damna-

damnatæ ſectæ viri, concioni interfuiſſet: at ſi quis Cardinalis Hippolyti Epiſtolam hac de re è Sancto Germano, 4. Nonas Ianuarij, anno 1562. ad Caſertanum Epiſcopum conſcriptã, quæ in tertio tomo Epiſtolarum Principum extat, legerit; id turbulentiſsimis ijs temporibus iure factũ fuiſſe, vel dicet, vel conſilij ſui rationem Cardinalem reddidiſſe, omni aſſeueratione confirmabit. Romam è Legatione reuerſus; ex Diacono S. Mariæ in Aquiro, S. Mariæ in via lata; mox Presbyter tt. S. Anaſtaſiæ; poſt tt. S. Mariæ nouę, factus; ſub Pio V. Põt. Legationis Patrimonij S. Petri munere, & Regni Galliæ patrocinijs, & Monaſterij S. Catherinę, della Roſa nũcupati, in Vrbe cohoneſtatur; cuius munificẽtię; pręclarũ teſtimoniũ extat apud Stanislaum Reſcium in vita Cardinalis Varmienſis, qui huius neceſsitatibus liberaliſſime ſuccurriſſe, teſtatum lib. 3. cap. 13. reliquit; qui in ſummo tandem honoris gradu collocatus; cũ nondum tertium, & ſexageſimum annum attigiſſet, die Martis, 4. Nonas Decembris, anno ſalutis 1572. Pontificatus I. immaculatum Deo ſpiritum commendauit. Corpus in S. Catherinæ Templo, de quo ſupra, depoſitum, ad Tyburis Ciuitatẽ translatum, in S. Franciſco conditur.

IV.

OTHO Truchſes nobiliſsimus Auguſtanus Germanus, Illuſtriſsimi Vuilhelmi Baronis de Vualdburgh, & Ioannæ Federici Comitis Furſtembergij natæ filius; adoleſcens Bononiæ legali ſtudio operam dedit; Hugone Boncõcompagno tunc temporis in Gymnaſio publico iura interpretante, Alexandro Farneſio, Chriſtophoro Madrucio, & Stanislao Hoſio, poſtea S. R. E. Cardinalibus, illic ſtudiorũ cauſa morantibus, inter quos magna interceſſit familiaritas. Hic literis eruditus; maioris Eccleſ. Patrię Canonicus, Decanusq; Tridentinus; Romam veniens, inter intimos Pauli III. Cubicularios adſcriptus eſt; atq; ab eodem, anno 1543. iu Germaniam Sedis Apoſtolicæ Internuncius ad Conuentum Norimbergen-

bergensem Præsulibus indicendi Concilij Trident. causa missus; Christophoro à Stadion Augustano Episcopo; Caroli V. Oratore vita functo, vnanimi Canonicorum consensu, Augustæ Vindelicorũ Episcopus, sacriq; Romani Imperij Princeps eligitur. Sequenti ab eodem Paulo, 14. Kal. Ianuarij S. R. E. Presbyter Card. tt. S. Balbinæ absens pronunciatur, & controuersias inter Pontificem, & Imperatorem sua industria dirimit. Anno verò 1546. misso Claudio Laio suo (quem vocat) Procuratore ad Tridentinã Synodum, ex Flandris ad Boiorum Ducem profectus; cum illo, de bello Saxoniæ Duci, & Lantgrauio hæreticis inferendo, agit, quo in bello adest, & ipse magna Gentilium suorum, ex primaria ordinis nobilitate caterua stipatus, Quæstoribusq; exercitus præest Imperatoris nomine, omnemq; auctoritatem in eisdem Ciuitatibus, quæ in ipsius Imperatoris potestatem venturę erant, pręsidio muniendis accepit. Synodum Augustanam Diœcesanã, anno 1548. pro reformatione Cleri, & populi morum, & Ecclesiarum restauratione celebrauit, in qua celebranda; præter alia Decreta Catholica, Laurentij Card. Campegij, Sedis Apostol. olim Legati, Constitutiones Rasisponæ indictas, interpolauit. Anno porrò 1549. victoria de Saxone, & Lãtgrauio parta; Diœcesim, & Clerum Augustanum. (horum.n. potior pars ab ipsis detinebatur) recuperauit. Iulio Tertio Pontifice, ex Presbytero tt. S. Balbinæ, ad tt. S. Sabinæ translatus; ipsius Ecclesiæ Bapsidem vetustate collapsum restaurauit, Ecclesiã ipsam picturis pulcherrimis exornauit, & de eiusdem Pontificis auctoritate; Collegium Dillinganũ, pro recuperati Cleri reformatione, instructioneq;, in quo postea trecenti, & amplius iuuenes educabantur excitauit, pro cuius Collegij exædificatione quinquaginta millia aureorũ ipsum expẽdisse fertur. Anno 1553. Præposituram, & dominium Ecclesiæ S. Viti, oppidi Eluuagensis; & post Ecclesiæ Herbipolẽsis, quam Paulus III. Alexandro Cardinali Farnesio paulò ante commendarat, consecutus; biennio post, supremus Caroli V. Cęsaris inter Sicã-

bros Quæstor designatus; anno 1558. defuncto S. Iacobi Cardinale, sacri Rom. Imperij Protector est declaratus; sequenti in Conuentu Augustæ iterum habito(reliquis Pontificijs ministris absentibus) totum onus religionis Catholicæ sustinuit. Pio Quarto Pontifice Romã veniens; ex tt. Sãctæ Sabinæ ad S. Mariæ Transtiberim translatus; post factus Episcopus Albanẽsis, inter eos Senatores relatus est, qui sanctissimæ Inquisitionis tribunali præessent, & controuersiæ sedandæ in solenni iuramento Summo Pontifici ab electi Imperatoris Maximiliani legato præstando,ortæ,de quo alias, ab eodem Pio IV. præficitur. Anno 1563. in Hispanias cum Serenissimis Principib. Rodulpho, Matthia & Erneste Austriæ Archiducibus, eiusdẽ Maximiliani Cæsaris filijs, è Germania profectus;Tridentum, dum Concilio finis impositus esset, venit, atq; Vlricum Comitem ab Helfenstein, magnæ apud Germaniæ Principes auctoritatis, in Catholicæ Ecclesiæ gremium redactum, &, qui anno 1567. coram multis, & grauibus viris hæresim, & Augustanam confessionem abiurarat; Cardinalis Augustanus vltra tres hebdomadas, vna cum fratre altero illustri Comite apud se Domi tenuit, vt magno studio ad perseuerantiam cohortaretur. Sub Pio V. ex Albanensi, factus Episcopus Sabinensis, protectionem Archicõfraternitatis sanctissimæ Trinitatis de Vrbe Conualescentium exercuit. Sub Gregorio XIII. ad Episcopatum Prænestinum translatus, vir amplissimus, in bonos liberalis, in omni virtutum genere, præsertim pietatis excellens, Romæ anno 1573. Pontificatus Primò, 4. Nonas Aprilis, hora 15. ab hominibus, ad superos feliciter demigrauit. Corpus eius in S. Mariæ de Anima Theutonicæ Nationis sepulturæ demandatum, sequenti elogio honoratur.

Othoni Card.Tuchsesio Episc.Augustano, Sac.Rom.Imp.Principi integerrimo, & ab omnibus propter excelsas animi dotes, virtutem, clementiam, affabilitatem, ingenijq́, & morum præstantiam amabili. Obijt anno 1573. de mense Aprili. Laurentius Siradeus,

donec

donec dignum erigatur monumentum gratitudinis ergo adscripsit.

Hactenus de Othonis dignitatibus, quibus, ob suas virtutes insignitus fuit. Iam verò æterna illa ipsius pietatis monumēta referam. Dillinganum, dico, Collegium pro Patribus Societatis Iesu exædificatū, Augustæq; pro eisdem Patribus domus; ac Sacellum in sacra Aede Lauretana erectum, & præclarum illud religionis specimen Bononiæ relictum; cum.n.Roma aliquando in Germaniam, maximis de rebus tractaturus, quam celerrimè iter arriperet, & Bononię, qua trāsibat in sanctissimum Domini nostri Corpus, quod pauperi infirmo cuipiam pro viatico à Sacerdote deferebatur, incidisset; equo descendens, summa animi demissione veneratus idem Sacramentum; ad infirmi domum, cui & aureos nummos aliquot pro subleuanda inopia dedit, & hinc ad Ecclesiam comitatus est. Hic præter domestica insignia, hoc habuit. Pelicanum pectus rostro pro filiorum vita percutientem, cum hac inscriptione: *sic his, quos diligo.*

V.

CVM cętera præclarè; tum vero sapienter illud Lucillo in Epistolis suis Seneca præcepit Lauda hominem in eo, quod dari, nec eripi potest, & quod est proprium hominis, hoc autem, nec domus est, pulchra vestis, nec familia formosa, sed animus, & ratio perfecta. Nos igitur sapientissimi viri consilium sequentes in eo, quod debet laudari elogio, exornabimus IOANNEM Aldobrandinum Syluestri I.V. Consultissimi nobilis Florentini, Consistorialis in Romana curia patroni (Aduocatum vocant) ex Læsa Deta legitima vxore natum, Hyppoliti, qui nunc religiosissimè, ac felicissimè, atq; vtinam diu summum Pontificatum, sub Clementis Octaui nomine obtinet, fratrem. Is cum iuris vtriusque prudentia, morum integritate, & vitæ innocentia excelleret, inter duodecim patres litibus dijudicādis Romanę Rotę electus; Forocorneliensem Ecclesiam à Pio V. anno salutis 1569. VI.

Kal. Octobris, administrandam suscepit, quam susceptã; tam prudenter, ac religiosè rexit; vt populus, hunc non à Pontifice Pastorem sibi traditum; sed à Deo Angelum è Cœlo missum, communi omnium voce prædicaret, quæ cum aurib. imbibisset Pius V. eundem in tertia purpuratorum Patrum ordinatione 16. Kal. Iunij, anno, Pontificatus V. salutis humanæ 1570. die Mercurij, Romæ habita, Presbyterũ S. R. E. tt. Sancti Simeonis, Card. creauit, elegitq; vna cum Morono, Alexandrino, Grassio, Cæsio, Rusticucio, & ab Ecclesia Cardinalibus, qui cum Philippi Hispaniarum Regis Catholici, & Reipublicę Venetę Procuratoribus, proprio, & Sedis Apostolicæ nomine, belli aduersus Turcas gerendi, societatem inirēt; cui etiam; tanquam viro auctoritate pollenti; & Prospero Card. Sanctacrucio, bannitos, & delinquentes status Ecclesiastici, qui contra Turcas pugnare, aut pro militãtibus pecuniam ministrare vellent, diplomate, quod extat absoluendi, facultatẽ Pontifex concessit. Sed si quis facilius, quanti esset apud eundem Pontificem, velit cognoscere; vel ex hoc conijcere potest, quod cedente Carolo Borromæo tt. S. Praxedis Presbytero Cardinale maioris S. R. E. Pœnitentiarij munere, Archiepiscopatus Mediolanen. administratione impedito; Ioannes hic inter alios à Pio Pontifice ad id delectus est; & paulò post Breuium Signaturæ Præfectus; qui cum anno 1573. Episcopatum renunciasset; Romæ in Quirinali 7. Non. Sept. Gregorij XIII. Pontificatus II. ex hac vita decessit. sepeliturq; in Sãctæ Mariæ super Mineruam Templo.

VI.

SApienter prisci illi Philosophi; vt literis animum, atque ijs patrias suas exornarent; à penatibus suis discedere, & totum Orbem peragrare non dubitauerunt. Sed sapientius IOANNES Riccius ex Politiano Hetrurię tunc oppido, qui natus pridie Kal. Decembris, anno Domini 1497. cum defun-

ctama.

cta matre, ætatis annorum 15. nouercæ, quam pater duxerat, odio laboraret; domo, patriaq; relicta, Romam venit, vbi à quodam nobili Politiano de familia Taurusia, qui ipsius patrẽ nouerat perbenignè exceptus; cum nunquam ab eo adduci potuerit, vt patriam sedem reuiseret, apud Oeconomum Ioãnis Mariç Cardinalis Montani esse iussus est, cuius Cardinalis gratiam, ob solertiam meritus, ipso postea Magistro (quem vocant) domus, vita functo, eius loco Oeconomus factus, in eo munere se talem præbuit, vt, cum Alexander Farnesius Cardinalis Pauli III. Nepos Magistrũ domus quçreret, nullum, qui sibi satisfaceret; prçter Ioannem inuenerit. Ab eodem porrò in Galliam; post ad Carolum V. Imperatorem, negotiorum causa missus; omnia cum summa laude pro Cardinalis voluntate definiuit, Togato postea habitu sumpto, Clericus Camerç Apostolicæ à Paulo III. factus, ab eodem in Lusitaniam, primo Collector spoliorum. Secundò in Hispaniam. Tertiò in Lusitaniam iterum Internuncius legatur. Romam reuersus, à Cardinale Montano in summum Pontificem assumpto, & Iulio III. nuncupato, cui, vt supra dictum est, antea inseruiuerat; Neapolim, ob res grauissimas missus; moxq; secretus ipsius Thesaurarius declaratus; Archiepiscopatum Sypontinum; & non multo post Episcopatum Clusinũ administrandum suscepit. Cum verò ad maiores dignitates expectaretur, ab eodem in III. Cardinaliũ ordinatione XIII. Kal. Ianuarij anno 1551. Pont. II. presbyter Cardinalis S. Vitalis tt. Vestinæ creatus, consilijs suis Pont. felicissime iuuit; & ob ingentia merita à Pio Papa IV. anno 1561. impetrauit, vt Politiana patria, quæ antea Præpositurae tantum; Episcopali dignitate, insigniretur, cui eo tempore Abbatiam, cuius redditus octingentos aureos excedebant, ipsius pietatem, summo Pontifice vehementer approbante, renunciauit, creato primo ipsius Ciuitatis Episcopo Spinello Bencio, quo postea vita functo, in eiusdem Ecclesiæ administratione Ioannes successit, & vna (vt sçpè diximus) cũ alijs Cardinalibus coercendis Tyberis inundationibus præfici-

tur. Mortuo verò Pontifice, cum Comitia de nouo successo-re eligendo habentur, non potuit hic; quasi non Pontifex renunciari; creato verò Pio V. ex Presbytero S. Vitalis, ad tt. S. Angeli; post S. Mariæ Transtiberim; & ad Archiepiscopatus Pisarum administrationem translatus; à Pont. electus est, vt supra diximus, qui locum magis cómodum Iudæis, qui cóuertebantur assignandum inueniret, & cum Ioanne Francisco Commendono, Marco Antonio Boba, & Alexandro Sfortia, Cardd. publicas vias Vrbis, flumina, portus Tyberis; & cũ Flauio Cardinale Vrsino; cum iam ipse Ioannes ex Presbytero factus esset Episcopus Cardinalis Albanus, aquæ (quam vocãt) Virginis, aquæductus vetustate collabentes restaurari, & in varios fontes per Vrbem distribui curaret. Contracto verò fœdere cum Philippo Hispaniarum Rege, & Venetorum Republ. pro bello contra Turcas suscipiendo, cum maximas expensas fecisset, ob idq; Pius Quintus, pro vberiori prosecutione pecunias exquireret, Politianum ad alienandos infra annum census super bonis Ecclesiasticis Italiæ impositis, cum alijs Cardinalibus expeditis, quæ in secundo Bullarum tomo extant diplomatibus deputauit. Gregorij XIII. anno, Pontificatus II. salutis humanæ 1574. die Lunæ; 5. Nonas Maij, Romæ, is annos natus 77. ex hac peregrinatione recesſit, ingressus æternã patriam. Eius corpus in S. Petri de Monte Aureo, in sacello ab eodem ædificato, picturis, auro, ac statuis ornato, sepulturę mandatur. Peramplas domos Ioannes in via Iulia, quas, vna cũ nobilissimo domicilio, quod in Palatio Apostolico ex ipsius nomine Montis Politiani etiam nunc dicitur; præter ea, quæ in patria, maximo sumptu ædificauit, habitabat. Viridarium item celebre in Monte Pincio habuit, quod postea Ferdinandus Medices, olim S.R.E. Card. nunc Magnus Hetrurię Dux, ad elegantem formam reduxit, possedit. In summa Ioannes vir fuit clarissimus, & in Repub. maximis, grauissimisq; causis insignitus, cuius munificentiæ præclarum extat testimonium, Collegium s. Patauij ad alendam, & instruendam iuuen-

tutem

rutem ex Politiano oriundam, maxima ipsius impensa exædificatum, ac dotatum.

VII.

ANTONIVS Crechius Gallus, mira artium Liberalium cognitione, ingenio, prudentia, consilio, rerumq; ciuiliũ vsu, & intelligentia, zelo, alijsq; virtutibus ita excelluit, vt è schola, ad Episcopatum Ambianensium inter Gallobelgicos euocatus, summum gratiæ, & auctoritatis locum apud Carolum Nonum Francorum Regem obtinuerit, cuius opera; cum ad publicas res tractandas, summa cum sui approbatione vsus esset, amplissimo S. R. E. Cardinalatus honore, eodem Rege instante, à Pio Quarto, dum quarto Patres legit, anno sal. 1565. 4. idus Martij creatus Presbyt. tt. S. Triphonis, honestatus est; nec multo post ad Nãnetensem Cathedralem Ecclesiam moderandam translatus, quæ sui muneris erant, ita cumulatè impleuit; vt optimi Præsulis nomẽ sit cõsecutus; qui anno Gregorij XIII. Pont. III. humanæ salutis 1574. 5. Kal. Iunij, Ambiani ex hac vita excedens, anteactæ cursum digno exitu conclusit, sepultus in Cathedrali.

VIII.

QVam præclaris animi dotibus IVLIVS Aquauiua de Aragonia nobilissimus Neapolitanus, Io. Hieronymi Atriæ Ducis filius, Io. Vincentij Pauli Tertij Cardinalis Nepos, & Octauij, à Gregorio Tertio decimo inter purpuratos Patres meritò relati frater, ornatus fuerit, & ea, quæ in magnis rebus gerendis eximiæ virtutis documenta dedit, & summum honoris præmium illi in Vrbe, in qua quanti quisq; sit inprimis ponderari solet, satis superq; testantur. Is adolescens in omni virtutum genere pręstans, in quo præcipua indoles erat; qua expectari, & sperari digna omnia poterant, ex vtriusq; Signaturæ Referendario, à Pio V. Summo Pontifice, qui ipsius prudentiæ semina, Cardinalitio gradu digna iudicauit,

cauit, dum tertio eligendorum Patrum Comitia haberētur; anno salutis 1570. Pont. V. 16. Kalen. Iunij Diaconus Card. S. Theodori creatus, varijsq; negotijs præpositus, tum priuatis suis congressibus, familiaribusq; colloquijs adhibitus; in omnibus, quæ sunt præcipua gradi huius tam excelsi munia cu mulatè respōdit. Sed heu (casum inexpectatū) is in medio cursu, vel; vt melius dicam, in ipso præclarè gestorum principio, in medijs honoribus, in flore ætatis, summo cū Cardinalium dolore, gentilium gemitu, omnium suspirijs; immatura morte, cum nondum octo; & viginti annos natus esset, die Mercurij, 12. Kal. Augusti, anno 1574. Greg. XIII. Pont. III. vitam hanc mortalem, cum vita immortali permutauit, cæteris Patribus exemplū pietatis, iuditij, doctrinæ, atq; eloquentiæ, relinquens. Huius corpus in Lateranensi Basilica propè Aram maximam in pauimento sepultum, marmoreo lapide sequenti elogio literis æneis insculpto cooperitur.

D. O. M.

Iulio Aquauiuæ S. Theodori Diacono Cardinali, Io. Hieronymi Ducis Atriæ, clarissimi viri filio, ob egregias animi dotes, adolescēti à Pio V. in Cardinalium Collegium cooptato, eiusq; dignitatis muneribus clarè functo. Andreas Matthæus Patruus, Archiepiscopus Consentinus posuit. Vixit annos XXVIII. obijt 12. Kalendas Augusti 1574.

IX.

NOn minus ex rebus præclaris, ac magnis in bello gestis, quam quod sub puluino Homeri Iliadem teneret, Magni nomen Alexander ille Macedo sibi comparauit, cuius celebris nominis famam mihi participasse videtur ALEXANDER Cribellius, Antonij Lumelij Comitis filius; nobilissimus Mediolanensis; ex cuius familia; præter Vrbanum III. Summum Pontificem; Ausanus, & Melchior Mediolan. Ecclesiæ Præsu-

Prçſules; quorum prior in Sanctorũ Cathalogum adſcriptus eſt; Sanctus item Guilielmus, & Beati Lucas, & Alexander; nonnulli etiam aliarum Ciuitatum Epiſcopi, alijq; multi diuerſis temporibus viri, pace, ac bello illuſtres prodiere, qui liberalibus diſciplinis inſtitutus, Senatorisq; in patria munere honorificè functus; & ſi arti militari antea operã nauans, multa fortitudinis dedit ſigna, & ob id Carolo V. carus; maxima rum copiarum ab eodem Dux deſignatus, quadringentos viros è familia, & affinitate ſua ſub ſe præliantes vno, & eodẽ tempore habuit: tamen legitima ſibi vxore defuncta, ex qua tres, Antonium, Hieronymum, & Aloyſium filios ſuſceperat, ſpretis armis, à Pio Papa Quarto, qui ipſius virtutem nouerat, Romam accitus; poſt minora ei demandata munera, Epiſcopali Cariatẽſis Ciuitatis dignitate exornatus, anno 1562. pro rebus ad Concilium Tridentinum ſpectantibus, alijsq; ſummis negotijs Reip. Chriſtianæ, Sedis Apoſt. Nuncius ad Philippũ Hiſpaniarum Regem miſſus, dum apud eum, magna cum laude, perhonorificè eo munere fungitur, abſens, & nil tale cogitans, ab eodem Summo Pontifice anno 1565. Pont. VI. 4. id. Martij, dum quarto Patres legeret, ſacra purpura illuſtratur, Presby. Card. tt. S. Ioannis ante portã Latinam, ac apud eundem Regem de latere Legatus declaratus. Cum Mediolani à Carolo Borromæo Cardinale, & Ciuit. Archiepiſcopo, hoſpitio aliquando exceptus fuiſſet Cribellius, ſedente Pio V. accidit, vt ſicarius ille Donatus, Farina dictus, qui primò; vt Borromæum occideret, Epiſcopium hora cœnę, dum Cardinales orarent acceſsiſſet, & alterum Cardinalem vidiſſet adeſſe, nefarias manus; ne Cribellium pro Carolo occideret, à ſcelere tunc abſtinuerit. Eccleſias Cathedrales is Gerontienſem, & Leritenſem ſapienter adminiſtrauit. Collegium Romæ; in quo iuuenes de familia Cribellia bonis moribus, ac liberalibus diſciplinis inſtituerentur, erexit, ac dotauit; atque è titulo S. Ioãnis, cuius Eccleſiam ita reſtaurauerat, vt ipſam denuo reædificaſſe dici poſſit; ad S. Mariæ de Aracœli translatus, Ro

mæ

mæ anno ab incarnato Verbo 1574. Pontificatus Greg. XIII. 3. ętatis 63. die Mer. 10. Kal. Octobris obijt; sepultusq; est in Ecclesia sua titulari, vbi propè sacrarium dictæ Ecclesię moles sepulchralis, cum effigie ipsius ad viuum depicta, sequenti epi taphio donata conseruatur.

Alexander Cribellius Mediolanensis tt. S. Mariæ de Aracœli S. R. E. Presbyter Card. sexagesimum agens annum sibi posuit, anno 1571. Mense Decemb. die 22. obijt 1574.

X.

QVa laude olim prisci illi Romani; quod patriam, tam acriter defenderēt floruerunt, ea dignandus est, qui; non pro patria; sed pro fide ad extremum vsq; capitis discrimen, dimicauit CAROLVS de Guisa à Lotharingia Gallo campanus, qui Claudium Guisiæ Ducem Ioannis S. Onuphrij Leonis Papæ X. Cardinalis fratrē, & Antoniam Borboniam parentes; fratrem, Ludouicum de Guisa Iulij III. Cardinalem; Aloysium Gregorij XIII. item Cardinalem Nepotem; sororem autem Mariam Iacobi V. Scotiæ Regis vxorem, habuit. Hunc; habitis Romæ apud S. Marcum comitijs Paulus III. anno 1547. sui Pont. XIII. 6. Kal. Augusti Presbyterum Cardinalem tt. S. Cæciliæ creauit. Is ab Henrico II. Rege Romam; vt eidem Paulo ipsius nomine opes, ac Regnum offerat; atq; ad bellum contra Carolum V. Imperatorem sumendum inuitet, missus; in Archiepiscopatu Ducatuq, Remensi factus primus Francię Par, Ioanni Cardinali Lotharingio patruo; sedente Iulio III. successit, à Paulo IV. cuius comitijs interfuerat in Galliam legatus de latere constitutus, inter Pontificem, & Henricum, contra Imperiales partes fœdus inijt. Anno 1558. Parisino conuentui à Rege; vt opem subditis pro Flandro bello ferret, conuocato, vt Cleri in illis partibus Primas interfuit, & vt pax inter Gallorum, & Hispaniarum Reges, sequeretur, multum elaborauit, eaq; inita Galli nomine, cum alijs ad idem depu-

deputatis, conditiones pacis à Philippi Regis procuratoribus accepit, defunctoq; Henrico Rege, Francisco II. successori VI. Idus Augusti, atq; etiam Francisco è viuis sublato, anno 1561. Carolo IX. Remis Diadema regium ipsorum capiti imposuit, & cum Rex in puerili ætate constitutus Regni clauum tenere pro dignitate, non posset, Cardinalis, vna cum alijs 14. Regni Proceribus, Regis tutor (quem vocant) fuit constitutus. Qui, vt erat religionis Christianę obseruantissimus, multa de eadem & contra Hęreticas pestes, qua ijs turbulentissimis temporib. Regni nauim procellosis tumultibus à felici cursu dimouere conabantur, in ea Regia cósuluit. Quid dico consuluit? immo verò os impurũ Bezæ Hæreticorũ capitis, & aliorũ, præsente Regina, multisq; Regni Dynastis in Posciaca disputatione oppressit, cumq; ipsorũ etiã coniurationes in caput Regiũ factas antea detexisset, seuereq; vt par erat, punijsset; Hæretici Cardinali mortem intendere tentarunt. Anno porrò 1563. ad tt. S. Apollinaris translatus; magna Antistitum caterua comitante, ad Synodum Tridentinam indictam venit, cui; vt debitus honos à Cardinalibus Stanislao Hosio, Ludouico Simoneta, & Bernardo Nauagerio, qui tunc ipsi Concilio præerant, haberetur, diplomate, Pius Quartus Pontifex, Romæ 19. Kal. Septembris dato, ipsis Cardinalibus Legatis cõmisit, eumq; proculdubio Põtifex dicti Concilij Legatum, ac Pręsidentem alijs tribus adiunxisset, ni cõtradictiones Hispanorum obstitissent. Tridento eodem anno discedens, vt Pontificem debita cohonestaret veneratione, & de maximis rebus consuleret, Romã venit, ac 3. Kal. Octobris, hora 22. Vrbem ingressus; non minori humanitate, quam honore, à Summo Pontifice excipitur, inde 14. Kal. Nouembris, Tridentũ reuersus, ibi; donec Concilio finis impositus est, commoratur, atq; huic eidem contingit in fine ipsius Concilij vniuersis Patribus, ad singula (vt moris est) respondentibus, acclamationes recitare. Cum inter hũc anno 1564. & Memoransium Regni Galliæ Marescalcum nefarium Hæreticorum fautorem, Parisijs orta esset cõtrouersia,

cò pro

eò pro fide Catholica Carolus deuenit, vt vix mortem euaserit. Anno 1568. à Carolo Nono, & Catherina matre Regib. in Hispaniam, vt de morte Isabellæ Caroli sorore, Catherinę filiæ, cum Philippo Secundo Hispaniarum Rege marito condoleret, ipsisq; auxilium contra hostes, & alterã Maximiliani Secundi Cęsaris filiam, pro eodem Carolo vxorem obtineret, mittitur, quo anno; cum à Principe Condense contra Cardinalem, qui Regni administrationem gerebat, arma essent capta, contra hunc scelestissimum Principem, & reliquos Hæreticos, pro Carolo à superis pugnatũ est. Rege anno 1569. Metensem Ciuitatem; vt Christianæ Religioni consuleret, ingrediente Dominica prima Quadragesimæ, acta re sacra coram ipso Rege, eiusq; Proceribus, & populo in maiori Ecclesia cõcionem Cardinalis habuit, sumpto themate ex Matthæi Euangelio cap. 4. *Ductus est Iesus in desertũ à spiritu, vt tentaretur à diabolo*, & quæ sequuntur, qui summa, vt erat præditus eloquẽtia, multis; vt cætera taceã, rationibus Hæreticos diabolo ipso esse nequiores, demonstrauit; Dæmon.n.& si dubitauit, an Christus Filius Dei esset, nõ dubitauit postea, quin; vt filius Dei oĩa facere posset, dicens. *Si filius Dei es; dic, vt lapides isti panes fiãt*, dicebat (inquã) Carolus Caluinistas, Vgonotas, & alios dictu indignissimos hęreticos dęmone nequiores esse, quia cũ nõ ignorent, Christũ esse Dei filiũ; illius tamen potentiam negãt, quando transubstantiationem panis, & vini in sacro Corpore, ac pretioso eius sanguine non admittunt. Hic anno 1571. in Prouincia Lotharingiæ Collegium Societ. Iesu Mussipuntanũ ædificauit. Anno 1572. cum Romam Gregorium XIII. ad Põtificatum euectum, salutatũ venisset, in Galliam reuersus, Henricum Andegauensium Ducem Caroli Regis fratrem, Polonũ Regem electum, in Poloniam anno 1573. euntem, comitatur; Qui sequenti Pontificatus, Tertio, die Dominico, 7. Kal. Ianuarij, Auinioni vitam cum morte commutans, laborum pro Fide Catholica susceptorum, præmium accepit. Adfuit Cardinalis morti Henricus tertius Rex, qui è Polonia discedens,

nũn-

nuncio ei de Caroli Noni fratris Gallorum Regis, morte allato; clam Polono dimiſſo, ad paternũ ſuſcipiendum, iter arripiens, illac tranſibat, cumq; Cardinalem co mitantib. Alenconio Duce, & Nauarræ, nunc Galliæ Rege perbenignè inuiſiſſet, Cardinalis moribũdus, eoſdẽ verbis efficaciſsimis ad vnionem, mutuamq; inter ſe beneuolentiam, &, vt Catholicæ fideĩ defenſionem, ſumerent, vehementer eſt adhortatus. Eius corpus Remis translatum, in Metropolitana honorificò ſarcophago conditum eſt. Carolus præter domeſtica inſignia geſtauit, hederam adherentem pyramidi, cui Luna ſuper impoſita erat, cum hac inſcriptione: *Te ſtante virebo*.

XI.

PRæclara, meo quidem iudicio, fuit illa ſententia, quã ſui ipſius conſolator Boætius poſteritati conſecrauit, quod ſcilicet immortalitatem propagare videmur, quãdo futuri temporis famam cogitamus. Quod tanto Philoſopho dignũ acroama; non de ſe: ſed de patria, aut potius de Rep. Chriſtiana intellexit Io. PAVLVS ab Eccleſia Italus patria Dertonenſis, qui natus an. 1521. ac patre in puerili ætate orbatus, ſe in Patauino, & Ticinenſi Gymnaſio, cum literis gnauiter operam dediſſet, Doctoratus Laurea illuſtrauit: quin tanta excelluit Iuris, legumq; peritia, vt omnes ſui temporis in cauſis agendis patronos Mediolani longe ſuperaret, vnde in Hiſpaniam cum Thoma Marino Terræ nouę Duce veniens, vt pro ipſo in conſilio Regio coram ipſo Rege cauſam ipſius tractaret, cam tam facunda eloquentia, tam vrgentibus argumentis corroborauit; vt Regi, & Conſiliarijs gratus euadens; Mediolanenſis Senatoris dignitate meruerit cohoneſtari. Mediolanum poſtea cum redijſſet, vxore nobiliſſima; cuius cauſam antea defenderat, ducta; Prætor Ticicenſis deſignatus, tumultuante ipſius Ciuitatis Gymnaſio ſedato, vrbem biennio per ſummam iuſtitiam prudentiſsimè moderatus eſt. Vxore porrò functa, quia vnicus videbatur, ea tempeſtate, cui difficillimè cau-

ſæ ad felicem exitum perducendæ poſſent committi, à Mediolanenſi ſenatu Romam, ob controuerſias inter Carolum tituli S. Praxedis Card. Borromæum, Ciuitatis Archiepiſcopum, & eundem Senatum enaſcẽtes, ad Pium Quintum Pont. Max. Orator mittitur; qui in eo negotio pertractando talia, ſummę doctrinæ, prudentiæ, ac pietatis ſigna de ſe præbuit, vt ipſe Pius; cum huius patruus, Seraphinus nomine, Canonicus Regularis Sancti Auguſtini, Congregationis Lateranenſis, qui in eodem oppido Boſchi, in quo Pont. natus; à primis annis ipſo fuerat familiariter vſus, ſua paupertate contẽtus, Cardinalitiam dignitatem, vt viro integerrimo, ac doctiſsimo illá digno, oblatam, repudiaſſet, ipſius loco, hunc Protonotarium Apoſtolicum, patruo moribus, ac doctrina non diſſimilẽ anno 1568. Pontificatus III. Nono Kal. Aprilis, dum ſecundo Cardinales pronunciaret, Diaconũ;& non multo poſt Presbyterum tt. S.Pancratij Cardinalem cooptauit; & cum, non ſolum in forenſibus, verum etiam in quibuslibet cauſis pertractandis maximè ſolertem videret, atq; admiraretur; hunc pro ſacro fœdere in Caroli Cardinalis Graſsij defuncti locum ſuffectum, & ad alienandum cenſus Eccleſiaſticos, cum alijs Patribus deputauit, necnon Signaturæ Iuſtitiæ præfecit. Obijt is Romę die Iouis, idibus Ianuarij, anno Iubilæi 1575. Pontif. Gregorij XIII. tertio, ętatis 54. ſepultusq; eſt in S. Pancratij titulo, vbi in pauimento ſaxum marmoreum eius inſignibus, & ſequenti epitaphio cœlatum cernitur.

Io. Paulo Eccleſio Dertonenſi, S. R. E. tt. S. Pancratij Presbyt. Card. viro ingenio, memoria, facũdia, & probitate ſingulari, I.C. eximio, à Pio V. Pont. Max. Signaturæ Iuſtitiæ Præfecto. Ludouicus Vicecomes affini optimo, & amantiſsimo P. Vixit annos 54. obijt idibus Ianuarij Anno Iubilæi 1575.

Io. Paulus; pręter domeſtica inſignia hoc geſtauit. Cygnũ ſuper Arã impoſitũ, cum hac inſcriptione; *Dulcius, vt canam.*

XII. Eiuſ-

XII.

EIusdem Io.Pauli celeberrimarum laudum particeps visus est M. ANTONIVS Boba Casalensis Montisferrati, cuius prudentia, consilium, fides, constantia; quam enituerint; summus gratiæ, & auctoritatis locus, quem ille apud maximos Principes obtinuit declarant; à Paulo.n.IV. Episcopatui Augustę prętorię inter Allobroges prefectus, à Serenissimo Emanuele Philiberto Sabaudię Duce maximis opibus, summa prudentia Principe, magno postea SS.Maur. & Lazari Hierosolymitani Ordinis Magistro (cuius ipse memoriam, quam diu vixero in animo continebo, quod annis ab hinc viginti, me inter eiusdem Religionis Equites aggregare dignatus sit) qui ipsius fideli opera in perarduis rebus vtebatur, ac magnam illi fidē habebat, Orator Tridentū an. 1563. missus, ibi duplex munus, oratoris.s. & Episcopi ita cumulate exercuit, vt excellētibus de se factis iudicijs abunde respondisse, sit existimatus, cuius oratio; dum eo in Conc. appareret eleganter conscripta, circumfertur. Hic, ipso Sabaudiæ Duce implorante, & Pōtifice M. Antonij merita animo contemplante, ab eodem in quarta 23. Cardinalium electione Romæ 4. Idus Martij anno 1565. habita, Presbyter Card. S. R. E. tt. S. Syluestri absens declaratus, Romam veniens; tantum abest, vt opinionem, quam de ipso summus Pont. sacerq; Senatus conceperat defraudarit, vt potius auxerit; in sententijs quippè dicendis liber, & grauis, vt Cardinalitia dignitas expostulabat, & in negotijs pertractandis; vt antea semper, prudentissimus euasit. Eundem Pius V. Ioanne tt. S. Mariæ transtiberim Politiano, Io. Francisco tt. S. Cyriaci in Thermis Commendono, & Alexandro tt. S. Mariæ in via Sfortia, Presbyteris Cardinalibus socijs adiunctis, pro restauratione viarum publicarum Vrbis, flu minum, & Portus Tyberis deputauit, in quo; tanta potuerunt virtutum genera reperiri, vt; non modo grauioribus disciplinis, legum videlicet prudentia; sed etiam summa eloquentia,

ac vi

ac vi in dicendo arte Poëtica, & facili felicitate, & felici styli facilitate dotaretur, cuius rei singulare præmium meritò celeberrimorum scriptorum epistolis meruit obtinere (si modo virtutis præmium est honor, & commendatio) si quis verò poëticæ disciplinæ monumenta hic apponi, videatur desiderare; non nulla carmina latina ab eodem in Simonis Pasquæ Cardinalis collegæ sui laudem ab Vberto Folieta in clarorum ligurum elogijs conscripta, quæ nos superius in extremo elogio dicti Simonis posuimus, poterit lectitare. Is tandem sub Gregorio XIII. ex tt. S. Syluestri, ad S. Marcelli translatus, eidem; vt rumor erat in Pontificatu successurus, è terris sublatus est, vt cum superis æterna frueretur immortalitate. Obijt Romæ die Veneris 15. Kalen. Aprilis anno Iubilæi 1575. Pont. III. eiusq; corpus in S. Mariæ Angelorum in Thermis sepulturæ mandatum est.

XIII.

VNde in tanta eorum, quæ se se offerunt ad dicendum copia potissimũ exordiar, ò GASPAR Ceruantes de Gaete Hispane, ex oppido Caceres Placentinæ Diœcesis? an ab illa scientiarum, atq; artium omnium Regina Theologia? vel ab illo florentissimarum Ciuitatum, ac Rerumpublicarum, quasi firmissimo quodam neruo, legalem dico sapientiam, quam cum rerum vsu continuo, & animi candore coniunxeras? Dum vtramq; miror meritò te video Hispalensis Archiepiscopi, sedente Paulo Quarto, vices gerere; & Messanẽsem primò; mox Salernitanam; vltimò Tarraconensem Ecclesias Metropolitanas Carolo V. Cæsare, ac Philippo Hispaniarum Rege, deferentibus sapienter moderari. Quis verò satis pro dignitate in Concilio Tridentino sententias te Præsule Ecclesiastico dignas commendet? Gaspar Romam pro causa fratris Bartholomæi Caranzę Ordinis Prædicatorum, Toletani Archiep. à Philippo Rege missus, in ipsius gratiã à Pio Quinto Pontifice in tertia sexdecim Cardinalium promotione, die

ne, die Mercurij, 16. Kal. Iunij, anno Domini 1570. Pont. V. Cardinalis Presbyter tt. S. Martini in Montibus creatus est, qui in Tarraconensi ora; erecto pro instructione Clericorum, qui Ecclesiæ inseruirent Seminario, redditus Monasterij Sancti Michaelis Archangeli à Canonicis Regularibus S. Augustini derelicti applicauit, qua etiam in Ciuitate, Collegiũ pro Patribus Societatis Iesu, propria impensa splendidè ædificauit, quibus pietatis monumentis relictis; cum an. 1572. in Hispaniam, Roma maximis de rebus cum Rege, Pontificis nomine tractaturus, venisset; triennio post, anno videlicet Iubilæi 1575. Pontificatus IV. octuagenarius, dum Tarraconẽsis Cleri reformationi, Ecclesiarum restaurationi, alijsq; pijs operibus intentus est, die Lunæ 16. Kal. Nouembris moritur, ibiq; in Metropolitana sepelitur.

XIV.

SI, & Romanorum, & Atheniensium Respublicæ floruisse dictæ sunt, donec sapientissimos Legislatores habuerunt; iure meritò floruisse, & florere dici debet Resp. Christiana, dum viros iuris, legumq; consultissimos habeat, inter quos vnus fuit PAVLVS, Scipio antea dictus, de familia de Aretio Itrij oppidi litoralis Latij; morte Hippolyti Cardinalis Medicei quõdam; nunc autem ipsius Pauli natiuitate illustrati, qui honestis ortus parentibus, & graui legum honore insignitus, Neapolis de Consilio Regis, ob virtutes factus, rerum capitalium Iudex in ea Regia constituitur. Interim dum eo munere fungitur, quendam falsò homicidij reum morti adiudicat, qui reus ad supplicij locum ductus; non dolere, quod propter multa in Deum patrata scelera mortem mereret; sed quod falsò de homicidio insimulatus, morti traderetur, laqueo suspendẽdus, coram populo conqueri, ac lamentari cœpit; quibus auditis Scipio; cum non posset sibi persuadere, vt aliquis, vi tormentorum id confiteretur, vnde morte mulctaretur, quadam die clanculum ad stabulum veniens, propriam mulam pu

gione interimit, atq; itinere simulato, mulam parari sibi serui iubet; qui cum mortuam retulisset, indignantis Domini iussu, eum mulę occisoré simulantis, carceri duro mancipatur, cũq; intolerabilibus exerceretur tormentis, se mulam, quod calcitrando eum offendisset occidisse, vi tormentorum fatetur, quo viso Scipio; cum statum, in quo esset multis periculis circumseptum videret, famulo liberaliter remunerato, iudicio, ac sæculo relicto, in Cœnobium S. Pauli Clericorum Regularium Theatinorum Neapolim, vt in portum tutissimum confugit; Scipionisq; nomine in Paulum cõmutato, arctissimis religiosissimæ vitæ institutis se constrinxit, cũq; in morum sanctitate, ac sacrarum rerum doctrina ibidem floreret, omnium sui ordinis dignitatum gradus consecutus, Hispanica Legatione apud Philippum Regem, maximis de rebus à Neapolitana Ciuitate, quæ à superioribus; vt munus impositum subiret, obtinet, magna sui cum laude perfunctus, ita eius nomen in Pij V. notitiam venit, vt eidem, cum minus cogitaret, Placentinum Episcopatum per obitum Bernardini Scoti Cardinalis Tranensis, eiusdem Instituti viri vacantem, vltrò anno salutis 1569. demandarit, eundemq; anno sequenti, die Mercurij, 16. Kal. Iunij, Presbyterum Cardinalem tt. S. Pudentianæ renitentem pronunciarit. Hic verò Episcopale Palatium Placentiæ vetustate collapsum, Ecclesiasq; restituit; ornamentis, & Sacerdotijs auxit, populumq; sibi creditum; non modo dictis, atq; institutis: sed propriæ vitæ exemplo ad cœlestem amorem incẽdit, qui etiam locum Clericis Theatinis religiosis, vbi degerẽt in eadem vrbe concessit; & S. Sixti II. Romani Pontificis, & Martyris amplificato Templo, sacrum eiusdem corpus à Ludouico II. Imperatore Roma, Placentiam olim translatum anno 1576. honorificè in eodem reposuit, quo anno vita functo Mario Carafa Neapolitano Archiepiscopo, à Gregorio XIII. Pont. Max. Paulus Cardinalis relicta Placentina. cui Philippus Sega Bononiensis, tunc Episcopus Ripanus, post Innocentij Papæ IX. S. R. E. Cardinalis, successit, Metropolitanã Neapolis

polis Ecclesiam administrandam accipiens, eius possessionem pridie Nonas Septemb. eiusdem anni inijt, ibiq;; dum Cleri reformationi, alijsq; Episcopalibus muneribus intentus esset, nocte quadam, anno sequenti, cum ventus intempestiuus inflaret, ac fenestras cubiculi adaperisset, Paulus cum cubicularium excitare nollet, è lecto surgẽs, vt eam clauderet, ita à fenestra, vi ventorum impulsa, percussus est, atque in terram impulsus, vt femur sibi confregerit, dolore, ac febre confectus, non multo post ad æternam vitam migrauerit, 15. Kal. Iulij, die Mercurij, hora 18. eiusdem anni 1577. Pont. Gregorij XIII. VI. Corpus eius ibi in S. Pauli suæ Cógregat. cœmeterio; non vt Cardinalis; sed vt viri priuati (sic.n.scripto testamento iusserat) sepelitur. Pro cuius epitaphio, quo noluit donari, quouis encomio meritò potest cohonestari; nam fuit vir, continentia, innocẽtia, religione, pietate insignis, Sacerdotalis dignitatis specimen, Ecclesiasticæ libert. propugnator acerrimus, &, vt vno verbo complectar, virtutum omnium exemplar splendidissimũ, sacri purpurei Senatus decus, atq; ornamentum.

XV.

SCIPIO Rebiba, natione Siculus, honestis, pijsq́, parentibus, & vico inter Messanenses montes sito, cui S. Marci nomen est, quod nobilissimæ Filingerię familiæ iurisdictioni subest; anno salutis 1504. 3. Nonas Februarij natus, cum Panormi literis iam instructus, Capellania Ecclesiæ Beatæ Mariæ, quæ Miraculorum nuncupatur, renunciata, Romã venisset; Ioannisq́; Petri Card. Carafæ, cui inseruit, gratiam sibi conciliasset, ab eodem; iam ad summum Sacerdotium assumpto, ex Protonotario Apost. Motulẽsis Episcopus electus; nec multo post Vrbis Romæ Gubernator factus, his honorum gradibus, paulatim ad Cardinalatus dignitatẽ, quæ illi anno Domini 1555. Pont. Primò, 13. Kal. Ianuarij Presbyt. S. Pudẽtianæ tt. Pastoris creato, delata est, ascẽdit: nec multo post Archiepiscopus Pisarum in Hetruria renunciatus; sequenti an

no ad Philippum Hispaniarum Regem II. in Belgas Legatus de latere designatus, quo dum proficiscitur, in Ecclesiasticam ditionem, illatis armis à Cæsarianis reuocatur. Hic Archiepiscopatu Pisano, de quo supra, Cosmo Hetruriæ Duce instante, qui Ioanni Mediceo Cardinali filio eandem Ecclesiam, cuius ius præsentandi penes ipsum erat, conferre intendebat, relicto, eiusq; vice Episcopatu Troiano in Apulia tunc; Constãtinopolitano postea Patriarchatu; paulo ante ipsius Pontificis obitum donatus. Pio IV. mandante, qui Carolum Cardinalem Carafam, Alfonsum item Card. Neapolitanum, & nonnullos eiusdem domus consanguineos, & familiares in publicum carcerem conijci mandarat, in Hadriani molem, tanquã Carafarum arcanorum cõscius, coniectus, in nullo crimine cõpertus, liberè dimissus est, qui ex tt. Pastoris ad S. Angeli; post ad S. Anastasię translatus, in supremo officio in Alma Vrbe, & tota Rep. Christiana Hęreticæ prauitatis Quęsturæ à Pio V. Pont. Bernardino Tranense Primas inter hos tenente Francisco Pacieco, & Io. Francisco Gambara Cardinalibus socijs, adhibitis, Inquisitor delectus, & ipso Tranense, anno 1568. mortuo; supremus Inquisitor factus, cum sub Greg. XIII. sub quo Tifernum moderatus fuerat; ex Presbytero factus Episc. Sabinen. iam ętate grandæuus, effractisq; viribus esset, habita vix à Consistorijs abstinendi ab eodẽ Pontif. venia, vitæ residuũ pacatè degere cogitaret, subita morbi vi, ex nimia adipis copia prouenientis pressus anno ætatis 73. Pont. VI. sal. 1577 die Martis 10. non autem 9. vt malè ex epitaphio Kal. Augusti, obijt; eiusq; corpus in S. Syluestri in Quirinali apud Theatinos, vbi in medio pauimento lapis, cum hoc elogio legitur, tumulatum est.

D. O. M.

Scipioni Rebiba Siculo Episcopo Sabinensi S. R. E. Card. Pisarum; integritate, doctrina, religione praestanti, Hæreticæ prauitatis

tis Inquisitori, summo fidei Ortodoxæ acerrimo propugnatori. Prosper Rebiba Patriarcha Constantinopolitanus, & Troiæ Ciuit. Episcopus Patruo bene mer. mœstissimè posuit. Vixit annos 73. obijt die 24. Iulij 1577.

XVI.

SVmmam rerum humanarum instabilitatem nobis repræsentat INNOCENTII Cardinalis de Monte vita, qui ab humili statu, ad magnum honoris gradum euectus; pro virtute, voluptatem amplectens; non modo existimationi antea de se factæ non respondit: sed etiam ditissimis ijs sacerdotijs, quę assecutus fuerat à summis Pontificibus priuatus est. Is ignobili loco in Castro Placentinę Ditionis natus, cum puer adhuc è própria domo discedens, huc atq; illuc errans, Bononiam venisset, à familiaribus Ioannis Marię Montij Archiepiscopi Sipontini Ciuitatis Gubernatoris domesticæ seruituti addictus, eum Archiepiscopus moribus, ac literis; cum excellentis ingenij signa daret, instrui curauit, apud quem tanti fuit, vt eodem à Paulo III. Cardinale creato, & post ipsius mortem in Pontificatu, Iulio III. dicto succedente, donatis propriæ familiæ Montiæ cognomine, atq; insignibus, & data illi in Cathedrali Placentiæ Ecclesia, Præpositura; paulo post anno 1551. Pont. I. pridie Kal. Maij, iuuenis adhuc nulla illustri re antea cognitus, graui Pontificis contentione, renuente Cardinalium Collegio, eidem proprio pileo dato, Cardinalis Diaconus S. Onuphrij creatus fuerit, summisq; honoribus, Legatione. s. Bononiæ, & Aemiliæ, Collegij Cathecumenorum protectione, ac ditissimis Innocentij Card. Cibo; tunc temporis mortui, sacerdotijs cōdecoratus. Sed, ò instabilem rerum omnium vicisitudinem. Mortuo Iulio; veris literarum deficientibus ornamentis, cum redditus malè consumeret, & se alienum à veris Cardinalis dotibus; præsertim vacante Pauli IV. sede demonstraret, fuit à Pio IV. successore multis criminibus insimulatus, Hadriani moli mancipatus, ratusq; Pontifex, non pos

se meliori ratione corrigi, quam si ditissimis prouentibus priuaretur, tres potissimas Abbatias S. Sabbæ in cella noua, Miramundi, & S. Mariç Criptç ferratç alijs contulit, eumq; in cōpedibus per annum integrum detentum, Tybur relegauit. Hūc etiam, cum adhuc in vitijs suis perseueraret Pius V. Pontifex in vincula coniecit, & castigatum, atq; omnibus; præter eos, quibus victum tantum parabat, redditibus ablatis, in cænobio Regularium relegauit, quæ omnia eum, tam exosum Romanæ Curię reddiderunt, vt; cum postea Gregorio XIII. Pontifice libertate donatus Romæ, vbi S. R. E. Cardinalium Diaconorum Primas tenuit, ex S. Onuphrij, ad S. Mariæ in Porticu; post ad S. Marię nouæ Diaconatus translatus moraretur, reliqui Cardinales ab eius, quem floccifaciebant consuetudine abhorrerent. Is anno 1577. III. Nonas Nouembris infelicem vitam cum morte commutans, nocte priuatim in Ecclesia S. Petri in Monte aureo apud minores obseruantes sepelitur, nullis pristinæ maiestatis relictis testimonijs, quam quibusdam imaginibus, & picturis, quibus; dum humanus fauor arrideret delectabatur. Neq; hæc in causa fuerint, vt taceamus summā eius in Ecclesiasticis cęremonijs peritiā, quę tanta fuit, vt cum Consistoria publica pro recipiendis principum, oratoribus, ac legatis celebrarentur, ipsimet cęremoniarum Magistri nihil facerent, nisi prius Innocentium consuluissent.

XVII.

LVDOVICI de Guisa Lotharingij Gallocampani, Claudij Guisiæ Ducis, & Antoniæ Borboniæ filij, Caroli Remensis Archiepiscopi Pauli III. Cardin. fratris; Ioannis Metensis Episcopi Leonis X. Cardinalis Nepotis; Ludouici Gregorij XIII. Cardinalis patrui, facta simul, ac dicta memoratu digna, quæ apud alios latius diffusa sunt, quam vt breuiter cognosci posint, & vt documenta sumere volentibus lōgè Inquisitionibus labor absit in vnum redegimus. Electus hic Episcopus Albiensis, à Iulio Papa III. die Veneris 11. Kal. Ianuarij

nuarij anno reparatę salutis 1553. Pontificatus IV. in quarta Cardinalium electione Diaconus Cardinalis S. R. E. creatus; à Paulo IV. Diaconatum S. Thomæ in parione obtinuit. Idem anno 1561. ad Archiepiscopatum Senonensem per obitum Ioannis Bertrandi Cardinalis vacantem, translatus; Ecclesiam Albiensem, quam antea administrabat Laurentio Strocio Cardinali regendam cessit. Senonense postea dimissa, cui tunc Nicolaus de Pelleue Card. præfuit. Ex Diac. factus Presbyt. tt. S. Thomæ in Parione; Pictonensem; mox Metensem, & Burdegalensem Ecclesias, quoad vixit religiosissimè moderatus est. Qui tandem ad cælestem Patriam migrauit in patrijs oris die Sabathi 6. Kal. Aprilis anno Domini 1578. Gregorij XIII. Pôtificatus VI. ibiq; sepultus est.

XVIII.

SEd nescio, an in laudis genere hûc superarit CHRISTOPHORVS Madrucius Gaudentij Equitis nobilissimi Tridentini filius natus tertio nonas Iulij anni 1512. Is Bononiæ adolescens in literas incumbens, habuit socios studiorum Hugonem Boncompagnum, tunc I.V. Doctorem, Alexandrum Farnesium, Othonê Turchsesium, & Stanislaû Hosium Polonum, qui postea ad Cardinalatû euecti sunt, vnde reuersus in patriâ; Canonicus; mox Decanus; vltimò annos natus octodecim ipsius Ciuitatis Episcop. & Princeps, eligitur, quam Ciuitatem, & Ecclesiam summa cum laude multos annos cum Brixinensi, quæ paulo post eidê cômissa est, administrauit, vbi pietatis, doctrinæ, & munificêtiæ nô pauca reliquit monumêta, quæ; cum Paulo III. innotescerêt, 5. Nonas Iulij anno 1544. sui Pont. X. hunc in Presbyterum Cardinalem tt. S. Cæsarei in Palatio promouit, quam dignitatem, cum accepisset anno sequenti primæ sessioni Concilij in propria Ecclesia cum alijs Patribus eius opera incæpti, celebratæ interfuit. Romam postea anno 1546. à Carolo Cæsare missus, eundem Paulum Pontificem religionis, & amicitiæ nomine, vt opem sibi ferret pro bello Protestantibus qui Germaniam pessimorum dogmatum falsa

doctrina inficiebant rogatum, tres Italas fortissimas legiones, & mille cataphractos milites, &; vt Alexander Cardinalis Nepos, maxima Procerum caterua comitante in Germaniam, ipsius exercitus legatus, Octauiusq; frater Dux ad eos motus comprimendos mitterentur, obtinuit, idemq; anno 1548. in Hispaniam Maximilianum Caroli Cęsaris ex fratre Nepotem missum, vt Mariam, vxorem duceret, & clauum Regni teneret, comitatus, eius sponsalia Caroli nomine confirmauit, & Philippum II. in Italiam veniẽtem Tridenti excepit, cum eoq; in Belgas venit. Sub Iulio III. iterum Cõcilio interfuit, & quia; & doctrina, & auctoritate pollebat, Marcelli II. nomine 1555. Senas venit, vt pręsentia, & auctoritate sua det operam; ne Ciuitas à Cosmi Florentiæ Ducis militibus, qui ipsam muniendam Imperatoris nomine erant ingressuri, depopularetur. Christophorus pro Philippo Catholico Rege Mediolanensis Ciuitatis, loco Albani Ducis Regius Vicarius fuit, & Arcem ab Antonio de Luna Hispano, proprio filio, cum ipse ad Gallos confugisset, relictam; ab eodem filio ablatam, res quidem magni momenti, bello tunc eidem ditioni à Gallis imminente, Regi Catholico recuperauit, Cremonam amplificandam, muniendamq; mœnijs, & propugnaculis cingendam curauit, discordias inter Sfortiam, & Hieronymum Pallauicinos vertentes, summa atq; admirabili prudentia diremit. Placentiam Regis nomine Octauio Farnesio Parmæ Duci, Arce retenta, restituit, qui ex Presbytero tt. S. Cæsarei sub Pio Papa III. ad tt. S. Chrysogoni; & ex eo ad S. Mariæ transtiberim translatus, Episcopatum Albanensem; post Sabinensem; mox Prænestinũ; ꝑter Picenã legationẽ, prudentissimè moderatus est. Cõuentui Augustæ Vindelicorum, Maximiliani electi Imperatoris causa celebrato, vt sacri Imperij Princeps interfuit, controuersiamq; inter Piũ, & eiusdẽ Romanorũ electi Cęsaris Oratorẽ Georgium Elphestanũ Comitem de solenni iuramento pręstãdo ortam, vna cum nonnullis alijs Cardinalibus ad id à summo Pontifice deputatis, composuit, atq; sedauit. Anno 1570.

cx

ex Prænestino factus Episcopus Portuensis, & S. Rufinæ per multa alia egregia egit sub Pontificibus Pij V. & Greg. XIII. quibus non modo propter virtutes illas, consilium scilicet, ingenium, sapientiam: sed etiam propter sales, ac facetos iocos, quibus identidem inter sermones vtebatur, carissimus extitit, permulta, inquam, egregia egit, quæ, ne in longum nimis elogium protrahatur, amplificanda non censuimus. tantum dixerimus, in ipso summoperè excelluisse liberalitatem, quę tanta in eo fuit, vt præter pauperes, quibus summam auri vim dabat, Stanislao Hosio Cardinali Varmiensi, viro literarum cognitione, ac sanctitate vitæ, nostra tempestate conspicuo, quẽ omnes suas facultates in pauperum cibos dispensare solitum, sciebat, multa aureorum millia elargitus sit. Qui tandem iam in summa rei gerendæ experientia, & actæ vitæ gloria, cum alios longè plurimos superasset, Roma aëris mutandi causa, & vt consuetudine Aloysij Cardinalis Estensis, qua summoperè delectabatur, Tybur ad leuandũ morbum, quo laborabat profectus, ibi ætatis agens 66. annum, die Lunæ, Nonis Iulij, eius natalitio, anno à partu Virginis 1578. Pont. VII. moritur, cuius corpus, quod integrum inuentum est, triennio post, forma ad maiestatem composita, Romam defertur, & in Ecclesia Sãcti Onuphrij in sacello, quod defunctorũ dicitur, sepelitur. & lapide, his verbis, de quib. paulò post, insculpto, contegitur. Phœnicem is habuit à Sole combustã, cum hac inscriptione; *Vt æternum viuat.* pro insigni, præter domesticum. Sequitur elogium, de quo supra.

Christo resuscitatori.

Christophori Madrutij Episcopi Portuen. Cardinalis Tridentini ossa hic requiescunt. Obijt 5. Iulij 1578. ætatis suæ 66. eodem, quo natus est die recurrente.

XIX. Huic

XIX.

HVic in eodem generis laude ſubſcribitur IVLIVS Felrius de Ruuere Vrbinas, Frãciſci Marię Ruuerei Vrbini Ducis, & Eleonoræ Gonzagæ filius, natus anno 1535. die 5. Aprilis; qui Arcæ, & Soræ Dux: à Guido Vbaldo fratre Vrbini Duce, vita iam functo patre, adoleſcens piè educatus, & literis imbutus; in ipſius gratiã à Paulo Papa III. cuius neptem ex filio Victoriam, idem vxorem duxerat, anno Põtificatus XV. ſalutis 1549. 5. idus Ianuarij Diaconus Cardinalis S. Petri ad vincula declaratus eſt, cui; cum Ranutius Pontificis nepos, S. Angeli Cardinalis, cardineum pileum Piſauri traderet, Hieronymus Ruuereus; poſt Tolonenſis Epiſcop. mox Archiepiſcop. Taurinenſis, & S. R. E. Card. ipſi ſtudiorum comes à Duce datus, orauit. Vmbriæ poſtea, & Peruſiæ Legatione inſignitus, quam ditionem iterum eiuſdem à Iulio Tertio Legatus per multos annos, vt etiam tertio ſub Pio IV. prudenter adminiſtrauit; Vicentinam Eccleſiam moderandã ſuſcipiens, eius Diœceſim ab hęretica peſte expurgauit. Quis verò poſsit; non dicam recenſere; ſed recenſendo adumbrare ea, quæ in Eccleſia Rauennatenſi, cuius Archiepiſcop. Pio Quinto Pontifice declarato, electus fuerat, geſſit? Ibi.n. vſum conuocandi Concilia Prouincialia, annorum 250. ſpatio in ea Eccleſia intermiſſum, renocauit; Clericorum abuſus reformauit; ipſius ædificia reſtaurauit; mores populorum pia caſtigatione correxit; omniaq; ad ſacri Conc. Trident. Decreta inſtituit; & anno ſequenti SS. Eliſæi Prophetæ, & Ioannis Papæ, & Martyris capita, ſuperiorq; pars cranij S. Sauini Epiſc. & Martyris, & quædam alia SS. oſſa, ex S. Apollinaris ſacrario, vbi prius conſeruabantur, ad Altare maius transferri iuſſit, qui; cum ibi etiam monumentum marmoreum, in quo Beati Rainaldi Archiepiſcopi Rauennatenſis corpus integrum, ac penè recens ſepultũ, aperiri iubens, religioſiſſimè proprijs manibus meruit attrectari. Aedificato poſtea nouo in ea Vrbe

Camal-

Camaldulensibus Cœnobio, pro eiusdem dilatatione aream concessit, & anno 1570. iactis nouæ Basilicæ, pro eiusdem Patribus in vrbe Pisauri fundamentis, primum lapidem ritè, cum fratre Duce iecit. & eodem anno, defuncto Cardinale Cicada; ex Diaconorum primò factus Episcopus Card. Sabinensis; Ciuitatis Rauennæ ciuibus ipsis supplicantib. Ordinis item Minorum Conuentualium, Obseruantium, ac Capuccinorum à Carolo Borromæo dimissam; & post, sacræ Domus Lauretanæ à Ioanne Morono Card. vltrò sibi traditam protectiones, non recusauit. Omitto pietatis monumenta insignia, quæ in ea sacra Lauretana Domo reliquit, & quæ eisdem Metropolitanis Ecclesijs Rauennatensi, atq; Vrbinati diuidenda, scripto testamento iussit. Hic, anno 1574. ex Sabinensi, factus Episcopus Prænestinus, sequenti anno; vt nobilissimum Cœnobiũ S. Crucis Auellanæ ipsi commendatum, Congregationi Camaldulẽsium à Gregorio XIII. (Auellanitarum Congregatione, & nomine extinctis) adiudicaretur, obtinuit; qui etiam religionis ergo in sacra Eremi Area, cællã B. Mariæ semper Virgini Lauretanę sacram, erigendam curauit. Obijt Iulius apud Forosempronienses, die Iouis, tertio Nonas Septembris, anno humanæ Redemptionis 1578. Gregorij Tertij decimi Pontificatus VII. ætatis 43. eius cerebrum totum saniæ confectũ Medicis hepatis curam attentantibus compertum est. Corpus Vrbinum translatum, in Aede S. Clarę sepelitur.

XX.

FLoruit etiam nostra tempestate Benedictvs è gente Lomellina, nobilitate, & opibus inter Genuenses florente, natus anno decimo septimo supra millesimum, & quingẽtesimum, qui cum iuuenis literis; præsertim Cęsarei, Pontificiq; iuris cognitioni dans operam, in ea scientia excelluisset, eam multis in Gymnasijs publicè, summo cũ applausu per aliquod tempus est professus, vnde doctrinæ fama illustris, Romanam Curiam adiens, post minores honorum gradus, & non

nulla

nulla officia, quæ summa cum laude exercuit, à Paulo Quarto comes consiliariusq; Carolo Cardinali Carafæ nepoti suo, dū Legatus ad Hispaniarum Regem Philippum in Belgas venit, datus est; ad Clericatus Cameræ Apost. postea munus euectus, Episcopatum Vintimilliensem; mox Lunensem, & Sergianensem; vltimò Anagninū, summa cum animi integritate moderatus est. Hunc Pius Quartus, ob egregiam summis in rebus nauatam operam, sacris Patribus, in quarta electione anno Domini 1565. Pont. VI. 4. idus Martij, Presbyterum Card. tt. S. Mariæ in Aquiro, & post tt. S. Sabinæ designatum adscripsit, quem à Gregorio XIII. Pont. Campaniȩ, Maritimæq; Legatione cohonestatus, omnes propter iustitiam, & singularem humanitatem, quas adhibebat, summo prosequebantur amore; sub quo Pont. anno Octauo, salutis 1579. ȩtatis 62. 7. Kal. Augusti, die Veneris hora sequentis noctis quarta obdormiuit in Domino; eiusq; corpus in S. Gregorij Templo sepelitur, vbi ad dexteram Maioris Aræ marmoreum Mausoleum effigies, & elogium cernitur; quod sequitur.

D. O. M.

Benedicto Lomellino, qui eruditione insignis, Romanæ Aulæ varios honores emensus, à Pio IV. Pont. Max. in Cardinalium Collegium fuit adlectus, cuiq; ob eximiam pietatem, fidem, iustitiam, summamq; humanitatem maior, voto hominum, praoptata dignitas, morte prærepta gloriam intendit, Lofredus Lomellinus suppl. libellorum magister, Cameræ Apostolicæ Clericus, & Commissarius Generalis, ad memoriam gentilis, & patroni optimi conseruandam posuit. Obijt 7. Kal. Augusti, anno à Saluatore nato 1579. annū agens 62.

XXI.

QVando ipsæ per se res prȩclarè gestæ satis commendāt, non est, quod multum laboremus in elogio STANISLAI Hosij, ex Vlrico, & Anna honestis, ac pijs coniugibus Cra-

Cracouiæ in Polonia, anno 1504. nati, qui domesticis exemplis motus, eòusque deuenit, vt habitum D. Dominici induere, remotis arbitris tentarit. Is à primordio suæ ætatis magnā de se spem cœpit demonstrare; annorum quippe 12. Lutheranam pestem, quæ tunc serpebat, conscriptis carminibus, detestatus est, & Cracouię in Academia; vbi literis, ac pietati operam dabat, cum Fabritium Cemā nobilissimum à febri in lectulo vexatū inuiseret, ac sub capite eius librum hæreticum reperisset; affirmans illā febrim nō aliundè amico venisse, quam à pestifero illo libro, eidem suasit, vt ipsum à se amoueret, ac ita libro flammis obiecto, à febre relictum, sequenti die inuenit amicum, ex ea ipsa hora, qua librum igni comburendū tradidit. In Italiam veniens, Patauij, & post Bononię legali studio se addicens, ibi Alexandro Farnesio, Christophoro Madrucio, & Othone Turchsesio; postea Cardd. commorantib. lauream Doctoratus consecutus est; approbantibus Almi Collegij Doctoribus, & inter hos Vgone Boncompagno, vno ex eisdem Patribus, postea Gregorio XIII. Pont. In Poloniam rediens, defuncto Petro Tomicio Cracouiensi Episcopo, sui loco in Sigismundi Primi, & Secundi Regum Aula, conscribendis epistolis quindecim annos cōsumpsit; & ex Canonico Cracouiensi à Rege filio propter virtutes; Iulio Tertio concedente, ad Culmensem Episcopatum moderandum inuitus electus; Romam pro confirmatione eiusdem, à Sede Apost. impetranda venit, & actis Legationib. Regis nomine, ad Carolū Quintum Imperatorem, Ferdinandum Romanorum, & Philippum Hispaniarum Reges, ad gregem sibi commissum pascendū reuertitur. Culmensi porrò relicta, & Iulij voluntate, & Regis consensu, Varmiensis Ecclesiæ Pastor declaratus; in hoc studium suum posuit, vt consilijs, admonitionibus, concionibus, & scriptis; Hęreticos lupos, ab ouili arceret, ad quos debellādos omnes animi sui conatus intendit; quibus intellectis, Paulus Quartus, ternis epistolis, cum Romam vocat, quò cum venisset; tantis cumulauit honoribus, vt etiam in Cardinalium

Colle-

Collegium cooptare in animo habuerit, & cooptasset, ni Stanislaus supplex ad genua deuolutus, se multo plura in Episcopali, quam in Cardinalitia dignitate illis in regionibus facturum affirmans, Pontificem de suscepto consilio amouisset; sed à successore Pio Quarto, ad Ferdinandum Imp. & Maximilianum filium Boemię Regem, Concilij congregandi causa Internuncius missus, ab eodem, nil tale cogitans, & diù, ac multũ reluctans 4. Kal. Martij, anno salutis 1561. Pont. II. S. R. E. Presbyt. Card. tt. S. Balbinæ; mox S. Laurentij in pane, & perna; post S. Pancratij; Legatusq; ad idem Concilium renunciatus, ibi ea prudentiæ, pietatis, & doctrinæ signa reliquit, quæ nõ omnib. non innotescunt, quo demũ absoluto, ad Eccl. suã reuersus, Patres Societ. Iesu, qui nullã in Regno certã adhuc sedẽ habebant, assignato eisdẽ Tẽplo, & Collegio Bransbergẽsi erecto, primus ex Italia, & Germania, magno Prouinciæ Prusciç emolumento redditus eisdẽ attribuens, in Poloniã aduocauit. Precib. postea Regis inductus, quod sibi Regnoq; expedire videret, Martino Cromero Coadiutore, successoreq; in Episcopatu Varmiensi, de Summi Põt. cõsensu, relicto, Romam anno 1569. venit, vbi; cum summæ suæ pietatis, & doctrinę famam sparsisset, ei Greg. XIII. anno 1574. maioris Pęnitentiarij munus, Ioãne Card. Aldobrandino mortuo, detulit, qui tandem ex tt. Sancti Clementis, ad Sanctæ Mariæ Trãstiberim translatus, corpore; continuis vigilijs ieiunijs, castigationib. inexhausto, ætatis an. septuagesimo sexto, sal. 1579. Pontificatus VIII. Nonis Augusti Beatæ Mariæ à Niue festo, apud Capranicam, quo octauo ante die venerat, maximo cum pauperum, hospitalium, collegiorum detrimento, necnon omnium præsertim Germanorum, Anglorum, Boemorum, Vngarorum, Sclauorum, Moscorum summo dolore (ad eum.n. tanquam ad commune miseriarum profugium confugiebant) uentris profluuio, atq; æstu febris confectus, susceptis prius de Christiano more Ecclesiæ Sacramentis, in Domino obdormiuit. Præter ea, quæ diximus, Cardinalis Hosius templum S. Sta-

Staniſlao Martyri, & Epiſc. Cracouienſi, & illi contiguum Xenodochium nationis Polonæ in Vrbe apud S. Saluatorem ad tabernas obſcuras, magno ſumptu incæptum, morte præuentus imperfectum reliquit. Volumina etiam conſcripſit, inter quæ Opus illud aureum inſcriptum, Confeſſio Chriſtiana fidei catholicæ Petricouienſis ſynodi nomine conſcripta, quæ confeſſioni Auguſtanæ ab Hereticis compoſitæ ſe opponit. Librum etiam contra Brentium Hæreticum, quæ quidem opera; quantæ auctoritatis, & vtilitatis ſint, ex eo apparet, quod ipſo viuente, bis, & trigeſies in diuerſis Chriſtiani orbis partibus impreſſa, ex latina in Gallicam, Germanicam, Polonam, Scoticam, Anglicam, Armenicamq; linguam fuerint traducta. Præter hęc extant etiam apud Stanislaum Reſcium Protonotarium, & Referendarium Apoſtolicum ſermones multi manu ſcripti, vt Ipſe qui Hoſij vitam luculenter ſcripſit teſtatur, & vt Poſſeuinus in Bibliotheca, multa de verbo Dei, atq; alia reliquit. Eius corpus Romam tranſlatum die 9. Menſis Auguſti in Eccleſia S. Mariæ Tranſtiberim ad dexteram maioris Aræ ſub imagine B. Virginis aſſumptæ ſepelitur, in cuius funere orauit Thomas Treterus eiuſdem Eccleſiæ Canonicus ipſius familiaris. In eodem loco extat in marmore nigro hoc epitaphium.

D. O. M.

Staniſlao Hoſio Polono S. R. E. Presb. Card. Varmienſi Epiſcopo, Maiori Pœnitentiario, vitæ ſanctitatis, eruditionis, & eloquentiæ gloria celeberrimo, catholicæ fidei acerrimo propugnatori, qui; cum antiquæ probitatis, & Epiſcopi vigilantiæ præſtantiam in humilitate, caritate, caſtitate, & beneficentia expreſſiſſet, hæreticas ſectas ſcriptis, & conſilijs ſapientiſſime, feruenter oppugnaſſet, multos ab erroribus reuocaſſet, grauiſsimisq; legationibus pro pace Eccleſiæ Dei; cum apud Carolum V. & Ferd. Caſſ. tum præcipuè in ſacro Concilio Tridentino Pij IV. Pontificis nomine feliciſs. perfunctus, Chriſtianæ Reip. plurimum profuiſſet, omnium virtutum laudibus

dibus, & exemplis ad imitandum abundans obdormiuit in Domino nonis Augusti anno salutis 1579. ætatis suæ 76. Stanislaus Patruo, & Stanislaus Rescius patrono beneficentissimo executores testamenti posuere.

XXII.

NOminis quoquè celebritate illustris est FRANCISCVS Paciecus Hispanus Ciuitatensis; quæ Ciuitas sita est inter Castellæ veteris, & Lusitaniæ fines, natus ex nobilissimis Cerralui Marchionibus, qui adolescens, sic sacram doctrinam est amplexus, vt in Aula Regia diu versatus, Carolo Imperatori, Philippoq; Regi filio maximè vsui fuerit. Is in Italiam cum Petro Cardinale Pacieco ipsius patruo; sedente Paulo IV. Pont. veniens, à Ferdinando Toletano Albę Duce, tunc Neapolitani Regni, atq; Italiæ Vicario, ob bellum circa res Pallianas ortum, vt mandata, quæ pacem respicerent à Rege obtineret, in Hispaniā missus, ijs conditionibus pacis acceptis pro votis Caroli Cardinalis Carafæ Pontificis nepotis, cum Romam venisset, negato, à Pontifice alloquio, Neapolim (Rodulpho Cardinale Carpense admonente) Roma reuocatur. Quem postea ex Canonico maioris Ecclesiæ Toletanæ Pius IV. Eleonora Toletana, & Cosmo Mediceo Magno postea Hætruriæ Duce coniugibus impetrantibus, in Aloysij Toletani Eleonoræ fratris locum, qui Ecclesiasticum habitum vna cum sacra purpura summere recusauerat, anno Pont. II. salutis 1561. electis secūdo octodecim purpuratis patribus S.R.E. Cardinalem tt. S. Susannæ; mox S. Pudentianæ tt. Pastoris creatum IV. Kal. Martij suffecit; & paulò post protectione Regnorum Hispaniæ suscepta; anno 1566. defuncto Cardinale Francisco de Mendozza, Burgensis Ecclesiæ administrator extitit, quę in ipsius gratiam Archiepiscopali dignitate aucta est; & anno 1570. à Philippo Rege, qui sacrum fœdus cum Pio V. summo Pont. & Venetis contra Turcas iniret, cum Antonio Cardinale Granuellano, & Ioanne de Stunica Regis apud Pontificem

tificem

tificem oratore, Procurator regius constitutus est, à quo Pont. ad tt. S. Crucis translatus Bernardino Tranense, Scipione de Pisis, & Ioanne Francisco de Gambara Cardinalibus socijs datis, in tota Rep. Christiana Hæreticæ prauitatis in officio supremo Inquisitor delectus est. cum verò sub Gregorio XIII. Pontifice in Hispaniam reuersus esset, idoneus à consiliarijs Regis iudicatus est, qui in Lusitaniam anno 1579. pro negotio de successione Philippi in Regno, cum Henrico Cardinale Lusitaniæ Rege tractando mitteretur, quo, & si ab Historico quodam, Franciscum venisse affirmatum est; mihi tamen constat, pro Francisco, Petro Girono Ossunæ Duci illud negotium demandatum fuisse. Qui Franciscus eodem anno die Dominico 10. Kal. Septemb. Burgos in propria Ecclesia, morte præuentus obijt, eiusq; corpus translatum in patriam Ciuitatensem ibi in Cathedrali sepultum est.

XXIII.

EOdem encomio vti in mentem venit in conscribendo elogio Gherardi à Groisbeeck Gueldrij, quod posuit Seneca in Hercule Oetęo

Sed locum virtus habet inter astra.
Vere, dum flores venient tepenti,
Et comam syluis hyemes recident,
Vel comam syluis reuocabit æstas,
Pomaq; autumno fugiente cadent,
Nulla terris rapiet vetustas,
Tu comes Phœbo, comes ibis astris.

Nam ea virtute, qua præcipuè ecclesiastici Antistites solent illustrari; non solum laudem immortalem sibi in terris; sed, quod magis est, in cœlis ad omnem æternitatem comparauit, electus.n. Episcopus Leodiẽsis, eius celeberrimę Ciuitatis gregem sibi commissum, & priuatis, & publicis admonitionibus; aliquando consilijs dandis; interdum tristibus à molestijs, & importunis negotijs liberandis; sæpe ægrotis inuisendis; sæ-

pius viduis ac Virginibus præseruandis; cœnobijs, monasterijs ecclesijs, hospitalibus, ac sacellis erigendis, ita populum ad veram Catholicæ fidei institutionem reduxit, vt dignus visus sit, qui tam celebrium Episcopalis dignitatis virtutum gloria clarus à Gregorio XIII. summo Pont. in V. Cardinalium electione Romę anno humanæ salutis 1578. Pont. VI. die Veneris 9. Kal. Martij habita, inter S. R. E. firmissimos Cardines annumeraretur, quo in ordine eadē sui, quæ in Episcopatu dederat, documenta daturum, optimiq; Cardinalis nomen fore, vt consequeretur, omnes pro comperto habebant, si præclara cōsilia explicare potuisset, ac; ni mors in ipso Cardinalatus limine commotam expectationem præcidisset, Gherardo anno sequenti 4. Kal. Ianuarij nondum optato delatæ dignitatis titulo Leodij è viuis erepto, qui in eadem Vrbe ad S. Lambertum sepultus est.

XXIV.

INter præclari nominis gloria Præsules insignes annumeratur Fr. ARCHANGELVS de Blanchis Italus insuber, ex Vico Gambaloidi Agri Viglebanensis, natus anno salutis 1561. 5. Nonas Octobris. In tenera is adhuc ætate institutum Dominicarum secutus, in philosophicas, theologicas, & pręsertim, eas, quæ ad audiendas confessiones necessarię sunt disciplinas incumbens; Magistri nomine donatus, post reliqua à sui ordinis patribus demandata officia; in inquirenda Hæretica prauitate nonnullis in locis præpositus, socium habuit Fratrē Michaëlem Alexandrinum, cuius zelum, & integerrimæ vitæ exemplum imitatus, & gratiam ipsius consecutus, eius confessiones audiuit, à quo Cardinale à Paulo Quarto, & supremo Inquisitore delecto; sanctissimæ Inquisitionis Commissarius; mox summo iam Pontifice, Pij V. nomine, electo Episcopus Theanensis; & in tertia 16. Cardinalium creatione, an. 1570. Pont. V. die Mercurij, 16. Kal. Iunij, S. R. E. Presbyter Card. tt. S. Cæsarei in Palatio declaratus est; cui etiam Præposituram

S. Am-

S. Abundij Cremonensis à patribus Humiliatis olim cultam eisdem religiosis illinc expulsis, quod quidam ipsorum Carolo Card. Borromæo mortem intentare ausus esset, commendauit, cuius Ecclesiam, atq; amplas ædes Theatinis regularibus Presbyteris concessit; à Gregorio XIII. ad recognoscendum, & declarandū Indicē librorū prohibitorum per patres à Tridentina synodo electos confectū, & ad expurgandum eosdem libros, cum alijs patribus deputatus est, cui, cum quidam Astrologus prædixisset, fore, vt in Cathedra Petri moreretur, atq; inde omnes eius familiares Archangelū futurū summum Pontificem sperarent, & præsertim ægrotante eodem Gregorio Pont. illorum spes non eundem, quem predicebant exitum consecuta est, nam Pontifex; sanitate obtenta, per quinquennium etiam postea vixit. Theanensis autem, quem Petri Cathedram illius loco assessurū iactabāt familiares, & ipsa quoq; Romana Aula; subita morbi vi oppressus, die Lunæ 15. Kal. Februarij, quo die Ecclesia S. Petri Cathedræ solemnitatem celebrat anno salutis octuagesimo supra millesimum, & quingētesimū, iuxta Astrologi dictum, & si malè à familiaribus intellectum, mortuus est, cuius corpus habitu religionis indutum priuatim, & noctu ad Ecclesiam S. Sabinæ, cui multa piè legarat, translatum, in ipso religiosorum monumento (sic.n. scripto testamento constituerat) sepelitur. Extat ad lęuam maioris portę templi marmoreum mausoleum, talibus verbis notatum.

D. O. M.

Fr. Archangelo de Blanchis S. R. E. Card. pietate, vitæ innocētia, & doctrina ornatissimo, qui in disciplina Dominicana, & in obeundo munere inquirendi in hæreticos Pij V. P. M. Collega ab eodem, primum Episcopus Theani creatus; mox in sacrum Collegium patrum Cardinalium cooptatus, virtutis specimen præbuit ab summa spe rerum maximarum è medio cursu reuocatus; hic situs est.

Vix: annos 63. Men. 3. dies 15. obijt . . . Cohæredes D. Franciscus Blanchus, & defendentes fratres PP.

XXV.

ACcidit post Fr. Archangelũ, non obliuisci celeberrimi nominis HENRICI EMANVELIS Lusitani Regis, & Mariæ Ferdinãdi Castellæ Regis natæ, filij, nati Vlyssippo næ pridie Kal. Februarij, anno 1502. quo die eam Vrbem, in qua aliquam niuis partem intueri, propter summam Cęli tem periem monstri simile est, plurima niue cõspersam fuisse, quod mentis candorem, vitæq; puritatẽ Principis orti præmonstrasse affirmat Osorius. Qui præter Fr. Michaëlem, Ferdinandum, Aloysium, Odoardum, & Carolum, habuit etiam Ioannem, qui Emanueli patri vita functo in Regno successit, & Alfonsum à Leone X. annorum 7. salutis 1517. ad Cardinalatus fastigium euectum, cuius loco (nam breui vitam finijt) Henricus; vitæ integritate, & literarum cognitione excellens Alcobatiensis Monasterij commendam; mox Bragensis Ecclesiæ Metropolitanæ, quæ; non tantum in spiritualibus; verum etiam in temporalibus suo Præsuli subest; post Euorensis à Paulo III. Pontifice anno 1540. in sui gratiam Archiepiscopatus dignitate cohonestatæ; vltimo Vlyssipponẽsis administratione insignitus fuit; quas postea summa prudentia moderantem, idem Paulus anno sui Pont. XII. sal. 1545. 17. Kal. Ianuarij, dum Romæ vndecimo purpuratos Senatores legeret, in eundem Senatum, Presbyterum Cardinalem tt. SS. Quatuor Coronatorum declaratum cooptauit, in qua dignitate; quo animo erga Ecclesiam Catholicam, Sedemq; Apostolicam Henricus se futurum profiteretur, ex ipsius verbis à Iacobo Cardinale Sadoleto repetitis in Epistola ad eum scripta lib. 15. Epist. videre est; & bis legatione Lusitaniæ; semel à Iulio III. iterum à Pio IV. cohonestatus, factus Generalis eiusdem Regni Inquisitor, Sebastiani Regis ipsius pronepotis tutor, à quo postea ad bellũ contra Mauros in Africam anno 1578. ituro, vt Regni admini-

miniſtrationem ſumeret rogatus ingraueſcente iam ætate, ac ſiniſtra corporis valetudine detentus, eam prouinciam repudiauit. Sebaſtiano porrò eo in prælio occiſo, Card. Rex à Luſitanis acclamatus, Regni clauum 5. Kal. Septembris eiuſdem anni ſuſcepit, rexitq; per ſexdecim menſes. ſ. quoad vixit; ſumma tamen animi ſui cum moleſtia, de ſucceſſore ipſius nominando actum eſt, prætendentibus Philippo II. Hiſpaniarum Rege, ex Iſabella eiuſdem Henrici Regis ſorore nato, Catherina Bragantiæ Ducis vxore, Odoardi filia, Ranutio Alexandri Parmæ, & Placentiæ Ducis, & Mariæ ex Odoardo natæ filio, Antonio Crati Priore Henrici Regis fratis filio notho, & Emanuele Philiberto Sabaudiæ Duce Beatricis ex Emanuele Rege natæ filio, cuius Regni ſucceſſor Philippus II. Hiſpaniarum Rex declaratus eſt. Obijt Henricus Almerini, qui locus in delitijs Regum habetur eodem die, quo antea natus fuerat, videlicet pridie Kal. Februarij anno ſal. 1580. ætatis LXVIII. die Dominico hora noctis 11. dum Luna eclipſim pateretur. eius corpus ibi depoſitum, transferendum poſtea Euoram in ſepulchro, quod ſibi in Eccleſia Collegij ſocietatis Ieſu, à ſe erecta viuens poſuerat, vt ſcripto teſtamento reliquerat; Philippo Rege ſucceſſore biennio poſt mandante, ipſoquè aſtante in oppido Belem in S. Mariæ ordinis S. Hieronymi nobiliſſimo ſepulchro donatum, vbi epitaphium adhuc deſideratur, qua in Eccleſia reliqua Luſitaniæ Regum corpora aſſeruantur; ibi ſolenni pompa celebratis exequijs conditum eſt. Reſtat modo, vt hic referamus; præter cœtera, ea, quæ reliquit ſummæ erga Deum pietatis monumenta. ſ. Romæ in titulo ſuo, cuius ſtratum auro contectum, cælatum, & affabrè elaboratum propria impenſa ædificari curauit, & propè Amarantæ Caſtrum Eborenſis Diœceſis, S. Conſalui Eccleſia Patribus Dominicanis tradita; Cœnobiumq; bono Ieſu de Vallæ viridi ſacrum; Monaſteria item; alterum B. M. Magdalenæ in Oppido Alcobazæ: alterũ Archangelo Michàëli ſacrum, xenodochiumq; Vlyſſippone ędificatũ pro inſirmis obſeruantibus; Collegium

item,& Academiā pro Patrib. ſociet. Ieſu,& aliud Monaſteriū Eboræ S. Antonio Patauino dicatum pro Minoribus obſeruantibus, ex Regio ærario à fundamentis anno 1579. eo animo erigi cœptum, vt illud paucos infra dies abſolueret, cum moriens perficere non poſſet,teſtamento, quod factum eſt, ad deſideratam perfectionem deducendum reliquit.

XXVI.

FRANCISCVS Alciatus Italus nobilis Mediolanenſis magni illius, & toto Orbe terrarum celeberrimi, atq; in omni diſciplinarum genere; præſertim verò in iure, peritiſsimi Andreę Alciati gētilis,& alumnus, Martini filius an. 1522. Kal. Februarij natus, ſub ipſius diſciplina educatus; ijſdē, quibus Andreas, diſciplinarū laudibus excelluit, tantoq; ob id in prętio habitus eſt, vt Doctoratus lauream conſecutus, vita functo Andrea, legalem ſapientiam in Ticinenſi Academia interpretatus, in eo Gymnaſio primam Cathedrā meruerit obtinere. Qui poſtea in Caroli Borromæi Cardinalis gratiam à Pio Quarto Romam vocatus, poſt diuerſa, ſumma cum laude officia exercitata, Referendarius vtriuſq; Signaturæ; mox Sedis Apoſt. ad Regem Boemiæ Internuncius miſſus; electusq; Epiſcop. Claremontanus; poſt Arienen. mox Ciuitatenſis, ex ipſius Datario, eodem Carolo Borromæo inſtante, quia eo in legibus interpretandis Doctore fuerat vſus, dum Ticini ſtuderet, in quarta 23. Cardinalium electione, an. 1565. Pont. VI. 4. idus Martij, S. R. E. Diac. Card. S. Mariæ in porticu; mox S. Luciæ in Septiſolio; poſtea S. Suſannæ creatus eſt; quē etiā cum Io. Michaële Sarraceno, Io. Baptiſta Cicada, Io. Reumano, Fr. Clemente Moniliano, Ludouico Simoneta, Carolo Borromæo, & Vitellotio Vitellio ad officium ſupremum ſanctiſsimæ Inquiſitionis elegit, atq; negotijs publicis, ob ſummā experientiam, & prudentiam præfecit, ac in Congregationib. Regularium, & ſacri Concilij Tridentini adhibuit; & ſub Pio Quinto pro Carolo Borromæo ſummi Pœnitentiarij officium

exer-

exercuit. Reformator Collegiorum Capranicensis, & Nardini Scholasticorum in Vrbe electus; ex Diac. S. Susannæ Præsbyter tt. S. Mariæ in porticu ab eodem Summo Pont. factus. Anno 1578. defuncto Iulio Ruuereo Card. Vrbinate, Patronus Ordin. Minorum S.Francisci, & Monachorum Carthusianorum declaratus, qui obijt Romæ, suis, atq; omnibus carus; cum propter reliquas virtutes; tum, ob morum elegantiã, atq; humanitatem, quarum virtutum laude, cęteris Patrib. non erat inferior; anno sal. 1580. Pontif. VIII. ætatis 58. die Martis, 13. Kal. Maij, summo mane, sepeliturq; in S. Mariæ Angelorum in Thermis, vbi in altera ex columnis eiusdem Ecclesiæ ad dexteram, ipsius effigies ad viuum sculpta; monumentumq; cum elogio infra ponendo; extãt.

D. O. M.

Et memoriæ Francisci Alciati Mediolanen. tt. S. Mariæ in porticu, S. R. E. Presbyt. Card. virtute, humanitate, officio I. V. scientia, ac cæteris omnibus disciplinis, florentissimi, Carthusiensis familiæ protectoris. Vixit annos 58. men. 2. dies 18. obijt an. Salutis 1580. 13. Kal. Maij.

XXVII.

AVreum, verè dictum Boetij (si tamen moderatè vsurpetur) quod ex virtutibus dignitati potius honor accedit, quam ex dignitate virtuti, manifestissimè apparet in Ioanne Morono, Hieronymi Comitis, ob rerum vsum, & inter Mediolanenses summo loco nati, & in Aula Caroli Cæsaris conspicui viri filio, orto anno 1509. 8. Kal. Februarij, hora 19. qui adolescens Pauauij, legibus intentus; ita in ijs profecit, vt inter primos eiusdem Gymnasij I. C. citissimè fuerit connumeratus; & à Clemente Septimo iuuenis adhuc Episcopatu Mutinensi donatus. Is anno 1540. à Paulo Tertio ad Ferdinandũ Rom. Regem, Petri Pauli Vergerij loco, Sedis Apostoli-

ſtolicæ Internuncius miſſus, omnibus Germaniȩ Conuentibus, præſertim verò Ratiſponenſi, tum Turcis reſiſtendi; tum religionis cauſa, coacto, vbi etiam Gaſpar Contarenus Card. Legatus venerat, adfuit, quo in munere, declarato illi ſucceſſore Hieronymo Verallo Epiſcopo Bertinorienſi, cum in Italiã iter arripuiſſet; anno 1542. ab eodem Paulo, ſui Pont. VIII. 4. Nonas Iunij Presbyt. Card. S. Vitalis tt. Veſtinæ; mox tt. S. Stephani in Cœlio monte declaratus eſt, qui Bononiæ Cardineũ pileum à Gaſpare Card. Contareno Ciuit. Legato accipiens, 13. Kal. Nouemb. eiuſdem anni, cum Petro Paulo Pariſio, & Reginaldo Polo Cardd. vt Conc. Trident. inchoarent, Legatus declaratus. Anno 1544. ſuſpenſa Synodo, Legatiſq; reuocatis, Bononienſem Legationem accepit; Prolegatum præter cæteros habuit Io. Angelum Medicem Archiep. Raguſinum, Card. poſtea; & tandem ſub Pij Quarti nomine Summũ Pōt. Anno 1548. à Legatione ſemotus, dimiſſa Mutinenſi Eccleſia, ad fauorem Fr. Egidij Fuſcararij nob. Bonon. de quo ſupra, Nouarienſis Epiſcopus factus, quadriennio poſt; eo proponēte, Ignatioq; Loiola, Societ. Ieſu fundatore, & Præpoſito Generali, mirum in modum apud Summum Pont. Iulium Tertiũ, Card. mentem approbante, Romæ Collegium Germanicum pro Adoleſcentibus, pietate, & literis inſtruendis exædificatum eſt. Hic porrò ad tt. S. Laurentij in Lucina translatus; in Germaniam anno 1555. Legatus, cum Auguſtano Conuentui, præſente Ferdinando Romanorum Rege, Caroli Cæſaris fratris Vicarium agente interfuiſſet; accepta Pont. morte, Italiã verſus iter arripiens; Comitijs; quibus Marcellus Pont. Max. creatus eſt, non potuit adeſſe, quo breui vita functo, & Ioanne Petro Card. Carafa, ſub Pauli Quarti nomine in Pont. ſuccedente, Ioannes relicto S. Laurentij titulo, & S. Mariæ Tranſtiberim tt. Calixti aſſumpto, cum Palatiũ ſuũ vetuſtate collapſum erexiſſet, à Pont. qui de eo malè audiuerat, in Hadriani molé conijcitur, & longo carcere affligitur, ſed Pius Quartus, cognita Card. innocentia, eum; non modò ab omni iniuria, &

ſuſpi-

ſuſpicione vindicat, ſed etiam ex Presbytero factum Epiſcop. Albanen. mox Sabinen. tandem Præneſtinum, dignū iudicat, quem anno 1563. in Herculis Gonzagæ Card. Mantuani locum, primū Legatorum, & Præſidentē ad Generalem Triden. Synodum, iterum à ſe conuocatam, mitteret; & paulò poſt ad Imperat. cui etiam eiuſdem Concilij confecti decreta, cum alijs Cardd. examinanda, onusq; Canonizationis Beati Didaci impoſuit. Qui ex Præneſtino, Epiſc. Tuſculanus; mox Portuenſis; & S. Rufinæ electus, à Pio V. pro fœdere deputatus, Franciſco Card. Piſano mortuo, in Epiſcop. Oſtienſi, & ſacri Collegij Decanatu ſucceſsit. A Greg. XIII. Genuam Legatus anno 1575. eius Reipub. tumultus, vna cum Maximiliani Cæſaris, & Philippi Regis Oratoribus, Gubernio nouis legibus commutato, ad pacem, & tranquillitatem redegit; & iterum, ſequenti in Germaniam, vt Conuentui Ratiſponæ celebrando adeſſet, Legatus miſſus, Maximilianum, contra Poloniæ Proceres, quod eo neglecto, quē prius nominarant, Stephano Bathorio Poloniæ Regnum dediſſent, iratum pacauit. Ioannes Regnorum Angliæ, Vngariæ, & Archiducatus Auſtriæ, ſacræ item Domus Lauretanæ, Monachorum Congregat. Caſſinen. Fratrum S. Dominici, Monialium Conuertitarū Vrbis, Collegiorum Germanici, & Angli protectiones, ſumma cum vigilantia exercuit, qui tandem annos natus 71. die Iouis Kalē. Decemb. hora 10. anno 1580. Pontif. IX. Romę in Domino quieuit, cuius corpus ibi in Templo S. Mariæ ſuper Mineruā ſepulturæ traditum, ad gradus maioris Aræ lapide, in pauimēto, elogio infra deſcribendo inciſo, cooperitur.

Hic iacet corpus Ioannis Cardinalis Moroni patritij Mediolanenſis, & Epiſcopi Oſtienſis, qui fuit legatus Apoſtolicus in ſacro Conc. Trident. & Præſes. Vix: annos 71. menſes 10. dies 5. obijt 1. Decemb. 1580. orate Deum pro eo. Hieronymus Moronus comes Pontiſcoroni hæres, Horatius Moronus Epiſcopus Sutrinus, & Nepoſinus fratris filij, Domino, ac patrono optimo, ex teſtamēto mærentes; PP.

XXVIII.

SEquitur, inter Illuſtres Italiæ familias Panegyrico coho-
neſtare ſermone ALEXANDRVM Sfortiam Boſij II. S.Floræ
comitis,& Cõſtantiæ Farneſiæ filiũ multorũ Prẹſulũ gẽti
lis, qui præmiſsis primo, & iactis literarum, ac virtutũ funda-
mentis,adhuc iuuenis Baſilicæ Principis Apoſt.de Alma Vrbe
Canonicatum;mox Camerę Apoſtolicæ clericatum obtinuit,
quibus dignitatibus; ob triremes,quas ipſe reddere,apud Cen
tumcellas recuſarat, à Paulo IV. cũ ſpoliatus fuiſſet; ijſdem
triremib. poſtea Portui reſtitutis, aliquot Cardinalium præ-
cibus Alexander redintegratrus eſt, & ab eodem Pont. cuius
gratiã,ob pacem Guidonis Aſcanij Card. ipſius fratris opera,
inter ipſum Pontificem,& Philippum Regem initam,meritus
fuerat, Annonę cum Antonio Florentino Archiepiſcopo Ca-
meræ Apoſtolicæ Decano pręficitur, in quam præfecturam,
tam ſtrenuè incubuit, vt; cum anno 1559. tota Italia extrema
annonę caritate premeretur, vna Roma, Alexandri opera re
frumentaria laxiore ſemper vſa fuerit, &,quod per ea tempo-
ra maius fuit,ſibi adiacentib.populis petentibus,nequaquã ſtri
ctiore manu,& ſine Cameræ detrimẽto ſubminiſtrauerit,cuius
ſingularẽ in his rebus gerẽdis prudentiam cum Pius IV.cogno
uiſſet, eundem, & Almæ Vrbis, & totius Eccleſiaſticę Ditio-
nis annonæ Pręfectum cum multis priuilegijs conſtitutum Epi
ſcopum Parmenſem, cedente Cardinale fratre, elegit, & ad
Concilium miſit; ipſoq; Card. iam vita functo, anno 1555.
Pont.VI.4.Idus Martij,dum 4.Card.crearet,Alexandrũ Pres.
S.R.E. Cardinalem tt. S. Mariæ in via, renunciauit. Taceo
à Pio V. huic eidem pro reſtaurandis vijs publicis commiſ-
ſam prouinciam cum alijs Cardinalibus,de quo alias,& anno
1570. Nonis Ianuarij Ciuitatis Bonon. & Prouinciæ Flami-
niæ demandatam legationem,ac ſub Gregorio XIII.à quo vni
cè diligebatur S.Marię maioris de Vrbe Archipresbyteratum
Signaturę Iuſtitię Præfecturam;Protectionem Regnorum Hi-
ſpanię;

ſpaniæ; & tandē anno 1580. honorificā (præter Bononiæ) reliqui totius Eccleſiaſtici ſtatus Legationem, cum multis facultatib. prȩſertim ad exules, ac nefarios homines funditus profligandos, quod ipſe ſumma vigilantia fecit, pacem, ac vitæ ſecuritatem populis reſtitués, vnde meruit à Fauentinis his verſibus, in lapide ſculptis, ad perpetuam liberatȩ ditionis memoriam donari.

Cacos diſperdit, & Hydras,
Supereſt gradus vnus honoris
Maturam fundis populis per ſecula pacem.

Is repentino caſu Maceratæ, die Martis, 17. Kal. Iuniȷ, hora 18. anno ſalutis 1581. Pont. X. omnib. ingeniȷ, virtutisq; dotibus ornatiſſimus, belli, togæq; artibus inſtructiſsimus, & Neſtoris œuum, qui viueret digniſſimus, magna ſacri Collegiȷ iactura è viuis eripitur, cuius corpus Romam poſtea deportatū, in nobiliſsimo ſepulchro è regione alterius, quo Card. fratrē donauerat, in ſacello S. Mariæ Maioris Baſilicæ, cum hoc elogio, conditum eſt.

D. O. M.

Alexander Sfortia S. R. E. Card. Pauli III. Pont. Max. nepos, Bonon. & Flaminiæ ſub Pio V. & Greg. XIII. Legatus, Signaturæ Iuſtitiæ Præfectus, huiusq; Baſilicæ Archipreſbyter, ſibi; mortis memor poſuit, annum agens 47.

XXIX.

ANtiquorum illorum Præſulum enaſcentis Eccleſiæ, quaſi luminum, quos carceris corporei adhuc compedibus vinctos, nec dum eiuſdem vinculis ſolutos, beatorum ſpirituū vitam, moresq; imitatos laudib. proſecuta ſunt ſcriptorum monumenta, quippequi; vt ſe ſe ab omni vitiorū contagio, puros, atq; integros ſeruarent, honorum gloriam, quæ ipſorum animis officit deuitantes; procul ab hominum cœtu, in va-

in vaſtas ſolitudines, locaq; deſerta concedentes omni mente in aſſidua diuinarũ rerum meditatione defixa, totam ætatem egerunt. Horum (inquam) ſanctiſsimorum Patrum continẽtiam, morum ſanctitatem, innanis gloriæ contemptum, animi moderationem, ætate noſtra retulit FERDINANDVS nobiliſſima Toletana familia, rebus prçclarè geſtis, virorũ ſplendore, multisq; titulis, ac dominijs in Italia, & Hiſpania celeberrima, ex Orepeſſç Comite anno incarnati Domini 1520. natus, cuius; vt omittam perpetuum vitç tenorem in moribus emendandis, literis adiſcendis, ieiunijs, vigilijs, præcationibus, operibusq; erga proximum actis; quibus rebus, Theologicarum diſciplinarum cognitionem, carnis luxuriantem contumaciã, mentisq; legi reluctantem impetum perdomandum didicerat; cum diuinarum virtutum, ac meritorum commendatione, ad ampliſsimum Cardinalatus faſtigium, à Greg. Papa XIII. anno 1578. Pont. VI. die Veneris, 9. Kal. Martij, in quinta Cardinalium electione, euectus eſſet; nihil de priſtina vitæ ratione immutauit, tantaq; fuit in homine animi ab omni faſtu, & honorum cupiditate abhorrentis demiſsio; vt accepto per Cubicularium, qui cum Cardineo pileo Hiſpaniam venerat, diplomate Pontificis, quod rem totam continebat, tres dies ad reſponſionem ſibi concedi poſtulauit, quibus exactis, acta quotidie re ſacra, crebrisq; ad Deum precibus fuſis, ipſum Cubicularium, quem perhonorificè detinuerat, maximis munerib. donatum, cum pileo Romam dimittens, literis Summo Pont. datis, ſe ſe tanto muneri parem cõſtanter negans; ipſum ſumma animi demiſsione monet, vt rebus eiuſdem ſacri Ordinis melius conſulat. Quibus intellectis Gregorius, non potuit inſigne iſtud Ferdinandi ad omnem poſteritatis memoriam, incredibilis moderationis, ac neutiquam vulgatæ virtutis ſpecimen, cum vniuerſo Patrum Senatu, non vehementer admirari, & commendare. Qui Ferdinandus poſtea, ſe ab hominum conſuetudine abdicans reſiduam vitam, diſciplinis, orationib. ac ieiunijs tranſegit, donec immaculatum ſuum ſpiritũ ex hoc corpo-

corporis carcere exilire desiderantem, Cœli Domino cómendauit. Eius corpus in sacello Orepessani Castri, paternę ditionis, inter Hispanos, in Castellæ nouæ oris sito, maiori Ecclesiæ B. Virg. Conceptæ, dicato; vna cum Cœnobio, in quo Moniales habent, ab eisdem Orepessæ Comitibus ædificato, sepultum est.

XXX.

NOn minori fama claruit, & si in diuerso vitę instituto ea tempestate, FLAVIVS Vrsinus nobilissimus Romanus, Ferrantis Grauinæ Ducis, & Beatricis Ferellæ filius, qui plurimarum virtutũ; & cum primis iuris pontificij, ac ciuilis sapientię decore insignitus, Episcopus S. Seueri electus; mox ad Episcopatum Muranensem translatus; à Pio Quarto Pont. ad Auditoratus Curię causarum Cameræ Apost. officiũ, ex vtriusq; Signaturæ Referendario, anno 1561. Kalen. Maij, translatus; ab eodẽ quadriennio post, anno scilicet 1565. Pót. Sexto, dum quartò Cardinales creauit, 4. idus Martij S. R. E. Presbyter Card. tt. SS. Petri, & Marcellini declaratus est; sub Pio V. Archiepiscopatus Consentini administratione suscepta, vt Aquam virginem ad fistulas fontis Triuij conductam, in varios fontes distribuat, ab eodem Pont. cum Ioanne Cardin. Politiano deputatur. Is à Greg. XIII. anno sal. 1572. Pont. Primo, cum intellexisset Gasparem Colinium Regni Dynastã, & Hæreticorũ principem, Parisijs, cum socijs necatum fuisse, in Galliam Legatus mittitur; vt Carolum IX. Regem contra reliquos Regni hæreticos inflammaret, &, vt ad arma contra Turcas sumenda persuaderet, fœdere iam cum Hispaniarũ Rege, & Rep. Veneta inito, fœderatorũ arma deuictis Turcis cótra Huganotas vertenda polliceretur, qua legatione, & si frustra, nam effectu caruit; ritè ac sapienter tamen omnibus illius muneribus cumulatè impletis, perfunctus, cum Romam reuertisset, Belgarumq; patrocinium suscepisset, ab eodem Gregorio Signaturæ Breuium præficitur. Qui Roma Neapolim ad leuan-

leuandum morbum, medio Puteolano Balneo veniens, Pizzi falconemq; animi ergò petens; ibi in ædibus Marchionis Triuici, hora 4. noctis sequentis, die Martis, 15. Kal. Augusti 1581. obijt, sepultusq; est apud Prædicatores. Pater commemorāda humanitate, ac liberalitate insignis, cuius doctrina ingens, abstinentia summa, prudentia singularis, & qui generosi, sed moderati animi, exempla plura dederat.

XXXI.

INter eos, qui elogijs illustrium Ligurum vitas exornant, meritò nos etiam recensebimus Fr. VINCENTIVM Iustinianum, ex nobilissimis parentibus Insulæ Chij Dominis, an. salutis 1519. 5. Kal. Septembris ortum, Benedicti Card. Sixti V. consanguineum; qui primò adolescens Ord. Prędicatorum ingressus, atq; in diuinis, humanisq; disciplinis addiscendis, nec non in pietate admirabilem, se cunctis præbens, ab inferiorib. ordinis muneribus, ad superiora sibi gradum fecit, summa cū omnium approbatione; fratris.n. Stephani Vsusmarij Genuensis, postea instituti Generalis Magistri, per decennium à secretis, ipsius virtutem imitatus, eodem vita functo anno 1558. ex Angliæ Prouinciali; à Paulo Quarto eligitur, qui vna cum Fr. Petro Martyre Luganense Ord. Vicario, & Pont. Confessario, eundem Ordinem ad futura Generalia Comitia gubernaret, quibus paulò post Romæ habitis, idem Fr. Vincentius omnium consensu octauum, & trigesimum tantùm annū agēs Generalis eiusdem Ordinis Magister; cui ministerio per duodecim annos sapientissimè præfuit, renunciatus est; qui peragrata Gallia vniuersa, coactoq; anno 1561. Auinioni conuentu, in Italiam reuersus, 18. Episcoporum, & 27. Theologorū eiusdem Ord. corona fultus, ad indictam Synodum, Tridentū concessit; in qua tantam doctrinam, ac pietatem ostendit, vt in rebus expediendis, atq; ad exitum perducendis, eo consulēte pontificij Legati fuerint vsi; cuius postea Concilij Decreta; ea præsertim, quę ad Religiosos Regulares spectabant, in Capitulo

pitulo, Bononiæ habito, tanta aſſeueratione ad vnguem obſeruanda præcepit, vt nõnullorum ordinum Fratribus in Romana Curia reclamantibus à Iudicibus Iuſtiniani ſtatuta eiuſdem Capituli fuerint illis obiecta, qui Romæ, pro ſui, ac Procuratoris ordinis habitatione, ac pro hoſpitibus ex alijs Prouincijs almam Vrbem adeuntibus, ne vt antea in hoſpitijs publicis detinerentur, amplas ædes in Cœnobio ad S. Mariam ſuper Mineruã ædificauit, & cum in Hiſpaniam, Prouincias inuiſens conceſsiſſet; à Pio V. ſui amantiſsimo, tunc Sũmo Pont. creato, apud Hiſpaniarum Regem de maximis rebus, & præſertim de reſtituenda Carolo Card. Borromæo Archiep. Mediolanẽ. Eccleſiaſtica illi debita libertate, magna ex parte ob Archiepiſcoporum abſentiã, eidem Eccleſiæ dempta, tractaret, mandata accepit, quem poſtea idem Pius propter ſingularẽ in omnibus, quæ geſſerat adhibitam prudentiam, an. Pont. V. ſal. 1570. 16. Kal. Iunij, abſentem, Presbyt. Cardinalem tt. S. Nicolai inter Imagines creauit; quo poſtea; cum Romam veniſſet, in ſubleuandis Pont. oneribus, ob egregia conſilia vſus eſt, & apud eundem intercedente, gentilitij ſui, Inſulę Chij Domini, eadem Inſula occupata à Solymano Turcarum Tyrãno capti; & in ſeruitutem redacti, in gratiam Summi Pont. inſtãte apud Solymanum, Carolo IX. Francorum Rege, libertate donati ſunt. Hunc etiam Greg. XIII. Indici librorum, cum Sirleto, & alijs, alias memoratis præfecit; ſub quo tandem ad tt. S. Sabinę translatus, die Sabbathi, 5. Kal. Nouemb. an. 1582 Pont. XI. in incredibili totius Roman. Curiæ deſiderio, è viuis ereptus eſt, cuius corpus in S. Mariæ ſuper Mineruam apud Prædicatores, ſepulturæ demandatũ eſt, in ſacello D. Thomæ Aquinati, ab eodem ædificato, vbi ſepulchrum, quod ijs literis inciſum eſt.

D. O. M.

Fr. Vincentio Iuſtiniano Genuenſi, 38. ſuæ ætatis anno, electo Gene-

Generali Ord. Pradicat. inde annorum 51. in numerum S. R. E. Cardinalium assumpto. Obijt 28. Octobris, anno salutis 1582. Vix. annos 63. menses 2. Petrus, Ioseph, & Gregorius fratres. P.P.

XXXII.

EXcelluit etiam ijsdem tẽporibus FVLVIVS Corneus Italus nobilis Perusinus Iulij Papę Tertij ex sorore nepos, Ascanij viri in militari disciplina inter Italos suæ ætatis celeberrimi frater, 13. Kal. Decembris 1517. natus, qui Patriæ Episcopus ab eodem Iulio auunculo designatus; non multo post an. sui Pont. II. huius ęui 1551. 13. Kal. Ianuarij S.R.E. Presbyter Cardinalis tt. S. Mariæ in via creatus, ab eodem Piceni legatione insignitus, Florentiam mittitur, Sermoneta Senas petente, vt hic inde, quid nouissimè de rebus Senensibus, & Montis ilcini deliberaretur, intelligat, qui, ea gratia, & auctoritate, qua apud Iulium Pont. valebat; patrię suę Magistratuum potestatem, qua à Paulo III. antea in temeritatis pænam, & rebellionem Ciuitas destituta fuerat, vna cum fratre, vt restitueretur obtinuit, ex quo Pont. Aenea statua, Card. & ipsius Fr. monumento à Perusino populo, quod ibi ante ædes D. Laurentio dicatas his versibus donari meruerunt.

Iulio III. Pont. Max. ob restitutos Magistratus, piè deprecantibus Fuluio S. R. E. Cardinali, & Ascanio Corneis ex sorore nepotibus, ad muneris, gratiq; animi perpetuitatem P. Perusina dedicat.

Huius non minora in Deum quam in patriam extant pietatis monumenta, vt Perusię Collegium pro patribus Societatis Iesu, quos vnicè diligens, amico sinu semper fouit, propria impensa magnificè constructum, Romæ item in Ecclesia S. Petri in Ianiculo, sacellum ab Antonio de Monte Card. erectum, & à Iulio III. exornatum in sui corporis sepulturam electum, annuo redditu pro altaris ornamentis, duobusq; anniuersarijs; altero

tero pro Ant. de Monte; altero pro se celebrãdis locupletatũ, q̃ pietaté in gentilitios etiã suos extẽdens, Hippolyto Corneo Episc. Perusino in ęde D. Laurentij in patria monumentũ collocauit. Hic ex tt. S. Mariæ in via, sub Paulo IV. ad S. Bartholomæi in Insula; mox sub Pio IV. ad S. Agathæ; post S. Angeli; & ex eodem, sedente Pio V. ad S. Laurentij in Lucina; & eo dimisso ad S. Hadriani translatus; sub Gregorio XIII. ex Presbytero factus Episcopus Cardinalis Albanus; mox Prę nestinus, & vltimo Portuensis; & S. Rufinæ; reformatorq; Ecclesiasticarum cœremoniarum in Aula Romana, ibidem die Lunæ VI. Nonas Martij anno salutis 1583. Pont. XI. ætatis 66. moritur, & in S. Petri de Monte aureo apud minores obseruantes in Antonij Card. Montani Sacello, de quo supra, sepelitur, in cuius fronte lapis marmoreus; & si ea contineat, quę de sepulturę lectione supra diximus, tamen; vt ordinem, quem instituimus seruemus, apposuimus.

D. O. M.

Fuluius Corneus Episcopus Portuensis Card. Perusinus sacellum hoc ab Antonio Card. de Monte erectum, & à Iulio III. Pont. Max. auunculo suo exornatum, in sui corporis sepulturam eligens, annuo perpetuo redditu pro ornamentis altari submistrandis, duobusq; anniuersarÿs, pro sua, & eiusdem Antonÿ de Monte anima celebrandis. obÿt die 2. Martÿ MDLXXXIII. ætatis suæ anno 66.

XXXIII.

IMmortalem quoq; se reddidit M. ANTONIVS Maffæus nobilis Romanus, originem familia è Veronẽsi Ciuitate ducente Hieronymi filius, Bernardini Cardinalis frater, natus pri die Kal. Septembris anno humanæ redemptionis 1521. qui ex V. I. D. Basilicæ Lateranensis primò; deinde Principis Apostolorum de Vrbe Canonicus creatus; non multò post Bernardino fratri in Archiepisc. Theatino successit, in cuius admini-

ſtratione, ea pietatis, & prudentiæ ſigna dedit, vt cum Pius IV. Titulos, & Diaconias S. R. E. Cardinalium, reliquasq; Vrbis ſacras Aedes, aut vetuſtate collabentes, aut deformes, ex decretis Concilij Triden. reparare decreuiſſet, M. Antonium Maffęum, Iacobum Sabellum Cardinalem Vrbis Vicarium, & Aſcanium Cæſarinum Epiſcopum ad id munus delegerit, quem poſtea Pius V. cum ob iuris peritiam, fidem, atq; integritatem ſupplicibus libellis ſubnotandis (Datarium dicunt) præfeciſſet, eundem anno 1570. Pont. V. 16. Kal. Iunij Presb. tt. S. Calixti renunciatum, inter Cardinales eſſe voluit. cuius opera, & conſilio in Eccleſiaſtica Rep. bene geréda cum vteretur, illum; vt citius arma contra Turcas ſumerentur, cum alijs Cardinalibus ad alienandos cenſus ſuper bonis Eccleſiaſticis impoſitos, deputauit. Sub Gregorio XIII. porrò mortuo Flauio Card. Vrſino Signaturæ Breuium Præfectus, cum in dies magis fidei catholicæ, ac ſedi Apoſtolicæ ſua opera inſeruiret, in ipſa maiori de ſe cōcepta expectatione, inopinata vi morbi oppreſſus, Romę anno Pont. XII ſalutis 1583. 11. Kal. Septembris hora 14. ex hac mortali ad immortalem vitam migrauit, qui ad S. Marię ſuper Mineruam templum apud Prędicatores deportatus, ſepelitur, in ipſius gentilitio ſacello, Deo, & D. Sebaſtiano dicato, vbi è regione monumenti Bernardini Cardinalis fratris ad ipſius Arę dexteram extat lapis cum elogio, quod Hieronymus Maffæus ex fratre nepos, Vtr. Sig. Ref. eo ſacello reſtaurato, eidem poſuit.

M. Antonio Hieronymi filio Maffao S. R. E. Presbytero Card. tt. S. Calixti. Vix: annos 51. menſes 11. dies 22. Obijt 11. Kal. Septembris, 1583.

XXXIV.

MIrum eſt, quantam vim habeat legalis ſapientia, quæ (vt innumeros taceam) RENATVM Biragum nobiliſsimum Mediolanenſem I. V. D. virum; rerum vſu, & diſcre-

diſcretione, quæ conſumatæ prudentiæ virtus eſt, præditiſsimum in Aula Gallorum Regum ad præclariſsimas rerum publicarum adminiſtrationes vexit, quas; non modo prudentia; ſed etiam armis cõtra Hęreticos, & Regni perturbatores ſumptis feliciſsimè conſeruans, ob id Regibus carus, ac ſummo in prętio habitus, magni Cancellarij officio cohoneſtatur, qui; vxore vita functa, quam iuuenis duxerat (ſuſceptis ex ea liberis, qui in Gallia adhuc ſuperſtites, tanti patris veſtigia ſectantes, & in omni virtutum genere excellentes; gentilitium nomen ad omnem æternitatem conantur propagare) in Henrici III. Regis gratiam à Gregorio XIII. in quinta 9. Cardinalium creatione Romæ anno Domini 1578. Pont. VI. die Veneris Nono Kal. Martij habita, ſacrę purpuræ honore decoratus eſt, qui, quod curiam non adijt, titulum non optauit. obijt Renatus Pariſijs anno ſalutis 1583. Pontificatus XII. ætatis 77. die Iouis 8. Kal. Decembris, ibiq; in S. Catherinæ templo ſepelitur.

XXXV.

HAbuit etiam ea tempeſtate Reſp. Veneta virum præſtãtiſsimum ZACHARIAM Delphiniũ anno ſalutis 1527. 4. Kal. Iunij hora 19. poſt meridiẽ natum, qui in multis difficultatibus expediendis, domi, ac foris pro patria Rep. tam ſe eloquentem, tam prudentem, atq; expeditum monſtrauit, vt à Paulo IV. Romam vocatus, & Protonotariatus Apoſtolici dignitate inſignitus; primo Torcellenſis; poſt Pharenſis Epiſcopus declaratus, & inter ipſius familiares adſcriptus, ad plurimas Reip. Chriſtianę partes moderãdas fuerit demandatus; & à ſucceſſore Pio IV. Internuncius Sedis Apoſtolicæ, cum poteſtate Legati de latere diuerſis tẽporibus anno 1556. & 1561. maximis de rebus religionis, & rei Chriſtianę ad Ferdinandum electum Imperatorem, ad Maximilianum ipſius filium Romanorum Regem, & ad Principes ſuperioris Germaniæ periculoſis itineribus, vltrò, citroq; miſſus, tres Imperij Romani ſeculares Electores, nonnulloſq; alios Dynaſtas, qui

falſa Lutheri dogmata ſequebantur, Pontificis nomine, vna cum Ioanne Franciſco Commendono Iacynthi Epiſcopo; poſtea S. R. E. Cardinale adiuit, & ad Concilium Tridentinum celebrandum conuocauit. Verum; cum nihil ſibi eſſe cum Pont. Ro. negotij, & de ea re ad Cæſarem ſe relaturos dixiſſent, re infecta ab ijs, abijt, ſuperioreq; Germania peragrata, apud Cæſarem Legatus permanens; abſens anno 1565. Pont. VI. 4. Idus Martij, Presb. Cardinalis tt. S. Mariæ in Aquiro, non nihil renuentibus Venetis creatus eſt. In Italiam poſtea reuerſus, tam apertè ſingularem rerum cognitionem, ingenij vim, mentisq; aciem patefecit, vt omnes nihil eſſe tam arduum in Aula romana, quod ſcientiam eius effugeret, affirmarent. Tandem ſub Pontificatu Pij V. Iaurienſis Epiſcopatus adminiſtratione ſuſcepta, Gregorio XIII. ſedente; ex tt. S. Mariæ in Aquiro, ad S. Anaſtaſiæ tranſlatus, anno Pont. XII. ętatis 57. ſal. 1583. die Dominico 14. Kal. Ianuarij Romę obijt, ſepultus ibi ad S. Mariam ſuper Mineruam ante Maioris Aræ gradus propè ſepulchrum Ioannis Cardinalis Moroni, vbi, & lapis, & elogium adhuc deſiderantur.

XXXVI.

INſigniuit quoq non exiguo laudum ornamento eandem Venetam Republicam Fr. ALOYSIVS Cornelius Venetus Ioannis, olim Georgij filius, Catherinæ Cypriæ Reginæ, à qua Reſp. Veneta idem Regnum dono accepit pronepos, Marci Alex. VI. & Franciſci Clementis VII. Cardd. ex fratre nepos, Andreæ item Pauli III. Card. conſobrinus, Federici Sixti V. germanus frater, & tandem Franciſci Clementis VIII. item Card. patruus, pridie Idus Februarij anno 1516. natus. Is; habitu, & cruce militaris religionis S. Io. Hieroſolymitani ſūptis, poſt præclara in patria Rep. patrata facinora, dignus cui Regni Cyprij Prioratus commendaretur à Magno religionis Magiſtro dijudicatus eſt, qua dignitate ad maiores aditu ſibi patefacto; electus primo Archiepiſcopus Iaderenſis, deinde à

Iulio

Iulio III. anno 1551. Pont. II. 13. Kal. Ianuarij Diaconus S. Theodori declaratus, ad Cardinalatus fastigium euectus est, qui sub Pio IV. à quo, vt Caroli Card. Carafæ rei capitis iudicio præsit, electus, ex Diacono factus Presbyter tt. S. Theodori; mox Francisco Card. Pisano cedente S. Marci; Episcopatum Bergomensem; Archiepiscopatum Traguriensem, Tranensemq; summa prudentia administrauit. Hic Reipublicæ Venetæ nomine, Pium V. an. 1570. supplex orauit, vt eidem ferret opem contra Selinum Cypri Regnum occupare minantem, quam; paulo post, inito cum Philippo Hispaniarum Rege, & eadem Rep. fœdere impetrauit, cui idem Pius; vt pecuniam vberiorem pro bello colligeret, Camerariatus officium, Vitellotij Vitellij morte vacans, quod Fr. Michàëli Card. Alexandrino concesserat, solutis septuaginta millibus aureis contulit, eundemq; anno sequenti ad alienandos census bonis Ecclesiasticis impositos, cum alijs octo Cardinalibus deputauit, qui Gregorij XIII. anno Pont. 12. sal. 1584. die Iouis sexto idus Maij, hora 19. ex huius fluctuantis vitę procellis, ad pacatam cœli quietem transiuit, sepultus apud Cruciferos in Sanctæ Mariæ Triuij in pauimento, marmoreo lapide, & hoc encomio ornatus.

D. O. M.

Aloysio Cornelio Veneto tt. S. Marci Presbyt. Card. S. R. E. Camerario. Vix. an. 67. menses 2. dies 27. Obijt 6. idus Maij 1584.

XXXVII.

INter clara tantorum Patrum exempla, locum sibi virtute sua haud obscurè vendicat CLAVDIVS à Bauma ex Comitatu Burgundiæ Gallus, Antonij fortè Mõtis Riuellij Comitis viri clarißimi filius, ac ex fratre nepos Petri illius Gebenẽsis Episcopi; postea Archipræsulis Bisuntini, viri æterna memoria dignißimi, qui; dum se acrem Orthodoxæ fidei defen-

ſorem exhibet, in miſerrima illa ſacrorum euerſione, quæ Eccleſiæ ſuæ Gebenẽſi, ſub Clemẽte VII. euenit, qui ab hæreticis, & Epiſcopatu, & Ciuitate, nõ ſine vitæ diſcrimine diſturbatus, ac propulſatus; à Paulo Tertio poſtea, meritò in Card. Collegium cooptatus eſt, cuius pietatem imitatus, eodem cedente, de Pontificis conſenſu, Archiepiſcopatus Biſuntini adminiſtrator declaratus, commiſſum ſibi Gregem, ad ſummam pietatẽ; & verbis, & vitæ propriẹ exemplo pauit, & propterea à Gregorio XIII. ob propria, ac Patrui in Sedem Apoſt. merita, anno 1578. Pont. VI. die Veneris. 9. Kal. Martij, dum quintò Cardinales eligeret Presbyt. Cardinalis S. Pudentianæ tt. Paſtoris; remotis omnibus, quæ obijciebantur difficultatibus, declaratus eſt, qui romanam Aulam non adijt, curẹ Biſuntinæ Eccleſiæ ſibi commiſſẹ, intentus, vbi anno 1584. 17. Kalend. Iulij, Pont. XIII. ex hac peregrinatione, ingreſſus æternam patriam, receſsit, ibiq; in Metropolitana ſepulturæ datus eſt.

XXXVIII.

VIrtutum omnium; & præſertim Eccleſiaſticæ dignitatis zeli ſplendidiſsimo exemplo noſtram ætatem illuſtrauit CAROLVS Borromæus nobiliſsimus Mediolanenſis, Giberti Aronæ Comitis, & Margaritæ Mediceæ Pij Papæ IV. ſororis, religioſiſsimorum parentum filius, anno 1538. 6. Nonas Octobris natus. Is adoleſcens Ticini animum, poſt pietatem, vt Canonico, & Ciuili iure inſtrueret, doctorem habuit celeberrimum illum Iuris Conſultum Franciſcum Alciatum, poſtea S. R. E. Cardinalem, qui à Patruo, ſimul ac ad Pontificatum euectus eſt, Romam vocatus, ex I. V. Doctore, & Sancti Gratiani Aronẽſis Abbate, Protonotarius Apoſt. de numero participantium, ac vtr Sig. Ref. mox pridie Kal. Februarij an. 1560. Diac. Card. SS. Viti, & Modeſti in Macello martyrum; poſt S. Martini in Montibus, & Mediolanen. Eccl. Archiepiſcopus; vita functo Philippo Archinto; Bononiæ, & Romandiolæ Legatus declaratus eſt, qui etiam Sedis Apoſt. præcipua

cipua negotia ſibi commiſſa, ſumma ſemper fide, & diligentia tractauit; nam, vt reliqua omittam, dixerim Tridentinum Concilium, pręcipua Caroli opera maximè celebratũ, ad felicem finem redactũ fuiſſe, & vnum inter alios Cardinales, pro Decretis eiuſdem Concilij ſeruandis, & inter alios, qui ſanctiſſimæ Inquiſitionis tribunali præponeretur, declaratum fuiſſe. Qui ex Diac. factus Presbyter tt. S. Praxedis; eo tempore, quo mortuo Federico fratre, ad propagandam familiam, à quibuſdam hortabatur ad nuptias; defuncto Ranutio Farneſio S. Angeli Card. maioris Pœnitentiarij, munere, & S. Mariæ Maioris de Vrbe Archipresbyteratu, poſt Guidonẽ Aſcaniũ Card. Sfortiam, decoratus. Religionis Fratrum Minorũ, Monachorum Camaldulenſiũ, cui Congregationi Cœnobium Anagninum ſibi commendatum reſtituit. Item Flandrię Comitatus, Heluetiorum, Regni Luſitani, & Prouinciæ Germanię Protect. mox anno 1565. totius Italiæ Legatus declaratus, Mediolani primũ Conc. Prouinc. celebrauit; & Tridenti Ferdinandi Imperatoris filias; alteram Ioannam, Franciſco Mediceo Florẽtiæ Principi; alteram Barbaram Alphõſo Eſtenſi Ferrarię Duci, in matrimonio cõiungendas excipiens; adhibito ſibi à Põt. Max. collega Guidone Ferrerio, tt. S. Euphemię, Presbytero Card. in Italiam comitatus eſt. Enimuero; his miſſis, erigite animum, ò Eccleſię Præſules, animaduertite, ac imitamini facinus, æterna ſæculorum memoria dignum Caroli Borromęi, qui ſub Pio V. maioris Pœnitentiarij, peramplum in Romana Aula munus, S. Marię Maioris Archipresbyteratũ, Abbatias de Cornu, Nonantulanam, Felinam, & Romagnani, aliaq; Sacerdotia ditiſsima, quorum redditus quinquaginta millia aureorum excedebant; retinens tantum ea, cuius fructus ad exiguæ familiæ victum ſufficerent, in manibus ſanctiſsimi; bonis tantummodo operibus intentus, & Eccleſiam Mediolanenſem verbo Dominico, & exemplo paſcens, renunciauit. Quid plura? In Mediolani Ditione Templa erexit, erectaq; iam diruta reſtaurauit. Romæ tt. S. Praxedis ad elegantem, quam nũc

cernimus, formam redegit. Collegium, Domumq. Patribus Societ. Iesu Mediolani, Seminaria in eadem Ciuit.& in Diœcesi pro adolescentibus rectè instruendis, & Oblatorum Collegium ædificauit. Sed videamus, quæso nos; quam pro tanta pietate gratiam acceperit. Electo a Pio Quarto,& successore Pio Quinto, vt Humiliatorum Congregationem, cuius fuerat Patronus, cum Generali, & quibusdam alijs Præpositis reformaret; Apostatæ quidam eiusdem Religionis data cuidam scelestissimo pecunia, vt Carolum interficeret, in eum coniurarunt; qui nacta occasione, dum Carolus, de more in sacello, cum familiaribus oraret, eum fistula ęnea immissa percussit; Verum; etsi maioris globi ictus illi, vsq; ad cutem penetrauit, ibiq; liuoris notam quandã impressit,quæ in eius dorso, ad miraculi testificationem, vsq; ad vitæ finem permansit: nihil tamen nocuit viro sancto, qui immobilis permansit, silentioq; indicto, incœptas preces, admirabili fidei constantia,& animi fortitudine absoluit; nec multò post, nefarius ille sicarius, & coniurationis participes tales pœnas dederunt, vt, non modo ipsi debitas luerint; verum etiam ab ipso Pio V. eorum Ordo funditus sit extinctus, sub quo Mediolani Carolus secundum; sub Greg. XIII. tertium, quartum, & quintum Conc. Prouinciale tertio quoq; anno celebrauit. Hæc officia boni Præsulis sunt. Sed si descendere velimus ad amplificandæ Reip. Christ. quo Carolus ardebat, desiderium, illud testãtur Abbatia Aronæ, quę familię Iuspatronatus erat, Collegio Iesuitarum vnita, Seminarium Heluetiorũ Mediolani, Collegia Borromæorum Ticini, Mediolanensibus, & Papiensibus in morib. & disciplinis educandis erectum. Quid? Legationes, quãta obiuit diligentia, quanta Bergomensem, Brixiensem, & Cremonensem Ditionem animi accuratione Pontificis nomine inuisit? qualem (inquam) in Heluetiorum partibus hæretica peste purgandis,nihilum potentiũ minas timẽdo; immo etiam illos, quandoque anathemate terrendo se præbuit? illam autẽ, qua ad Deum homines propius accedũt, virtutem (charitatem di-

co)

co) quis vnquam tam eloquens reperiatur, qui eam in eo, pro dignitate extollat? qua sanè tantum cõmouebatur, vt; cum anno 1578. Mediolanensis Ciuitas, & Ditio à peste malè exerceretur, domestica suppellectili, & proprijs vestibus; vt pauperibus opitularetur, venditis, ac propria vita neglecta, peste laborantibus, suis ipsius manibus Sacramenta non dubitarit ministrare. Nihil est fermè in Antistite Ecclesiastico vndequaque perfecto conspicuum, quod non vel absolutissimum in Carolo reperiretur; in eo fortassis erga sanctos cultus est desideratus. s. quasi verò multorum etiam Mediolanensium Antistitum, & Martyrum Reliquias summa veneratione prosecutus, cum ignota iacerẽt, solenni pompa in loco celebri nõ collocarit? Hic sacri Senatus ornamentum, ac sydus, quo oriẽte tota Resp. Christiana, tota Europa, totius terrarum orbis illustratus, & quo occidente obtenebratus est; sacrosancta Dei mysteria in monte Verallo piè veneratus, in itinere febri correptus; Mediolanum semiuiuus reuertitur, cumq; se versari in maximo vitæ periculo intellexisset, terrena nauseans, & cœlestia anhelans, forti, ac constanti animo mortem minimè extimens, cum ad extremum illud certamen, ecclesiasticis Sacramentis, orationibusq; se optimè armasset, attentissimè defixus in meditatione mysteriorũ passionis Christi, maximo Ecclesiæ Dei detrimento, Mediolanensiũ luctu, bonorumq; omnium mœrore, die Sabbathi, 3. nonas Nouemb. hora noctis tertia, anno sal. 1584. Pont. XIII. placidè obdormiuit in Domino. Funere peramplo, multis cum lachrymis dæmoniacis clamantibus, summo in rerum omnium squalore, Nicolao Sfondrato Card. postea Greg. XIIII. Pont. rem sacram agente, & Fr. Francisco Panigarola Asten. Episcopo orante, celebrato, corpus in pauimento Chori ad primos gradus Altaris in sepulchro, quod antea sibi, sine vllo fastu constituerat sepelitur, in cuius monumenti lapide eiusmodi verba legũtur.

Carolus tt. S. Praxedis, S. R. E. Presbyter Card. Archiepiscop. Mediolanensis, frequentioribus Cleri, populi, deuotiq; fœminei sexus

xus precibus; se commendatum cupiens, hoc loco sibi monumentũ viuens elegit. HVMILITAS. *Vixit annos 46. mens. 1. diem 1. præfuit Ecclesiæ Mediolanensi annos 24. mens. 8. dies 26. obijt 3. Nonas Nouembris 1584.*

Ad cuius sepulchrum innumerabiles mortales confluentes; vitæ sanctimonia adducti, Dominum in Carolo commendantes, eum dignum, qui Templi Dei basis, clarissimumq; Ecclesiæ lumen diceretur, prædicabãt. Hoc æternum virtutum suarum præconium, quã dignè mereretur; præter superius enarrata, satis apertè declarant, contemptus rerum humanarum, diuinarum desiderium, assiduum cum Deo colloquium, charitas admirãda, frequens Sacramentorũ vsus, mansuetudo singularis, summa humilitas, continua corporis castigatio, admirabilis fides, eximia constantia, zelus verò diuini cultus ardentissimus, & aliæ penè innumerabiles, ad quas; quia ab Augustino Valerio Card. Veronense Episcopo, Caroli familiarissimo; à Carolo à Basilica Petri, Præposito generali Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli; à Carolo Biscapè Sãcti Barnabæ Mediolanen. Præposito, in epist. ad Philippũ Segam, Episc. Placentinum, postea Card. conscripta, quæ inter literas Principum à Paulo Aemilio Marcobruno collectas, legitur, luculenta oratione fuerunt exornatæ, lectorem placet remittere. Superesse videbatur, vt in medium afferremus aliqua eius singularis doctrinę monumẽta, decreta videlicet quinque Synodorum Prouincialium; Orationes in eisdem conuocandis, habitas; Tractatus de ratione conferendi sacramentũ Confessionis; Conciõe de S. Iubilæi anno, ac spiritualib. fructibus capiendis. Pastorũ, concionatorumq; instructiones ad suæ Diœcesis vsum æditas; Libros duos instructionum fabricæ, & supellectilis Ecclesiasticæ; & multa alia, quæ nimis longum foret recensere. Caroli virtutes Illustrissimus Federicus, ex fratre nepos à Sixto V. Card. creatus imitans, patrui memoriam viuis, & præclaris rerum gestarũ monumentis repræsentat, quem si Deus nobis diutissimè (vt precamur) saluum & inco.

incolumem conſeruabit, proculdubio cum patruo comparandum viſuri erimus.

XXXIX.

VNa cum Carolo Borromæo Reſp.Chriſtiana viduata eſt celeberrimo Præſule Io. FRANCISCO Cõmendono Veneto, anno ſalutis 1523. 15. Kal. Aprilis nato, qui iuuenis;vt omniũ Venetorum egregia indoles eſt,liberalib.artibus eruditus; Poëtas,Oratoresq́, auidè ſectatus, romana,vernaculaq́; facũdia clarus euaſit, vt orationes ipſius vtraque lingua cõſcriptę teſtimoniũ perhibẽt. Hic à ſecretis Reip.cũ eſſet, in difficillimis negotijs pertractãdis, & ad optatũ finem perducendis, animum hominum ſibi non paucorum deuinxit, quem Iulius III. admiratus, ita amplexus eſt, vt inter familiares adſcitum, in magnis rerum deliberationibus; præſertim obſignandis libellis apud Hieronymum Cardinalem Dandinum, ad Cæſarem in Belgium anno 1553. legatum adhibuerit, qui; paulo poſt in Angliam miſſus, quando mortuo Odoardo fratre, Maria, Regina declarata eſt, vt eã, ad Regnum in catholicæ fidei vnitatem reuocandum adhortaretur, ac de rerum ſtatu Pont. Max. commoneret, tanta eloquentia, ac prudentia rem totam apud Reginam egit, vt ab eadem ſyngrapham, qua obedientiam Sedi Apoſtolicæ pollicebatur, & abſolutionem pro ſchiſmate petebat, impetrarit, qui Romã cum Reginę oratoribus veniens, cuncta Iulio in ſecreto Conſiſtorio patefecit, ex quo Reginaldus Polus Card. ad expiandum Regnum, Legatus miſſus eſt. Commendonusq́;; ex Protonotario Apoſtolico Epiſcopus Hadrienſis creatus, & à Paulo IV. ad Epiſcopatum Iacynthi, & Cephalleniæ tranſlatus, cum ad eius præſtans ingenium, ſingularem eloquentiam, non vulgaremq́; doctrinã accederet diuturnus rerum publicarum vſus, & quod optimè, & ſtudia externorum Principum, populorũq́; & intimos eorum ſenſus benè cognitos haberet, teneretq́; legatur ab eodem Paulo anno 1556. ad Venetam Rempublicam; & anno

& anno 1561. à Pio quarto ad Ferdinandum electum Imperatorem in Germaniam superiorem, Baioariam, ac inferiorem Saxoniam, Rhenanas oras, Belgas, Lotharingos, ad Concilium, Episcopis illarum regionum indicendum, qui in Italiam veniens; Tridentum ad idem Concilium; mox ad Regem Romanorum electum, Legatorum Cõcilij nomine salutandum, & pro maximis rebus ad id spectantibus missus; post ab eodem Pont. Romam reuocatus anno 1563. in Poloniam; vt legationis Pontificię munus apud Sigismundum Regem sustineret, mittitur; qui Diœcesanæ Synodo à Stanislao Hosio Card. & Episcop. Varmiense; vt decreta Conc. Tridentini executioni mandarentur celebratæ præsens, omnia pia instituta; vt Sedis Apostolicæ Internuncius, promouit. Cum verò à Stanislao Card. Patres Societ. Iesu in Prussiam, tunc primum accersiti essent, pro quibus Brasberga in Ciuitate Collegium instituerat, ac dotarat; Commendonus Regem ob falsos de patribus ab Hæreticis, sparsos rumores, animo dubium, ita perhonorifica Patrum apud eũdem facta prædicatione disposuit, vt; non modò permiserit, vt ijdem in Regnum ingrederentur: verum etiam Vilnense Gymnasium vniuersum Societati assignarit; qui eodem tẽpore, cum proposuisset Nicolao Sandero celeberrimo Theologo, quo familiariter vtebatur, quædam argumẽta; pręsertim de vnius Pastoris Principatu, in causa fuit, vt ipse Sanderus opus præclarum de visibili Ecclesiastica Monarchia inscriptũ, in quo de certa, & perpetua Ecclesiæ Dei; tum successione; tum gubernatione Monarchica ab ipso mũdi initio ad finẽ eleganter, & piè pertractat; conscriberet. A Pio Quarto anno 1565. Pont. VI. 4. idus Maij absens, Presbyter Card. tt. S. Cyriaci in Thermis inter 23. Cardinales, quos tũc creauit, annumeratus; ea insignitus dignitate anno sequenti à Pio Quinto in eodem Legationis munere confirmatus, è Polonia Augustam Vindelicorum, vt Imperialibus à Maximiliano Secundo, electo Romanorum Imperatore Comitijs, pro Concilij Tridentini Decretis, fidei exaltatione, hæresumq; extirpatio-

patione, Sedis Apost. nomine interesset, mittitur. Quibus peractis in Italiam reuersus, iterum in Germaniam Maximilianũ Imperatorem rogatum, ne Augustanam confessionem duobus Archiducatus Austriæ ordinibus, qui eam instantissimè postulabant, concederet, Legatus missus; cum inde Romam reuersus esset, ab eodem Pontifice, ad vias publicas Vrbis, & fluminum, ac Tyberis portus instaurandos cum alijs Cardd. deputatus, & fœdere illo celeberrimo, à Pont. cum Hispanis, ac Venetis inito, ad sumenda arma contra cõmunem Christiani nominis hostem anno 1571. in Germaniam ad eundem Maximilianum; in Poloniã ad Sigismundum Augustũ, quo cum venit Frãciscus Toletus Societ. Iesu Sũmi Pontificis à secretis cõcionib. postea S. R. E. Card. Sedis eiusdẽ Legatus, mittitur, quo Rege mortuo, Cardinali Legato, ne ante electionem noui Regis (sine liberis.n.obierat Sigismundus) è Prouincia discedat, imperatum est; cuius opera, multis sedatis seditionibus, Henricus Caroli Noni Francorum Regis frater, Andegauensium Dux, acerrimus tunc hæreticorum hostis Rex acclamatus est. His Legationibus peractis, Romam reuersus anno 1573. Gregorio XIII. Pontifice, ex S. Cyriaci ad S. Mariæ Angelorum in Thermis; mox anno 1574. vita functo Aloysio Cornelio S. R. E. Camerario, ad S. Marci titulum translatus, eodem anno, Gregorij XIII. Pontificatus Tertio decimo, vir, in cuius dictis, factisq; multa sapientia inerat, Patauij ex vigilia 7. Kal. Ianuarij obijt, eiusq; corpus ibidem apud Capuccinos portatum, marmore, hoc elogio inciso cooperitur.

Ioanni Francisco tituli Sancti Marci Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presb. Card. Cõmendono. Antonius Caucus Patritius Venetus auunculo B. M. M. P. Vixit annos 61. menses 9. dies 8. obijt 7. Kal. Ianuarij 1584.

Obtius

Obitus Gregorij Papæ XIII.

Anno Domini 1585. die Mercurij, 4. idus Aprilis ante Dominicam Palmarũ, hora 18. Romæ in Palatio Apoſtolico, ad mercedem, pro Dominico grege tribus, & decem annis, ſumma pietate, ac religione cuſtodito in omnem æternitatem accipiendam, ætatis annorum 83. Gregorius XIII. in cœlum migrauit, cuius corpus ad oſculũ pedũ in Baſilica Principis Apoſtolorum, vt fit triduo retentum, in nobiliſsimo ſacello, quod ipſemet Deo, Glorioſæ Virg. Matri, & D. Gregorio Nazianzeno dicarat, affabrè elaborato, varijs lapidibus, ac præcioſis columnis exornato, vbi marmoreo ſepulchro à Iacobo Boncompagno Sorano Duce donatum eſt, ſepelitur.

Vacauit Romana Sede dies 14.

Eodẽ anno, 3. idus Aprilis, eius nouẽdalia celebrari cœpta; citius, quã fieri ſolebat, propter officia maioris Hebdomadæ, pecunijs in eiſdẽ erogãdis, pauperibus diſtributis, terminata ſunt. Orauit in ipſius funere P. Stephanus Tuccius Societ. Ieſu.

Vndecimo Kal. Maij eiuſdem anni, die Dominico, ſanctiſſimæ Reſurrectionis Domini noſtri, Miſſa Spiritus ſancti ab Alphonſo Geſualdo Epiſcopo Cardin. Albano cantata, Cardinales numero 39. mox alij 3. ſuperuenientes, conclaue, loco conſueto paratum ingrediuntur, qui die Mercurij, 8. Kal. Maij, hora 14. diuino numine inſpirante, Fr. Felicem Peretum de Monte Alto Picenum, Ordin. Min. Conuen. Presbyt. Cardin. tt. S. Hieronymi Illyricorum, qui Sixtus V. appellatus eſt, in Summum Pontificem eligunt.



SIX-

SIXTVS QVINTVS PONT. MAX.



ANNO CHRISTI MDLXXXV.

SIGNVM SIXTI PAPAE V.

De Ventre matris meæ, tu es Deus protector meus.

NVLLVS vnquam memoria nostra Picenum magis illustrauit, quam Sixtus V. Fr. Felix Peretus antea dictus, Picenus Criptis Oppidi Montis Alti Ripanæ Diœcesis, anno 1521. die Mercurij; pauperibus, sed pijs parenti-

rentibus, Pereto de Monte Alto Iacobi Telamonensis Hetrusci, honesta familia orti filio, & Mariana de Camerino natus. Is.n.annorũ 12. Asculi ordinem fratrum minorum Conuentualiũ ingressus, disciplinis ijs, quibus vera nobilitas comparatur.s.eloquentiæ, philosophiæ, theologiæ operam eam dedit; vt anno 1548. Firmi, magisterij gradu perhonorificè sumpto, mira eruditione præditus, easdem multis in Gymnasijs, Maceratæ, Senis, Neapoli, & in alijs Ciuitatibus, summa cum laude fuerit professus, & publicas cóciones habuerit, nónullas etiã eloquenter cóscriptas in lucem ediderit. Qui anno 1555. Rodulphi Pij Card. Carpen. ord. Protectoris, siue (vt alijs placet) Scipionis Pisarum Card. primò; & iterum Fr. Michaèlis Card. Alexandrini supremi Inquisitoris opera, Venetias missus; vt in hæreticã prauitatẽ inquireret, tãtæ pietatis, & religionis signa præsetulit, vt paulò post, Vgoni Boncompagno tt. S. Sixti Card. à Pio IV. in Hispaniam, pro rebus Archiepiscopi Toletani, Legato, consultor, ac sacer Theologus datus sit. A Pio V. apud quem magnis virtutib. excelluit, cum, ob amicitiam, quæ iam pridem, maxima inter eos intercesserat, tum quia viros religiosos, & sacra doctrina præditos Ecclesiæ Dei præesse oportere dicebat, talis cum sibi Fr. Felix videretur, mortuo ministro Generali ordinis minorum, Apostolicus Vicarius ad futura generalia comitia Romæ celebranda, & Cathedralis Ecclesiæ Agathensis Præsul; tandem anno sui Pont. V. sal. 1570. die Mercurij 16. Kal. Iunij in tertia Cardinalium ordinatione S. R. E. Presbyter Card. tt. S. Hieronymi Illiricorum; & anno sequenti 16. Kal. Ianuarij Firmanus Episcopus declaratus est. Iam verò, vt illius; non minus pium, quam illustrem animum declaremus, eiusdem monumentum extat in ciuitate (tunc castro) Montis Alti Collegium constructum, ac dotatum, & quia ab infantia B. Virginem sibi patronam elegerat, cuius patrocinio tutatus, multa se pericula euitasse confessus est, Ecclesias eidem B. Virgini dicatas, & maximè Basilicam S. Mariæ Maioris de Alma Vrbe,

be, in qua propè chorum Nicolao IV. ſummo Pontifici eiuſdem inſtituti viro, ac Piceno ſepulchrum nobiliſſimum, ex vario lapide; columnis, & ſtatuis ornatum poſuerat antea, cum Præſepis Domini ſacellum, minus decenter extructum, & ornatum videret, anno 1581. Gregorio XIII. ſedente, inſigne ibi ſacellum, ſuæ pietatis erga Deum; præter innumera, quæ Romę extant, non obſcurum monumentum ędificari cęptum, in Pontificatu ad abſolutam perfectionem, atq; ornamentum redegit. Ad ſummum poſtremò; Greg. xiij. mortuo, vnanimi Cardinalium voto, Romæ die Mer. 8. Kal. Maij anno 1585. Pont. faſtigium aſſumptus, eadem die Mercurij Kal. Maij eiuſdem anni coronationis inſignia per manus Ferdinandi Medicei S. Marię in Domnica inter Diaconos Romę exiſtentes primi, ſuſcepit, ſeditq; in Apoſtolica Sede Rodulpho II. Auſtriaco electo Imperatore annos 5. Menſes 4. dies 3.

Cardinales LX. viui quando Sixtus Papa Quintus eſt creatus.

Epiſcopi Cardinales VI.

PAVLVS III.

Alexander Farneſius Epiſcopus Card. Oſtienſis, & Velliternus; ſacriq; Collegij Decanus.

Iacobus Sabellus Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Rufine ſummus Inquiſitor, & Papæ Vicarius.

PIVS IV.

Io. Antonius Sorbellonius Epiſcopus Cardin. Tuſculanus.

* Antonius Perenottus Granuellanus Epiſc. Card. Sabinus.

Ioannes Franciſcus Gambara Epiſcop. Card. Prænestinus.

Alfonſus Geſualdus Epiſcopus Card. Albanus.

Epiſcopi Cardinales XLVI.

PAVLVS III.

* Georgius de Arminiaco, tt. S. Nicolai in Carcere S. R. E. Archipresbyter.

* Carolus Borbonius tt. S. Chryſogoni.
* Nicolaus Caètanus, tt. S. Euſtachij.

PIVS IV.

Marcus Sitticus ab Altaemps, tt. S. Mariæ tranſtiberim.
Innicus Aualos, tt. S. Laurentij in Lucina.
Marcus Antonius Columna, tt. S. Petri ad vincula.
Ptolomæus Gallius, tt. S. Agathæ.
Proſper Sanctacrucius, tt. S. Clementis.
Guido Ferrerius, tt. SS. Viti, & Modeſti.
Gulielmus Sirletus, tt. S. Laurentij in Pane, & Perna.
Gabriel Palæotus, tt. S. Martini in montibus.

PIVS V.

Fr. Michàèl Bonellus, tt. S. Mariæ ſuper Mineruam.

PIVS IV.

Ludouicus Madrucius, tt. S. Onuphrij.

PIVS V.

Nicolaus de Pelleue, tt. S. Praxedis.
Iulius Antonius Sanctorius, tt. S. Bartholomei in Inſula.
Petrus Donatus Cæſius, tt. S. Anaſtaſiæ.
Carolus Dangenes, tt. S. Euphemię.
Fr. Felix Perettus, tt. S. Hieronymi Illyricorum.
Hieronymus Ruſticuccius, tt. S. Suſannæ.
Io. Hieronymus Albanus, tt. S. Ioannis ante portã latinam.

GREGORIVS XIII.

Philippus Boncompagnus, tt. S. Sixti S. R. E. Maior pœnitentiarius.

IVLIVS III.

Hieronymus Simoncellus, tt. SS. Coſmæ, & Damiani.

GREGORIVS XIII.

Alexander Riarius, tt. S. Mariæ in Aracœli.
* Aloyſius de Guiſa, tt. S. . . . .
Petrus Deza, tt. S. Priſcę.
* Gaſpar de Quiroga, tt. S. Balbinæ.
* Albertus ab Auſtria, tt. S. Crucis in Hieruſalem.

PIVS

PIVS V.

Antonius Carafa, tt. SS. Ioannis, & Pauli.

GREGORIVS XIII.

Io. Antonius Fachinettus, tt. SS. Quatuor Coronatorum.
Ioannes Baptiſta Caſtaneus, tt. S. Marcelli.
Alexander Medices, tt. SS. Quirici ,& Iulitæ.
* Rodericus de Caſtro, Baſilicæ SS.duodecim Apoſtolorum.
* Carolus de Vendoſme, tt. S.. . . .
* Franciſcus de Ieyeuſe tt. S.. . . .
* Michaël à Turre, tt. S.. . . .
Iulius Cananius, tt. S. Euſebij.
Nicolaus Sfondratus, tt. S. Cæciliæ.
Antonius Maria Saluiatus, tt. S. Mariæ in Aquiro.
* Auguſtinus Valerius, tt. S. Marci.
* Vincentius Laureus, tt. S.. . . .
Philippus Spinola, tt. S. Sabinæ.
* Georgius Radziuuil, tt. S.. . . .
* Albertus Bolognettus, tt. S.. . . .
Matthæus Contarellus, tt. S.Stephani in Monte Cœlio.
* Simeon Talliauia, tt. S.. . . .
Scipio Lancellottus, tt. S. Simeonis.

Diaconi Cardinales VIII.

PIVS IV.

Aloyſius Eſtẽſis S.Marię in via lata, S.R.E. Archidiaconus.
Ferdinandus Medices S. Mariæ in Domnica.

GREGORIVS XIII.

Philippus Vaſtauillanus S. Angeli, S. R. E. Camerarius.
Andreas ab Auſtria S. Mariæ Nouæ.
Fr. Io. Vincentius Gonzaga S. Mariæ in Coſmedin.
* Carolus à Vendemonte S.. . . .
Franciſcus Sfortia S. Georgij in Velabro.
* Andreas Bathorius S. Hadriani.

Prima creatio vnius Cardinalis.

Anno Domini MDLXXXV. Pontificatus primo, die Lunæ, tertio idus May Romæ.

SIXTVS *Papa Quintus primò creauit vnum Cardinalem, qui fuit.*

1 ALexander Perettus Romanus Papę, ex Camillæ sororis filia pronepos Diac. Card. S. Hieronymi Illyricorum Papæ summator, & S. R. E. Vicecancellarius.

I.



Secun-

Secunda creatio octo Cardinalium.

Anno Domini MDLXXXV. Pontificatus primò, die Mercurij, 15. Kalen. Ianuarij, Romæ.

SIXTVS *Papa Quintus secundò creauit octo Cardinales, qui fuerunt.*

2 HEnricus Caètanus Romanus, vtriusq; Signaturæ Referendarius, Patriarca Alexandrinus, Presbyt. Cardinalis S. Pudentianæ, tt. Pastoris.

3 Georgius Drascouitius Croatus Episc. primò Quinqueecclesiensis, deinde Zagabrien. postea Archiepis. Colocensis Presbyt. Card. tt. S. .... absens.

4 Io. Baptista Castruccius Lucẽsis Archiepis. Theatinus, Presbyter Card. tt. S. Mariæ de Aracœli.

5 Frater Federicus Cornelius Venetus Ord. Militiæ S. Io. baptistæ Hierosolymitani Prior Cypri, Cameræ Aposto- Præsidẽs Clericus, Episcopus Patauinus Presbyt. Card. tt. S. Stephani in Monte Cœlio.

6 Dominicus Pinellus Genuensis Cameræ Apostolicæ Præsidens Clericus, Episcopus Firmanus, Presbyter Cardin. tt. S. Laurentij in Pane, & Perna.

7 Hippolytus Rubeus Parmẽsis Episcopus Papiensis, Presbyter Card. tt. S. Mariæ in Porticu.

8 Decius Azolinus Firmanus Papæ intimus Secretarius, Canonicus S. Petri, postea Episcopus Caruiensis, Presbyter Card. tt. S. Matthæi in Merulana.

9 Hippolytus Aldobrandinus Florentinus Rotæ Auditor, Papæ Datarius, Presbyt. Card. tt. S. Pancratij.

II.




III.



IV.



V.



VI.

VI.



VII.



VIII.



IX.



Tertia creatio octo Cardinalium.

Anno Domini MDLXXXVI. Pontificatus secundò, die Mercurij, 16. Kalen. Ianuarij, Romæ.

SIXTVS *Papa Quintus tertiò creauit octo Cardinales, qui fuerunt.*

10 Hieronymus de Ruuere Pedemontanus, Ciuis, & Archiepisc. Taurinensis, Presbyt. Card. tt.S.Petri ad Vincula.

11 Philippus de Lenoncourt Gallus ex Ducatu Lorenæ, Episcopus olim Cathalaunen. deinde Antisiodorẽsis, & Galliæ primus Cancellarius, Presbyt. Card. tt.S.Onuphrij, absens.

12 Magister Fr. Hieronymus Bernerius Corrigiensis Ordinis Prædicat. Episcopus Asculanus, Presbyt. Card. tt. Sancti Thomæ in Parione.

13 Ant. Maria Gallus Auximanus Picenus, Canonicus S. Petri, postea Episc.Perusinus, Presbyt. Card. tt. S. Agnetis in Agone.

14 Magister Fr. Constantius Sarnanus Picenus Ordinis Minorum Conuent. S. Francisci, Presbyt. Card. tt.S.Vitalis.

15 Hieronymus Matthæius Romanus, Vtr. Sig. Refer. & Cameræ Apost. Generalis Audit. Diac. Card. S. Hadriani.

16 Benedictus Iustinianus ex Dominis Insulæ Chij Genuensis, vtr. Signat. Referend. & Papæ Generalis Thesaurarius, Diac. Card. S. Georgij in Velabro.

17 Ascanius Columna Romanus, Marci Ant. Ducis Talliacotij filius, Diac. Card. SS. Viti, & Modesti, absens.

X.

X.



XI.



XII.



XIII.



XIV.

XIV.



XV.



XVI.



XVII



Quarta

Quarta vnius Cardinalis creatio.

Anno Domini MDLXXXVII. Pontificatus tertiò, die Veneris, 7. idus Augusti, Romæ.

SIXTVS *Papa Quintus quartò vnum creauit Card. qui fuit.*

18 GVilielmus Alanus Anglus ex Comitatu Lancaſtriæ, Diœceſis Eboracenſis, ſacræ Theologiæ regius profeſſor, Canonicus, primum Cameracẽſis, poſtea Remenſis, Presbyt. Card. tt. S. Martini in montibus.

XVIII.



Quinta

Quinta creatio octo Cardinalium.

Anno Domini MDLXXXVII. Pontificatus tertio, die Veneris, 15. Kal. Ianuarij, Romæ.

SIXTVS *Papa Qüintus quintò creauit octo Card. qui fuerunt.*

19 SCipio Gonzaga Mãtuanus Patriarcha Hierosolymitanus Presbyt. Card. tt. S. Mariæ de populo.

20 Antonius Saulius Ciuis, & Archiepiscop. Genuen. vtr. Sig. Referendarius, Presbyt. Card. tt. S. Vitalis.

21 Euangelista Pallotus de Calderola Diœcesis Camerinensis Picenus, Canonicus primum S. Petri, postea Papæ Datarius, & Archiepis. Consentinus, Presbyter Cardinalis tt. S. Matthæi in Merulana.

22 Petrus Gondius Florentinus Episcopus Parisinus, Presbyt. Card. tt. S. Siluestri, absens.

23 Magister Fr. Stephanus Bonuccius Ciuis, & Episcopus Aretinus, Ordinis Seruorum Presbyt. Card. tt. SS. Marcellini, & Petri.

24 Io. de Mendoza Hispanus Decanus Toletanus, & Archidiaconus Talaueræ, Presbyter Card. tt. S. Mariæ Transpontinæ, absens.

25 Fr. Hugo Loubenx de Verdala Vasco Gallus, Militaris Ordinis S. Io. bapt. Hierosolymitani Magnus Magister, Diacon. Cardinalis S. Mariæ in porticu.

26 Federicus Borromæus Mediolanensis, Papæ intimus Cubicularius, Diac. Card. S. Agathæ.

XIX.



XX.



XXI.



XXII.




XXIII.


XXIII.



XXIV.



XXV.



XXVI.



Sexta creatio vnius Cardinalis.

Anno Domini MDLXXXIIX. Pontificatus quarto, die Veneris, idibus Iulij, Romæ.

SIXTVS *Papa Quintus ſextò creauit vnum Card. qui fuit.*

27 IOannes Franciſcus Maurocenus Venetus, Epiſcóp. Brixienſis Sedis Apoſtolicæ apud Henricum III. Regem Chriſtianiſſimum Nuncius, Presbyter Card. tt.SS.Nerei,& Archilæi; & in Gallia de latere Legatus, abſens.

XXVII.



Septi-


Septima creatio duorum Cardinalium.

Anno Domini MDLXXXIIX. Pontif. Quarto, die Mercurij, 19. Kal. Ianuarij, Romæ.

SIXTVS *Papa Quintus septimò creauit duos Cardinales, qui fuerunt.*

28 AVgustinus Cusanus Mediolanensis vtr. Sig. Referen. & Cam. Apost. Gen. Aud. Diac. Card. S. Hadriani.
29 Franc. Maria ex Marchionib. Montis sanctæ Mariæ Pisauren. vtr. Sig. Ref. Diac. Card. S. Mariæ in Domnica.

XXVIII.



XXIX.



Octaua

Octaua creatio quatuor Cardinalium.

Anno Domini MDLXXXIX. Pontificatus quintò, die Mercurij, 13. Kalen. Ianuarij, Romæ.

SIXTVS *Papa Quintus octauò creauit quatuor Card. qui fuerunt.*

30 MArianus Perbenedictus Camers Picenus Episcopus Martorani, Almę Vrbis Gubernator, Presbyter Card. tt. SS. Marcellini, & Petri.

31 Magister Fr. Gregorius Petrochinus de Montelparo Picenus, Ordinis Eremitarum S. Augustini Prior Generalis, Presbyt. Card. tt. S. Augustini, absens.

32 Carolus Lotharingus Gallus, Ducis Lotharingiæ filius, Diac. Card. S. Agathæ, absens.

33 Guido Pepulus Bononiensis, vtriusq; Sig. Refer. Papę Generalis Thesaurarius, Diaconus Cardin. SS. Cosmæ, & Damiani.




XXX.




XXXI.



XXXII.



XXXIII.



Sixtus Papa Quintus ordinationibus octo mensibus Maij, Iulij, Augusti, & Decembris factis tres, & triginta Cardinales creauit, Presbyteros videlicet, tres & viginti, Diaconos autẽ decem.

Vicecancellarij S.R.E. sub Sixto Papa V.

Alexander Farnesius Episcopus Cardinalis Ostiensis, & Veliternus, sacri Collegij Decanus, ab anno primo, vsq; ad partẽ quarti Pontificatus anni.

Alexander Perettus Diaconus Card. S. Laurentij in Damaso, ab anno quarto, vsque ad finem Pontificatus.

S.R.E. Cardinales 24. mortui sub Sixto Papa V. & vnus, qui dignitatem remisit.

1 Nicolaus Caëtanus.
2 Guido Ferrerius Vercellensis.
3 Albertus Bolognettus.
4 Georgius Arminiacus.
5 Alexander Riarius.
6 Guilielmus Sirletus.
7 Mathæus Contarellus.
8 Michaël à Turre.
9 Philippus Boncompag.
10 Nicol. Perenottus Granuelanus.
11 Petrus Donatus Cæsius.
12 Aloysius Estensis.
13 Georgius Drascouitius.
14 Carolus Dangenes Rambouilettus.
15 Io. Franc. Gambara.
16 Philippus Vastauillanus.
17 Decius Azolinus.
18 Carolus Vandemontius.
19 Iacobus Sabellus.
20 Ferdinandi Medicei Magni Hetrurię Ducis renũciatio.
21 Aloysius Guisius.
22 Fr. Stephanus Bonuccius.
23 Alexander Farnesius.
24 Prosper Sanctacrucius.
25 Carolus Borbonius.

Sixti V. Summi Pont. obitus. Comitia.

I.

QVæ NICOLAVS è familia Caëtana inter Romanos, ac Neapolitanos, & ob celebres viros, qui ex ea prodierunt; & ob Marconis, ac Fundi Comitatus Trariectæ, & Sermonetæ Ducatus illustrissima; ex qua Bonifacius Octauus Summus Pontifex, Fr. Iacobus Ordin. Minorum; Iacobus alter, & Franciscus eiusdem Bonifacij Octaui, Antonius Bonifacij Noni, & tandem Henricus ipsius Nicolai ex fratre nepos Sixti Quinti, Cardinales prodierunt; anno sal. 1526. 8. Kal. Maij natus, quæ (inquã) Nicolaus (auctore, ac Duce Deo) gessit in terris, ea profectò digna sunt, in quibus commẽdãdis immortalitati scriptorum omnium certet industria. Is videlicet; summa grauitate, & sanctissimis moribus insignis; tam dignus visus est, qui maximis dignitatibus cohonestaretur, vt in ipsa duodecim annorum ætate à Paulo Tertio affine suo die Merc. 3. idus Martij, anno 1538. Pont. IV. absens, ex Proto notario Apostolico, Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano assumptus; & à Iulio Tertio anno 1553. ad bellum tollendũ, quo tota Hetruria ardebat, Senas missus sit, sub quo Pontifice; ex S. Nicolai in carcere ad S. Eustachij Diaconatum translatus, sub Paulo Quarto Ecclesiam Corozopitensem in Ducatu Britanno; & sub Pio Quarto factus Presbyter, Bisignanensem Ecclesiam; mox Capuanam Metropolitanam inter Cumanos, celebri decoratus est, administratione. Aedificato postea; summo Pontifice assentiente, maxima impensa, non procul à Cisterna Latij ipsius familiæ Caëtanæ oppido, Monasterio in honorẽ Sãcti Antonij Abbatis, quod Minores Obseruantes incolunt, Regni Scotiæ protectionem exercuit. Qui ad meliorem vitam Kal. Maij, anno 1581. eadem die, qua Sixtus Quintus Pontificiæ Coronationis insignia suscipit, euocatur. Eius corpus in S. Mariæ de populo depositum; Lauretum postea translatum; in nobilissimo marmoreo monumento ænea ipsius effigie, & religionis, ac charitatis statuis, quibus virtu-

virtutibus pręcipuè claruit, ornato, quod sibi viuens super terram, maxima impensa erigi curauerat, cũ elogio isto conditur.

D. O. M.

Nicolaus Caëtanus Cardin. Sermoneta gentilis Bonifacij Papæ Octaui, cum; & sub idem tempus, quo ille Pontificatum inijt, sanctam hanc Domum hic tandem diuinitus consedisse, & multa se à D. O. M. beneficia B. Virg. Deiparæ precibus obtinuisse, meminisset; sperans eiusdem opem morienti non defuturam, monumentũ hoc marmoreum viuens, & incolumis sibi faciendum curauit, atq; in eo; vbi mortalitatem exuisset, corpus suum recondi voluit; annum agens 54. anno Domini 1580. Obijt annos natus 59. mens. 2. dies 7. 1585. Kal. Maij.

In pauimento autem in marmore, quo corpus contegitur.

Nicolaus Caëtanus tt. S. Eustachij S. R. E. Presbyter Cardinalis Sermoneta.

II.

TAnta floruit virtutum nobilitate GVIDO ex nobilissima Ferreria Vercellensi Pedemontana Romagnani Marchionatus titulo insignita familia; parentibus videlicet Sebastiano Equite Casalualonis, Ponzanæ, & Vallatæ Domino, & Magdalena Borromæa, anno à Dominica Natiuitate 1533. natus; vt iure meritò ambigatur, vtrum plus illi gentilitia nobilitas, an ille gentilitiæ nobilitati attulerit ornamẽti. Is.n.sub disciplina Petri Francisci Card. patrui educatus, talẽ animi candorem, morum honestatem, multiplicemq́, literarũ cognitionem adeptus est, vt; ex Abbate (eodem Card. cedẽte) Pio Quarto Pontifice permittente, Episcopus Vercellensis declaratus, ad Tridentinã Synodum; mox Venetias Sed. Apostolicę Legatus missus, ijs muneribus sibi demandatis, summa prudẽtia obitis, à Pio Quarto dũ quartò 23. Cardinales creat,

anno 1565. Pont. VI. 4. idus Martij, abſens, S. R. E. Presby. Card. tt. S.Euphemię, patruo Cardinale ſuperſtite, renunciatur; & ad Maximiliani Auſtriaci electi Imperatoris ſorores in Italiam comitandas, quo in munere obeundo Pontif. nepotem Carolum Card. Borromæum habuit collegam, Legatus deputatur; qui ſub Pio Quinto; relicto titulo Sanctę Eufemiæ, & SS. Viti, & Modeſti in Macello martyrum aſſumpto, Gregorio XIII. concedente, Eccleſiam Vercellenſem, cuius Palatium reſtaurarat, Chorumq; à fundamentis maxima impenſa erexerat, dimiſit; Abbatiam pro ea, Nonantulanam accepit, quam poſtèa Philippo Vaſtauillano eiuſdem Gregorij, ex ſorore nepoti Cardinali ceſſit, vbi ſub capite S. Silueſtri primi Pontificis inuenta plumbea lamina literis exarata, quibus ſacrum eiuſdem ſanctiſſimi Pontificis corpus, ibidem ab Hadriano primo Pontifice, Anſelmo primo Nonãtulano Abbati cõceſſum, quieſcere patebat, & verba in eadem lamina inuenta exarata ſunt, vt ſacrum illud pignus honorificentiſſimè in vrna columnis erecta ſuper Aram maiorem ipſius Eccleſiæ recõditum eſt. Ab eodem porrò Gregorio Pontifice anno 1581. totius Aemiliæ, & Exarcatus Rauennæ, Sedis Apoſt. de latere Legatus declaratus, Prolegatum habuit præ cæteris; & literis, & rerũ vſu, & generis nobilitate illuſtrem Annibalẽ Graſſum Bononienſem Epiſcopum Fauentinum, cui Guidoni, vt egregiè eo munere; non auro, ſed iuſtitia, & pietate functum eſſe poſteritati conſtaret, eiuſdem ditionis populi erectis lapidibus, qui extant, ſempiterna monumenta poſuere. Hic functo Federico fratre, Philippi II. Hiſpaniarum Regis Catholici gratia, Romagnani Marchionatũ, donec vixit obtinuit, & quod Antiſtitis Eccleſiaſtici maximè proprium eſt, Monacos S.Benedicti Ord. Caſsinen. inter Allobroges, ſine regulis, relicta Ord. obſeruantia palantes, de Summi Pont. venia in vnũ congregans, obſeruantibus vniuit, Academiamq;; quo literis inſtruerentur, eo animo inſtituit, vt hac reformatione monaſteria in Regno Galliæ exiſtentia, in vnum coaleſcentia, fidem

Catho-

Catholicam conseruarēt, & hæreticis ingressum in Italiā prohiberent. Obijt Romæ 17. Kalē. Iunij, anno 1585. Pontific. Primo, ætatis 52. hora 18. sepeliturq; ibi ad S. Mariam maiorem, vbi ad leuam propè monumentum, quod patruo Card. beneficijs non immemor, prope sacrarium constituerat, extat lapis vna cum ipsius effigie, elogio insculptus, quem sibi viuens, posuit.

D. O. M.

Guido Ferrerius tt. SS. Viti, & Modesti, S. R. E. Presby. Card. vt viuens, viuenti patruo Petro Francisco Cardinali, & dignitate, & voluntate coniunctissimus fuit, ita moriens, corpore ab illo noluit abesse, cum quo etiam, summa Dei benignitate fretus, cœlesti, ac sempiterna felicitate se fruiturum sperat. Obijt die 16. Maij, anno 1585.

III.

SPlendidissimum quoq; non modo Ciuitatis nostrę: sed totius Italiæ lumen fuit ALBERTVS Bolognettus, Francisci Senatoris, & nobilis Bononien. Lucretiæq; Elephantutię filius, anno Redemptionis humanæ 1548. 5. Kal. Augusti natus; qui post elegantiores literas, quibus summoperè excelluit, in iuris pontificij, ac cæsarei cognitionem incumbens, inter cæteros, Gabrielem Palæotum, postea Card. affinem suū in Bononiensi Academia leges interpretantem audiens, anno 1562. 10. Kal. Iunij doctoratus lauream consecutus, in eodē Gymnasio per trienniū; Salerni postea nouem annis iuris prudētiam, maximo cum scholarium concursu, ac summa cum sui nominis gloria est interpretatus; quem postea Romam Gregorius tertius decimus, propter incomparabilem ipsius doctrinæ famam, ac morum elegantiam accersitum, vtr. Signaturæ Referendarium factum, cum ipsius virtus, & prudentia summā admirationem vniuersæ curiæ excitasset, biennio exacto, an-

no 1576. Sedis Apoſtolicæ Internuncium, Florentiam apud Franciſcum Magnum Hetruriæ Ducem legat, vbi Philippumcoſimum Franciſci filium anno ſequenti, eo deprecante, ſacro initiauit baptiſmate, qui à Summi Pontificis reſcripto nunquã diſcedens; ea prudentia, quæ ſui muneris erant adimpleuit, vt apud eoſdem Gregorium, & Franciſcum in maxima virtutis, & integritatis opinione, ſummoq; in prætio habitus, ab vno ſummoperè diligeretur, laudareturq;; ab altero ampliore Legationis titulo inſignitus, Venetias, paulò poſt an. 1578. 11. Kal. Septem. mitteretur; & ſequenti Epiſcopus Maſſæ Populoniæ eligeretur. Is Venetijs anno 1581. reuocatus, ſuccedente ſibi Laurentio Cãpegio nob. Bonon. Ceruienſi poſtea Epiſcopo, in Hiſpaniam Nuncius deſignatus, cum maledicorũ obtrectationibus impedientibus non iuiſſet, in Poloniam ad Stephanum Bathorium Regem, de grauibus, arduiſq; Reip. Chriſtianæ negotijs ſecum tractaturus, miſſus; dum benè gerendæ Legationi intendit, ab eodẽ Pontifice anno 1583. Pont. XII. pridie idus Decemb. in nouemdecim S.R.E. Cardd. tunc creatis, ſacram purpuram accepit. Qui; ſucceſſore deſignato Hieronymo de Bobus Bononien. Camerini Epiſcopo, dum Italiã verſus viæ ſe committit, cum Pont. arcana Pontificatus negotia tractaturus, nũcio ei allato de Gregorij tertij decimi morte, nulla habita vitæ ratione iter properans, ad futura ſucceſſoris Comitia, febri correptus Viẽnæ; in Germaniæ oppido Vacorio (vulgò Vuilach nuncupato) anno 1585. 10. Kal. Iunij, Pont. anno I. ex hac mortali peregrinatione, ad immortalem patriam migrauit. cuius corpus ibi depoſitum, Bononiam transfertur in Temploq; Sanctæ Mariæ Seruorum in familiæ ſacello ſepultum eſt, vbi ad Aræ dexteram marmorea ipſius effigies, & æternæ mem. monumentũ ab Alexandro fratre Senatore poſitum, extat.

D. O. M.

Memoria Alberti Bolognetti, Franciſci Senatoris filij, literis, pruden-

prudentia, atq; omnibus Christianis virtutibus clarißimi, qui legum ſcientiam Bononiæ, & Salerni, ſumma com laude profeſſus, à Gregorio XIII. Pōt. Max. Romam euocatus; primum inter V. S. Referendarios adſcribitur; mox Florentiam; tum Venetias; vbi Maſſæ Populoniæ Epiſcopus creatur; poſtremo ad Stephanum primum Poloniæ Regem Legatus, in ampliſsimum Cardinalium ordinem cooptatur. Inde Romam ad nouum eligendum Pont. contendens, febri in itinere correptus in Germaniæ Oppido Vacorio Sanctiſsimè in Domino quieuit 1585. Vix: annos 46. Menſ. 9. dies 21. Alexander Bolognetus Senator fratris opt. meriti oſsibus in auita ſepulchra translatis monumentum hoc. P. C.

Extant ſingularia legalis ſapientiæ ſigna Alberti Cardinalis Diſputationes de lege, iure, & equitate, typis datæ inter vniuerſi Iuris Tractatus; & alia.

IV.

SEquitur poſt celeberrimum Italum, nobiliſſimum GEORGIVM ex Comitibus de Arminiaco Vaſcogallum Galliæ Regibus, agnatione propinquum anno 1500. natum, celebrare, qui in eorundem Regum Aula diu verſatus, educatus ſub diſciplina Franciſci Ambaſiani Card. affinis ſui, cui poſtea in S. Mariæ Lauretanæ templo iuxta Card. Auguſtani ſacellum Heraclium lapidem literis inciſum, grati animi erexit, quod pietatis officium in amicos, & familiares ſuos vita functos exercuiſſe multa loca Romæ, & alibi teſtantur, ea probitatis, & Reip. rectè adminiſtrandæ ſigna dedit, vt à Franciſco I. Gallorum Rege ſerijs negotijs prępoſitus, maioribus in dies honoribus augeri meruerit, Epiſcopus. n. primo Ruthenenſis; mox anno 1544. Pōt. XI. die Sabbathi 14. Kalē. Ianuarij in ipſius Regis gratiam à Paulo III. S. R. E. Card. tt. SS. Ioannis, & Pauli declaratus, anno 1548. Romana curia adita, in conſilio dando apud omnes optimi Card. & Principis nomen conſecutus eſt, qui è titulo Pamachij, à Paulo IV. ad titulum S.

Lau-

Laurentij in Lucina; mox à Pio IV. ad S. Nicolai in carcere translatus; factusq; S. R. E. Cardinalium Presbyterorum primus, mortuo Henrico Rege in Galliam concessit, quando Frãciscus II. Henrici filius, à quo Archiepiscopatũ Tolosanum, mortuo Roberto Card. de Lenoncourt consequi meruit, successor Regni declaratus est, qui; vt erat fidei, & religionis catholicæ acerrimus defensor; non solum Ludouicum Borbonium Principem Condensem consanguineum suum de catholica Religione male sentientem, cum alijs deprauatæ hæresis Principibus erroribus ablatis, sæpè literis ac præsentia; vt ad fidem Orthodoxam Regiamq; submissionem redirent, adhortatus est; verum etiam, Colinio Principe, cœterisq; hæreticis sæpius inuadere conantibus Auinionensem ditionem, cui ipse pro Carolo Card. Borbonio affine suo Ciuitatis, ditionisq; Legato; præerat, eisdem armis se opponens, & statum Apostolicę Sedi conseruauit, & magno militum à Pio V. missorum subsidio fretus, nonnulla ipsorum Castra, armorum vi acquisita Ecclesiæ Romanæ sub legatione Auinionensi constituta addixit. Ecclesia postea Tolosana relicta, Auinionensi administranda suscepta, dum eiusdem Cleri reformationi, locorum restaurationi, morum castigationi intendit, ac in summa, optimi Præsulis muneribus fungitur, ætatis annorum 85. sal. 1585. Pont. I. 5. Nonas Iunij, die Iouis, ad tantorum laborum pręmiũ à cœlesti illo rerum omniũ moderatore Deo accipiendũ, è vinculis huius humanitatis liber, proficiscitur. Eius verò corpus in maiori Ecclesia, quæ S. Mariæ de donis dicitur in sacello Archiepiscoporum in lateritio ad tempus tumulo sine pompa, & absq; epitaphio contumulatur.

V.

Ciuitatem nostram celebri admodum nominis gloria illustrauit nobilissimus ille ALEXANDER, ex Illustrissima familia Riaria, ex qua Fr. Petrus, & Raphàèl S. R. E. Cardinales à Sixto IV. creati extitere, Iulij, & Elisabethę Pe-

pulæ

pulæ filius anno 1543. 3. Nonas Decembris natus, qui data iuris prudentiæ opera; Patauij primo; deinde Bononiæ doctrinalibus doctoratus insulis decoratus, Rom. Curiā adiens Refer. Apost. à Pio IV. factus, Flauio Vrsino Apostolicæ Cameræ Auditore Cardin. creato, anno 1565. 3. Nonas Aprilis, ipsius Cameræ Auditoratus officio, ac, quinquennio post à Pio V. 6. Nonas Decembris Alexandriæ Aegypti Patriarchatus dignitate cohonestatur, & sequenti, cum inter Pont. Philippum II. Hispaniarum Regem, ac Venetam Remp. fœderis contra Turcas initi, pactionibus testis adfuisset, Card. Alexandrinum Summi Pont. pronepotem eodem anno in Hispaniam, Lusitaniam, ac Galliam Legatum, pro rebus eiusdem fœderis missum, comitatur; & in Italiam reuersus vna cum Carolo tt. S. Agnetis in Agone Cardinale de Grassis, alijsq; Prælatis, qui officia Romanæ Curiæ reformarēt, & reformationes editas executioni mandarēt, ab eodem Pont. deputatur à Gregorio vero XIII. anno 1578. Pont. VI. Nono Kal. Martij in quinta Cardinalium electione in Presbyterum Cardinalem tt. S. Mariæ in Aracœli promouetur, qui Legatione in Hispaniam cum Philippo II. Rege de rebus ad Lusitanię Regnū, quo cum etiam legabatur tractaturus, peracta; in qua; præter cęteros insignes viros secum habuit Octauium Parrauicinum, postea S. R. E. Cardinalem, Romam reuersus, mortuo Alexandro Card. Sfortia anno 1581. Signaturæ iustitiæ Pręfectus eodem anno 8. Kal. Nouemb. Perusiæ, Vmbriæq. de latere Legatus constituitur. Romæ die Iouis 15. Kal. Augusti anno 1585. Sixti V. Pontificatus I. ætatis 42. Alexander moritur, vir integer, & in sententia dicenda libertatis, ac Senatorij officij memor, cuius corpus in Basilica SS. duodecim Apostolorum humi, sub lapide marmoreo literis, de quibus infra exarato propè gradus maioris Aræ depositum, in Patriam, non multo post translatum, in S. Iacobi apud Eremitanos D. Augustini in gentilitio sepulchro ante Aram maximam, quam idem Card. Herculesq; SS. Mauritij, & Lazari Hierosolymitani,

tani, & Raphaël S. Iacobi Hiſpanorum Equites fratres, ſummo pietatis ſtudio conſtruxerant, prouentibus annuis pro re diuina peragenda conſtitutis, conditum eſt.

D. O. M.

Alexandro Riario Iulij filio Bonon. V. S. Referendario Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, Patriarchæ Alexandrino tt. S. Mariæ in Aracæli S. R. E. Presbytero Card. Gregorij Papæ XIII. in Luſitaniam de latere, item Peruſiæ, ac Vmbriæ Legato, Signaturæ Iuſtitiæ Præfecto. Vix: annos 41. Menſes 7. dies 4. Ob. 15. Kal. Auguſti 1585. Raphaël Fratri; Galeatius, & Iulius patruo fecerunt.

VI.

FLoruit eadem tempeſtate GVILIELMVS Sirletus Thomæ filius Stilenſis Calaber honeſto loco anno ſalutis humanæ 1514. natus. Qui triplicis linguæ latinæ, grecæ, hebraicæq; cognitione in patria, Neapoliq; comparata, & in ſacra Theologia apprime verſatus, atq; in eadem minoribus officijs perhonorificè functus, cum Romam; vnico tantum Bibliæ volumine, vt fama eſt, ſecum allato, veniſſet, inter Marcelli Ceruini tt. S. Crucis in Hieruſalem Cardinalis familiares adſcriptus, ipſi; quoad vixit inſeruiens, & breui, poſt Pont. aſſumptionem, eodem vita functo, Paulo IV. Carafę tam gratus extitit, vt parum abfuerit, quin ab ipſo Cardinalis crearetur, quo Pont. mandante, eo Alfonſus Antoniusq; Carafæ; alter ipſius Pôt. pronepos; alter à poculis, vterq; gẽtilitius poſtea Cardinales in SS. græcorum Patrum libris interpretandis potiſſimum vſi ſunt; à Pio IV. Protonotarius Apoſtolicus de numero participantium factus, ſacro Cardinalium Collegio; & præſertim Carolo Borromæo nepote inſtantibus, rogantibusq;, quippe qui ipſius ſingularem doctrinam, & pietatem nouerant, ab eodem inter 23. Cardinales, Diaconus Car-

dina-

dinalis; post Presbyter tt.S. Laurentij in Pane, & Perna, anno 1565. 4. Idus Martij Romæ inuitus eligitur, quem Pontifex, cum sacra purpura exornaret, futura præsagiens, hunc inquit in Senatum allegimus, vt quemadmodum Paulo IV. morienti officiose adfuit, ita etiam suis precibus nostram, ex hac vita migrationem apud Deum adiuuet, quod præsagium, euentu ipso comprobatum fuisse post 10. Menses in Pij IV. vita Onuphrius affirmat; qui postea, cum Episcopatum S. Marci; mox Squillacensem inter Calabres, digno alijs Episcopis de se relicto exemplo moderatus fuisset, Breuiariumq; Missale, & Cathechismum ad Parochos, ex decreto sacri Concilij Tridentini; summis Pontificibus Pio IV. & V. mandantibus. cum alijs doctissimis viris reformasset, eũdem anno 1568. à Pio V. Car. Sarraceno è viuis sublato, Archiconfraternitatis Neophytorum, & Cathecumenorum de alma Vrbe protectorem, & iudicem constitutum, anno 1572. Gregorius XIII. vna cum alijs Cardinalibus; ad recognoscendum, & declarandum indicem librorum, prohibitorum, & eosdem libros expurgandos elegit, & anno Pont. V. Græcorum Collegij in Vrbe, Patronum; deinde Bibliothecarium Apostolicum designauit, qui; maxima Reip. Christianę iactura, propter admirandam historię Ecclesiasticæ cognitionem, cum perpetuo communicandi studio coniunctam patientiam summam in miserorum querelis audiendis, studium in subueniendo oppressis assiduum, rerum humanarum, innanisq; gloriæ contemptum, nec non; vt prudenter adnotat doctrina, ac nobilitate illustrissimus eiusdem ordinis pater de eodemmet Guilielmo verba faciens, in consanguineis pauperibus minimè ditandis, dignam Cardinalis moderationem aliasq; virtutes quibus dotabatur Romę die Martis 8. Idus Octobris, anno reparationis humanæ 1585. Pontificatus primo moritur, sepeliturq; in titulo suo, quem paulò ante, vetustate collabentem restaurarat, ad cuius portæ dexteram erecta moles sepulchralis, epitaphium, quod infra subscribemus, continet. Tanta fuit præditus doctrina Sirletus, vt

tus, vt

tus, vt præter cœteros eruditiſsimum annotationum in pſalterium, cum biblico apparatu opus conſcripſerit, præterquam, quod inſignem bibliothecam decem millium aureorum valorem excedentem, quam nunc Aſcanius Card. Columna poſsidet, reliquit.

Guilielmo Sirleto Card. Stili in Calabria nato huiuſce Eccleſiæ titulari; S. Sedis Apoſtolicæ Bibliothecario; hebraicæ, grecæ latinæq́ linguæ peritiſsimo, humanarum, diuinarumq́ diſciplinarum ſcientia claro, eruditorum, & pauperum Patrono, ac parenti beneficentiſsimo, ob probitatem eius, pietatemq́ à Pio IV. P. M. ſacro inſtante Collegio, Card. creato. Vixit annos 71. obijt anno 1585.

VII.

NE ſibi illam turpiſsimam iacturę notam, quam per ignorantiam, & negligentiam fieri ſcribit Seneca inureret MATTHEVS Contarellus Gallocœnomanus, quamuis obſcuris editus eſſet parentibus, in Italiam venit, vbi Bononię famulatus eſt Andreæ de Bobus legum Doctori; poſtea in romana Curia vtriuſq; S. Referendario, Abbreuiatoriq; de parco maiori, qui Hugonem Boncompagnum conſanguineum ſuum Romam accerſiuit, cumq; ad Concilium Tridentinum à Paulo III. is mitteretur, apud eundē Hugonem; quia ipſe pręcabatur, Matthęum reliquit, qui; vt pleriq; Gallorum, viuido præditus ingenio, in exarandis ſcripturis adeo ſe exhibuit ſolertem, atq; impigrum, vt à minoribus ad maiora aſcendens, ab eodem; ſummo Pont. iubente, datus ſit Hippolyto Cardinali Ferrarienſi anno 1560. in Gallias à Pio IV. religionis ergo Legato, vt apud hunc ſupplices libellos obſignaret. Amplius in Hiſpaniam Luſitaniam; & Galliam iterum cum Cardinale Alexandrino Pij V. pronepote venit, quo poſtea vita functo, Hugo in Pontificatum, Gregorij XIII. nomine ſuffectus, cum Matthæi ſolertiæ, ac diligentiæ ipſemet certiſsimum eſſet teſtimonium, eundem vtriuſq; Signaturę Referen. primò; mox ſuppli-

ſupplicibus libellis ſubnotandis Pręfectum (Dattarium vocãt) quo in munere; mirificè expectationi Pontificis reſpondit, tandem anno 1583. Pont. XII. pridie Idus Decembris, ſeptimo Cardinalib. lectis Presbyterum Cardinalem tt. S. Stephani in monte Cœlio creauit. Qui poſtremo mortuo M. Antonio Maffæo Pij V. Cardinale Signaturæ Breuium Præfectura exornatus, Romę die Mercurij 4. Kal. Decemb. anno 1585. Pót. I. ætatis *66.* ſupremũ vitæ diẽ egit, atq; eius corpus in D. Ludouici nationis Gallicæ in ſacello ab ipſo antea erecto, ornato, dotatoq; ſepultura affectum eſt.

VIII.

SI eam eſſe amoris, vel amicitiæ vim latinus Orator ſcribit, vt vel ad eos, quos nunquam vidimus, amandos nos impellat; quanto magis de virtutis facultate hoc dici poterit, quæ tanta fuit in MICHAELE à Turre, ex Illuſtriſsimo, ac rerum domi, foriſq; geſtarum gloria clariſsimo ſtemmate Comitum Vallis Aſsinæ genus ducente Vtinenſi Foroiulienſi, quorum aui Mediolanũ inter Inſubres, olim dominati ſunt; Comitis Aloyſij, & Thadeæ Straſoldæ filio, anno 1511. nato, vt ipſius propria ſedes videretur. In hoc igitur, præ cæteris ſumma eloquentia, mirifica rerum ciuilium cognitio, atq; incredibilis, cum vitæ integritate prudentia excelluere, quibus medijs Romã veniens; talem Pauli Tertij, Iulij Tertij, & Pauli Quarti Pontificum, quibus inſeruit, beneuolentiam ſibi cõciliauit, vt ex vtr. Sig. Refer. Cenetenſis Epiſcopus in ſpiritualibus, ac temporalibus Princeps electus; eius Ditionis ſeditiones, ac ciuile dominiũ tumultuans, ob præterita bella ad pacatam reduxerit tranquillitatem. Sedis paulò poſt Apoſtolicæ Internuncius à Paulo Tertio in Galliam ad Henricum II. Regem miſſus; & Pontifici, & Regi ſummoperè ſatisfecit; ſub Iulio Tertio eodem munere fungẽs Michaël Fr. Franciſco Romæo Ord. Prædicatorum Generali Magiſtro, facultatem à Rege inuiſendi Regni impetrauit, quam viſitationem nonnulli,

qui

qui eam timebant, dicentes, quod nimia familia, quam ſecum ducebat, Cœnobia paupertate laborantia grauaret, apud Regem impedire conabantur. In Italiam inde reuertenti, Pontificiæ domus; Magiſtro (quem vocant) renunciato, Præfectura Prouinciæ Vmbriæ demandatur. Miſſas facio ſententias in Concilio Tridentino, cui interfuit, pronunciatas, legationem taceo Galliæ, ſub Pio V. vbi apud Reges Carolum IX. & Catherinam Mediceam de Catholica fide augẽda, religioſorum moribus reformandis, radicibus hæreticis extirpandis pluribus egit, omniaq; non difficili negotio impetrauit. Quibus feliciſsimè peractis ad Eccleſiam ſuam moderandam ſe conferens, in moribus ſacrorum virorum emendandis, diſciplinaq; lapſa ipſius reſtituenda, ita verſatus eſt, vt; non modo ſe commiſſo muneri parem: ſed longe ſuperiore dignum oſtenderit, quarum virtutum fama, cum in Gregorij XIII. ſummi Pontificis notitiam veniſſet, illas admiratus, eundem in 7. Cardinalium promotione Romæ anno natiuitatis Dominicæ 1583. Pont. XII. pridie Idus Decembris habita, S. R. E. Presbyterum Cardinalem pronunciauit, qua dignitate frui diu non potuit, nam ſub Sixto V. nondum optato titulo anno Pont. I. ſal. 1586. ætatis 75. die Mercurij 11. Kal. Martij Cenetæ ab hac, ad meliorem vitam migrauit, ſepeliturq; in maiori Eccleſia. Iſtius maxima virtus Ceneteſes adeo deuixit, vt eo vita functo per Oratorem Antonium Picciolum Iuriſconſultum Sixtum V. ſummum Pont. deprecati ſint, vt Eccleſia Ciuitasq; Cenetenſis Ioanni, Michaëlis ex fratre Nepoti nunc apud Eluetios pro Sancta Sede Apoſtolica Nuncio, ſpectatæ virtutis viro adminiſtranda concederetur, quod & ſi nequicquam impetrarunt declarato Epiſcopo Antonio Mocenigo, Pontifex tamen Cardinalis benemeriti non immemor, Ioanni non ſolum Canonicatum in maiori Eccleſia Patauina, ſed etiam non multò poſt Veienſem Epiſcopatum adminiſtrandum cõceſsit.

IX.

CLari quoq; nominis non solum inter Bononienses: verù etiam inter Italos fuit PHILIPPVS Boncompagnus nobilis Bononiensis Boncompagni Senatoris, Gregorij Papæ XiII. fratris,& Cæciliæ Bargelinæ filius, an. 1548. 7. idus Sept. natus, quem anno 1571. 7. Kal. Martij mirifico applausu cum gnauiter multis annis in Pontificij,ac Cæsarei Iuris sapientiam in patria incubuisset, Doctoratus lauream consecutum anno 1572. Greg. XIII. patruus; meritis, ac virtutibus suis Protonotarium Apostolicũ; & 4. Nonas Iunij die Lunæ, Pontificatus I. in prima Cardinalium electione Presbyterum tt. S. Sixti proprio pileò, ac titulo insignitum, ad amplissimũ ordinem extulit. Hic biennio post, tertiò nonas Iunij in secreto Consistorio,Sedis Apostolicę Legatus de latere declaratus, Venetias mittitur, vt Pontificio nomine Henricũ III. qui è Polonią,ipso Regno relicto, in Galliam ad paternum Caroli Noni Regis fratris morte vacantem,regendum veniebat,salutet. Qui post Scipionem Rebibam Cardinalem Pisarũ anno 1577. Tifernum moderandum,& 1579. mortuo Stanislao Hosio, maioris Pœnitentiarij munus exercendum suscepit, & ad S. Mariæ maioris de Vrbe Archipresbyteratus honorẽ assumptus anno 1581. vita functo Alexandro Card. Sfortia, anno 1584. 6. idus Maij qui vna cum Io. Antonio tt. SS. Quatuor Coronatorum Fachinetto, qui postea Innocentius IX electus est, Ioanne bapt. tt. S Marcelli, qui summus itidem Pontifex, Vrbanus VII. dictus est, & Philippo S. Angeli in Piscina Vastauillano Cardd. exules atque extorres remitteret per sex menses deputatus protectiones Monacorum Carthusiẽsiũ, Fratrum Carmelitarum Collegij nationis Anglicæ, atq; alia, maxima cum laude exercuit, vir peracuti ingenij, tenacissimę, comitante incredibili prudentia, memoriæ, & præ cæteris in salibus edendis is maximè facetus, m[illegible]erum suauitate omnibus carus, dignus tanti Pontificis [illegible]os, & qui religionis fa

ma in primis claruit, nam Abbatias S. Stephani Bononiensem, Clarauallensem, Bredensem Mediolanensis Diœcesis, Patani Salernitanæ; Bodimaci Sulmonensis; Prioratusq; Columbariæ Mutinẽ. Diœcesis; atq; alia sacerdotia, quæ ipse habebat, summa animi liberalitate, sacris vasibus, vestibus, donis, atq; his similibus ad vsum sacrificij, ornatumq, spectantibus donauit, quæ adhuc ijs in locis, ad testandam huiusce Card. pietatẽ extant, maiora in dies facturus, ni immatura morte anno ætatis 38. 7. idus Iunij, redemptionis humanæ 1586. Pontif. II. Romæ præreptus occubuisset, cuius corpus sepultum est ibi in S. Mariæ maioris, vbi in pauimento ante B. Virg. Aram in tabula lapidum varietate insculpta, tale epitaphium videre est.

Philippo Boncompagno Bononiensi S. R. E. Card. S. Sixti, Gregorij XIII. Pontificis Max. ex fratre nepoti maiori Pœnitentiario, atq; huius Basilicæ Archipresbyt. Boncompagnus Pater, & Christophorus Archiepisc. Rauennas, Hieronymusq; fratres faciendũ curarunt. Vixit annos 38. obijt 7. idus Iunij 1586.

X.

INter omnia virtutum opera, mihi sanè præcipuum id esse videtur, quod Maro cecinit,

Sed famam extendere factis
Hoc virtutis opus.

Quod profectò; non modo exercuit Nicolaus ille Perenottus Granuellanus Burgundus pater, vir domi, ac foris gloriæ nomine celeberrimus, Caroli V. Cæsaris Cãcellarius: sed etiã filius ANTONIVS, qui literis primum, deinde serijs Aulæ Regiæ negotijs intentus, Abbas Atrebatensis, Protonotariusq; Apostolicus, & anno 1539. post Franciscum de Melenduno, Ciuitatis item Atrebatensis Episcopus electus, vna cum Patre Tridentum, ad Concilium Oecumenicum à Paulo Papa tertio indictum, Cæsareæ Maiestatis nomine veniens, ibi ad Patres, qui cõuenerant orationẽ, de qua Paulus Iouius hist. lib. 45. habuit

buit ea de re eloquentem. Is anno 1544. ad eiuſdem Cæſaris ſecreta conſilia admiſſus, orator, de pace tractaturus, ad Franciſcum Gallorum primum; & Henricum Anglorum Reges, & anno 1555. ad celeberrimũ illum conuentum propè Caletum Grauelinũ, Ardesq;, vbi Principes viri Mariæ Angliæ Reginæ precibus de pacis conditionibus inter potẽtiſſimos Reges Antonius pro Cæſare, Carolus Cardinalis Lotharingius pro Gallo Rege; & Reginaldus Polus pro Regina Maria egerunt, mittitur. Quid? tanta fuit Antonij in rebus ad ſtatus ſpectantibus ſapientia, & forenſium rerum cognitio, atq; vſus; vt anno 1559. à Philippo II. Hiſp. Rege idem Margaritæ Auſtriacæ ſorori Belgarum Gubernatrici, Octauij Parmæ, & Placentiæ Ducis vxori, conſiliarius ſit datus. Qui poſt hæc munera, & labores in ijs obeundis exantlatos, vt merebat Archiepiſcopatu Mechlinenſis Eccleſiæ; & à Pio Papa IV. in 2. Cardinalium electione 4. Kal. Martij anno 1561. S. R. E. Presbyter Card. tt. S. Bartholomæi in Inſula; mox S. Sylueſtri abſens creatus, Pio V. Pont. ad tt. S. Anaſtaſiæ; mox S. Petri ad vincula, vbi ſingularia pietatis ſuæ monumenta collocauit translatus; à Philippo Catholico Rege anno 1570. cum Cardinale Pacieco eligitur, vt cum Pont. de fœdere Principum pro bello contra Turcas ſuſcipiendo tractet, & ſit Neapolitani Regni Prorex, qui Ciuitatẽ ingreſſus 13. Kal. Maij 1571. ibiq; 19. Kal. Sept. in Eccleſia S. Claræ; vt potè Legatus Apoſtolicus vexillum bellicum benedictum Ioanni Auſtriaco, initi contra Turcas fœderis Imperatori, tradidit. Sub Gregorij XIII. porrò Pontificatu, relicto Eudoxæ titulo; & S. Mariæ tranſtiberim aſſumpto, ad Epiſcopatum Sabinũ translatus, anno 1584. ab eodem Rege Conſilij rerum Italicarum ſupremus Præſes declaratus anno 1585. ſexto idus Martij ſponſalitium celebrauit inter Carolum Philibertum Sabaudiæ Ducem Emanuelis filium optimum Principem, prudentia, ac pietate Chriſtiana inter reliquos Italiæ Principes inſignem, inuictumq; ac præ cœteris, ob filiorum ſucceſſionem, ſtatus amplitudinem, Re-

gis Catholici affinitatem animi, ac corporis dotes pulcherrimas felicem domi, forisq; clarissimumq; celsissimumq; & Catherinam Philippi II. filiam Cæsaraugustæ, vbi antea Pileum Cardineum à Io. Baptista Magnano Bononiense secreto Gregorij XIII. Cubiculario Roma portatum Roderico de Castro Card. Hispalensi contulit. Madrilij annos natus, is 72. die Dominico 11. Kal. Octobris anno 1586. Pont. II. è viuis ablatus est. Corpus in S. Philippi templo apud Eremitanos S. Augustini depositum, Bisuntium postea translatm, ibi in Metropolitana, quam moderabatur, & vbi Gymnasium excitauerat sepelitur. Preter insignia domestica Grãuellanus nauim in medio Mari velis plenis positã, cum hac inscriptipne; *Durate*, gestauit. Inter eximias virtutum laudes, quas scriptores de Antonio predicant, eloquentia quoque eius enumeratur, non illa quidem fucata, ac varijs pigmentis expolita: sed diuina quadam vi ad animos permouendos accommodata.

XI.

PETRVS DONATVS Illustrissima familia Cæsia; ex qua quatuor potissimum; Paulus, Leonis X. Federicus, Pauli III. Bartholomæus Clementis VIII. postea, & idem Petrus Donatus, Pij Papæ V. Cardinales extitere. Venantij filius anno 1522. natus, literis politioribus dehinc Iuris prudentiæ studijs strenua opera data; vtr. Sign. Referendarius, Episcopatũ Narniensem, quem alij sui gentilitij possederant, consecutus, anno 1547. sub Paulo Papa Tertio Conc. Tridẽtino interfuit. Hic Paulo Quarto sedente; Prouinciæ Aemiliç primò; mox anno 1558. Bonon. Ciuitatis, Ditionisq; Prefectus; Prouinciã, Ciuitatemq;, Caroli Cardinalis Borromæi Legati vice, summa cum laude moderatus est. Clericus Cameræ Apostolicæ factus à Pio V. anno 1567. ad quasdam Turres in Romanis oris maritimis pro nauigantium securitate erigendas, cum Bartholomæo Bussotto Generali Thesaurario, qui locum Turriũ declararet, deputatur. Cumq; Regnum Galliæ ab Hugonotis,

eis tunc, Fidesq; catholica maximè infestarentur, eo in Regno Petrus Donatus à Pontifice ad Principes,& Resp. Italiæ,ad opem Regi implorandam mittitur; & anno 1570. Pont. Quinto, die Mercurij, 16. Kal. Iunij in tertia Cardinalium ordinatione Presbyter Cardin. S. Vitalis, tt. Vestinæ creatur; cum alijsq; Cardinalibus de conditionibus belli contra Turcas suscipiendi, qui cum Philippi Catholici Regis Procuratoribus tractet; & sequenti ad alienandos census, bonis Ecclesiasticis Italiæ impositos, eligitur. Gregorio XIII. Pontifice die Lunę, 4. nonas Iulij, anno 1580. Bonon. Ciuit. Legatus declaratus; eodem sedente S.Vitalis relicto tt. ad S. Anastasiæ titulũ translatus; Protector fuit Monasterij sanctę Catherinę,vulgo,della Rosa nuncupati, de alma Vrbe; à Federico Cæsio Cardin. erecti, dotatiq;, & Ciuitatis Rauennatis, vbi excelsi eius animi non parua signa reliquit, in fabricis extruẽdis, reparandis, perficiendisq;, ac rerum memorabilium gloria non obliuioni tradenda. Quid? quibus laudibus extollam celeberrimũ illum fontem, quem Bonon. in medio foro æneis ornatum, statuis erexit? Quid Gymnasium publicum magnificentissimè refertum? Macella,viasq; nonnullas apertas totã penè Ciuitatẽ ædificijs pulcherrimis exornatam ipsius opera commendem? His de se monumentis immortalitate dignissimis posteritati cõsecratis, Petrus Donatus amplissimus, omniq; liberali disciplina, atq; humanitate ornatissimus vir, Romæ die Martis, 3. Kal. Octobris, an. 1586. Pont. II. obijt, sepultumq; est ipsius corpus in Ecclesia S. Mariæ in Vallicella Cõgregationis Oratorij, à Cæsia familia ædificata, vbi nobilissimo sepulchro, in quo legitur hoc epitàphium, donatum est.

D. O. M.

Petro Donato Cæsio S. R. E. Cardinali [illegible] Pio V. Pont. Max. ad Principes, & Resp. Italiæ commouendos [illegible] Hæreticos misso, demũ Cardinali creato, & ad consilium [illegible] narum rerum præcipuè

sacri fœderis adhibito à Gregorio XIII. Bononiæ Legato, harum Aedium ampliatori, Templiq; aspidis fundatori. Vixit ann. 64. mens. 6. dies 17. obijt 3. Kalē. Octobris 1586. Federicus Cæsius hæres Patruo posuit.

XII.

ADmirabilibus quoque animi dotibus excelluit nobilissimus ille ALOYSIVS Estensis Ferrariensis Herculis II. Ferrariæ Ducis, & Renatæ Ludouici XII. Francorum Regis natæ, filius anno salutis 1538. in auras datus; qui ob præclaram indolem, & egregias dotes, in tantam Paulum Tertiū Pontificem rapuit admirationem, vt ab eo adhuc adolescens, Ferrariensis Ecclesiæ Episcopus electus sit. In Galliam postea profectus Henrici Secundi Regis ipsius consobrini gratiā, ac beneuolentiam, quod in ipsius Aula diù, atq; laudabiliter versatus esset, ita sibi conciliauit, vt nobilissimis, ac ditissimis sacerdotijs, & inter hęc Ecclesia Auxitana Metropolitana, celebri fama insigni, ab Hippolyto Cardin. Ferrariense ipsius patruo cessa, eodem deferente, sit auctus; quinimmo à Pio Quarto anno incarnati Verbi 1561. Pont. II. die Mercurij 4. Kal. Martij S. R. E. Diaconus Card. SS Neræi, & Archilæi, absens creatus sit. Hic quadriennio post Maximiliani Imperat. sororem Barbaram Alfonso fratri nuptam Tridenti excepit, ac Ferrariam comitatus est. Galliæ Protector designatus, Christianissimos Reges Carolum IX. & Henricum III. cum Summis Pōtificibus Pio Quinto, & Gregorio tertio decimo officijs, & studijs omnibus conciliauit; qui ex Diaconatu prædicto, ad S. Luciæ in Silice; paulò post Sācti Angeli in Piscina, mox ad S. Marię in via lata translatus, Innocentio Cardin. de Monte mortuo, in S. R. E. Diaconorū principatu succesit. Bis in Gallias missus est, semel anno 1576. à Gregorio XIII. vt Conuētui cuidam Sedis Apostolicæ nomine interesset; iterum anno 1582. ad persuadendū Henrico Tertio ipsius nomine, vt patrocinium Alenconio Duci fratri (quod Belgis Philippo Regi rebelli-

bellibus opitularetur) auferret. Profectò; quo magis in elogio conſcribendo progredior, eo magis admiror, qua ratione vnquam tot virtutes in Aloyſio potuerint fulgere; in alijs enim multæ quidem virtutes reperiuntur: ſed quæ omnes excellant in vno, eodemq; tempore, hoc nunquam contingit, aut certè perraro. Quis.n.dignis præconijs proſequatur beneuolum illum ſinum, quo Gallos omnes in Italiam venientes humaniſſimis excipiebat vlnis, exceptos, auctoritate fouebat, ope, opibusq; iuuabat; ſed iſta (dicet aliquis) ſunt poëtarum figmenta, aut certè oratorum circuitiones; quaſi verò quiſquam ignoret, aut ignorare debeat, ab eo fratrem Ioannem, Leueſque de la Caſsiera nuncupatum, Magnum Religionis ſancti Ioannis Hieroſolymitani Magiſtrum, qui Romam an. 1581. venerat, vt apud Summum Pontificem de notis calumniarum ſibi falsò iniuſtis ſe expurgaret, ducentis, & amplius eiuſdem militię Equitibus comitātibus, domi exceptū fuiſſe, propriaq; impenſa per duos ferè menſes (nam ibi vitam exhalauit) regia munificentia fuiſſe cohoneſtatum; liberalitatem verò illam propè diuinam, qua Stanislao Hoſio Cardinali Varmienſi, viro pietate, & doctrina inſigni, quod cum Romæ ad explendas pauperum indigentium neceſsitates pecunia quandoq; deficeret, liberaliſsimè ſuccurrebat. Quis (inquam) tam liberalem virtutem tacere ſine crimine poſsit? quis pecuniarum quantitem in familiares, ac pauperes munificentiſsimè diſtributam, queat recenſere? enimuerò, vt verum fatear, non eſt tam eloquens, non eſt in hiſtoria conſcribenda tam diligens, atq; accuratus quiſquam, qui pauperum Theſaurum, ſacri Collegij ſplendorem, Aulęq; Romanę ornamentum; meritò.n.hunc talibus epithetis exornarim; quo magis luculenta oratione proſequatur, eo plura de ipſo dicenda tacuiſſe, quam dicta enarraſſe non confiteatur. Sed quorſum hæc? vt omnes intelligant hunc eum virum fuiſſe quales non multos ſuperiora ſecula edidere, neq; futura ſint fortè allatura. Is tandem, vt ad alia greſſum faciamus in ſummo; non vitæ, nam annos tantum 48. natus

tus erat: ſed gloriæ, Romæ in Quirinali in hortis ſuis die Martis, 3. Kal. Ianuarij, anno 1586. Pont. II. hora 16. animã exhalauit, cuius cor (dignum notatu) in Gallia in Auxitana Eccleſia; Inteſtina Romæ in S. Ludouico nationis Gallicæ; Corpus in eadem Eccleſia per annum depoſitum, poſtea in S. Franciſco Tyburis contumulatum, materiam pulcherrimi epigrammatis præſtanti cuidam Poëtæ dedere.

Cur voluit Princeps Roma ſua viſcera condi?
An quia viſceribus condita Roma ſuis?
Cur voluit magnum Gallis cor, vt eſſet in oris?
An, quoniam cordi Gallia magna fuit?
Cur voluit pulchro ſepeliri Tybure corpus?
An ne in delitijs, quod ſibi Tybur erat?
Fallor. habet magnum cor Gallia magna, quod excors
Audito patris funere facta fuit.
Viſcera Roma tenet, tam ſacro Principe rapto,
Quod ſua viſa ſibi viſcera Roma rapi.
Corpora Tybur habet, quod propria corpora cenſet
In partes ſe ſe diſſociare ſuas.
Gallus, Romanus, Tyburs, cor, viſcera, corpus
Senſere auferri, reſtituiq; ſibi.

In huius funere duo celebres viri Baptiſta Guarinus iunior, Leonardus Saluiatus Eques; alter latinam, alter Italicam habuit orationẽ, quæ vtræq; eleganter conſcriptæ circunferũtur.

Prometheum in manu ignem geſtantem, cum inſcriptione; *Altiora.* pro inſigni habuit Card. Eſtenſis, prẹter domeſtica.

XIII.

PRæter ea, quẹ in ſuperioribus elogijs non pauca de Illuſtriſſimis viris ſublimia prædicauimus, reſidua ſunt nõnulla præclarorũ; prẹſertim GEORGII Draſcouitij Croati Vngari Comitatus Baronienſis perpetui Comitis, qui à Paulo Quarto, & propter virtutes, & propter generis nobilitatẽ ad Epiſcopatum Quinqueccleſienſem in patrijs Oris regendũ vocatus; anno 1561. cum Pius Quartus Pontifex Stanislaum Hoſium,

Hosium, quem Nuncium ad Ferdinandum electum Imperatorem, Maximilianumq; Boemiæ Regem in Germaniam concilij cogendi causa miserat, S. R. E. Cardinalem pronunciasset, & per suos Cubicularios Cardinalitiæ dignitatis insignia Viēnam vsq; misisset, cumq; Hosius per vnū ferè mensem nequicquam instantibus Cubicularijs, quid nam sibi statuēdum foret, cunctaretur, à Cæsare Georgius ille; vtpotè, qui multa præditus erat eloquentia, vt; Maiestatis Cæsareæ nomine, oblatā dignitatem suscipere suadeat, eligitur, cuius sententiā Hosius secutus, insignia Cardinalitia ab Archiepiscopo Strigoniēsi accepit. Anno postea sequenti à Ferdinando Imperatore electo, apud quem erat à consilijs Orator pro Regno Vngariæ, Tridentum missus, in Generali illa celeberrima Congregatione, die 24. Febr. eiusdem anni, pulcherrimam habuit orationem, qua Reip. Christianæ tantis malis, quibus passim ea tempestate conflictabatur oppressæ opportuna, & maximè accommodata remedia adhiberi se posse, ex illo Patrū cōsessu, omni asseueratione confirmauit; vnde à Patribus eius prudentia, consilium, ac religio non potuit vnanimiter non cōmendari. Concilio deinde fine imposito ad Episcopatum Zagabriēsem; mox Colocensem Archiepiscopatum translatus, à Sixto V. Pontifice (apud quem rerum præclarè gestarum fama Georgium magni fecerat) absens anno Pont. I. salutis 1585. die Mercurij, 15. Kal. Ianuarij Presbyter S.R.E. Card. declaratus est, qui; vt erat Catholicæ Relig. ardentissimus propagator, auctor fuit, vt à Rodulpho Cęsare pars prouētuum, quos Præpositura Tarrochien. quotānis reddebat, pro instit. Seminarij assignaretur, quo Vngari adolescētes fierent aptiores ad oppugnādas hæreticorū opiniones, cui; si pro animi magnitudine ætas lōgeua respōdisset, proculdubio neminé, aut certè perpaucos ipsi pares postera secula vidissent; sed quia hæc est humanæ vitę cōditio, vt perleuis res exiguo momento, vitales spiritus extinguat, Viennæ die Iouis, pridie Kal. Febr. anno 1587 Pont. II. vir insigni in Deum pietate, & optimis consilijs dandis, rebusq; publi-

publicis, ac priuatis pertractãdis, propè vnicus anima ad empyreas sedes (vt piè credendum est) migrante, mortales exuuias in terris reliquit, quæ ibi perhonorificè humi traditæ sũt.

XIV.

FElicissimum omen fuit, quod totam Galliã præsertim mirificè cõsolatum est, quando CAROLVS Dangenes Gallus ex Dominis Rambouileti, pridie Kal. Nouemb. an. 1530 in auras processit; namq; vir solidæ doctrinæ, incorruptorum morum, perpetuæq; innocẽtiæ in Aula Regum Galliæ, in qua versabatur, sæpissimè spectatæ, eidem Regno, vel in ipsis difficilioribus negotijs; non modo consilijs, sed etiam Legationibus ad omnes ferè Principes Europæ sibi demandatis, summo adiumento fuit, ex quo; ijsdem Regibus deferentibus, Cœnomanensis Episcopatus dignitate insignitus; à Carolo Nono Rege, Catherinaq; matre in Italiam ad summum Pont. Orator, & ijs cum primis turbulentissimis temporibus, quibus Regnũ ab hæreticis sacra, profanaq; promiscua habentibus, seditionibus, homicidijs, exustionib. atq; rapinis vexabatur, missus, nihil in eo munere obeundo, quod boni Oratoris partium esse sciebat, reliquit, quo tam præclarè obito; non tam Rege instante, quam summo Pontifice vltro deferente, an. 1570. Põt. V. die Merc. 16. Kal. Iunij, in ieiunijs quatuor Temporũ post Pentecostem Romæ, S. R. E. Presbyt. Card. tt. S. Euphemiæ creatus est. Accedit ad hæc, quod ipsum nõ mediocriter exornare videtur virtus fratrum; Nicolai, Rambouiletti Domini, Regijq; Ordinis Equitis, vnius ex intimis, qui à Regis consilijs erant, & custodiarum eiusdem Pręfecti, Caroli Regis nomine Oratoris ad Gregoriũ XIII. de Pontificatus assumptione congratulatum missi; ac alterius à fraterna virtute, nequicquam degenerantis, qui Episcopali insignitus dignitate anno 1589. Romam ab Henrico tertio Rege mittitur, vt Sixtum V. Pont. de causis Card. & Ducis Guisij mortis commoneret. Carolus die Lunę, 10. Kal. Aprilis, an. 1587. Pont. II. Corneti in Hetruria

truria mortuus est, plurimis pietatis, religionis, ac in pauperibus subleuandis, relictis documentis, quem sepulto corpore in D. Francisci apud Minores obseruantes, hæredes pulcherrimis elogijs posteritati celebrem reddiderunt.

D. O. M.

Insignis Mytra Carolus Dangenes, & ostro,
Corneti extremum clausit in Vrbe diem.
Ossa sepulta tenet Francisci nobile Templum,
Hic lapis exta loco nobiliore tegit.
Dulces reliquiæ vitam docuere per omnem
Dulce pati Christi nomine, dulce mori.

D. O. M.

Carolo Dangenes à Rambouileto, Cœnomanensi Episcopo, S.R.E. Cardinali, ingenij, scientiæ, religionis, omniumq; virtutum laudibus præstantissimo, Christophorus à Rantigni sororis filius, & Claudius Lupius cubiculi Præfectus, italicarũ rerum ex testamento hæredes magno; cum suo, tum cæterorum familiarium, quibus, ob eximiam in eos pietatem amplius sexaginta aureorum millia legauit, mœrore posuerunt. Obijt anno 1587. Vixit annos 50. mens. 4. dies 23.

Extat & aliud epitaphium, cum eiusdem Card. effigie Romæ in S. Ludouici Nationis gallicanæ Templo, propè Chorũ.

Carolo Dangenes à Rambouileto Sanctæ Romanæ Eccl. Cardin. Christophorus à Rantigni sororis filius, & Claudius Lupius cubiculi Præfectus, italicarum rerum, ex testamento Hæredes in Auunculum, & patronum grati; Virginibus Gallicis alternis annis Deiparæ Virginis die Natali, in matrimonium collocandis, certos Aedi fructus attriberunt an. 1587. Kal. Apr.

XV. Lo-

XV.

LOquatur nunc Romana Curia ratas dotes Io. FRANCISCI Gambaræ Brixien.& natalium, & virtutum gloria illustrissimi. Natalium quidem, quia ex Brunorio Virolæ, & Prelboini Comite Caroli V. Cesaris equitum Duce strenuissimo, & Virginia Pallauicina parentibus, maiorum splendore, multis honorum, ac rerum gestarum titulis insignium clarissimis, anno salutis 1533. 16. Kal. Febr. natus. Virtutum verò; siquidem adolescens sub patrui Vberti Pauli Tertij Pont. Card. disciplina educatus, qui S. Laurentij Cremon. Diœcesis Abbatiam Ord. S. Benedicti sibi commendatam illi detulit, Patauij, Perusięq; in legum studia incumbens, I. V. D. excellens, rerum gerendarum experientia præstantissimus, atq; in dicendo eloquentissimus euasit. Is Patruo vita functo; ex Imperiali Aula, quo se contulerat, vt Carolum Imper. obseruantiæ causa inuiseret, Romam concessit inter familiares Iulij Papæ III. adscriptus, ipsiusq; cubicularius declaratus, vbi diù laudabiliter versatus est, Præpositura Virolæ insignitus, Cleric. Præsidens Apost. Cameræ à Pio Papa Quarto factus, ab eodē, quia egregiè in muneribus suis se gerebat, nōdum elapso Clericatus anno, die Mercurij 4. Kal. Martij 1561. Pont. II. in secunda octodecim Patrum electione, Diaconus; & paulo post Presbyter tt. SS. Petri, & Marcellini; mox S. Pudentianæ tt. Pastoris S. R. E. Cardinalis; & anno 1565. 11. Kal. Septemb. Camerini de latere Legatus; quamuis Legationem hanc, Pontificis morte impediēte non obiuit, creatus est. Hic à Pio V. ad secreta cōsilia in arduis Pōtificatus curis, maximè ad religionē spectantibus, cuius erat acerrimus defensor, admissus; & inter eos Patres, quibus christianę Fidei, & contra impios Hæreticorum conatus conseruandæ præcipua cura demandabatur, annumeratus, eam prouinciam ita sustinuit, vt pro eadem fide, ac religione seruanda atq; amplificanda nullos labores die, ac noctu ad extremum vsq; spiritum subterfugerit. Iam verò eodem

dem

dem Pont. sedente, ad tt. S. Priscæ translatus, Abbasq; Aquanigræ Mantuanæ Diœcesis factus; anno 1566. mortuo Sebastiano Gualterio Episcopo Viterbiensi, eiusdem Ecclesię Ioannes Franciscus Pastor in demortui locum sufficitur, qui reuocata auita Ecclesiastica disciplina, Ecclesia Cathedrali, atq; alijs ea in vrbe sumptib. magna ex parte proprijs instauratis, Canonicorumq; reditibus annuis auctis, atq; etiam Archidiaconatus dignitate instituta, Balnearijsq; ipsi Eccles. restitutis vbi viuas virtutum suarum imagines reliquit, ipsam Ecclesiã Carolo Montilio, Greg. XIII. Pont. suadente, cessit, sub quo; optato titulo S. Anastasiæ; ex hoc ad S. Mariæ transtiberim translatus, factus fuit Cardinalium Presb. primus, & ex Presb. Episcop. Albanẽsis; mox Prænestinus, Archiconfraternitatisq; incurabilium S. Iacobi in Augusta de Alma Vrbe patronus, cui, sacræq; Lauretanæ Domui, & alijs pijs locis moriens non pauca piè legauit. Vir is fuit Ecclesiastica seueritate insignis, iustitia conspicuus, in seruando fidem diligentissimus, habitus singularis prudentiæ, ac tanti acuminis, vt præter reliquos de Rep. atquè Imperio grauissimè, sapientissimeq; differentem in periculosis temporibus multi Europæ Principes; & coram, & literis de summis rebus gerendis consulerent, & quod ille vnus respondisset; tamquam oraculum quoddam approbaretur, quam præclaram orbi terrarum perspectam prudentiam, ea ratione sibi comparasse fertur, quod à pueris præter B. Virginis patrocinium cuius præcibus infinita propè se à D. Opt. M. beneficia accepisse identidem asseuerare consueuerat; Patronum sibi elegit B. Laurẽtiũ Martyrem, mirumq; fuit, quod omnia ferè sacerdotia, quæ possidebat (possidebat autem plurima) sub inuocatione eiusdem S. Laurentij essent. Obijt, maxima Reip. Christianæ iactura Romæ annos tantum natus 54. die Martis 3. Nonas Maij, redemp. nostræ 1587. Sixti Quinti Pont. III. cuius corpus in D. Mariæ de populo depositum, deportatum ad Beatæ Virginis ædem de Quercu nuncupatam extra, & propè mœnia Viterbiensis vrbis positam, toto terra-

rum

rum Orbe celeberrimam, quam prius ipſe conſecrarat, & cuius ſacellum dotarat, vbi ipſius effigies extat, translatum, ante gradus maioris Aræ ſepulturæ mandatum eſt. Ibiq; funus eius celebratum eſt à Patribus Prędicatoribus, qui eam Eccleſiam, incolunt, orante in ipſius funere Franciſco Scoto Collenſi ſacræ Theologię Profeſſore, Archipresbytero Viterbienſis maioris Eccleſiæ.

XVI.

EXornauit præterea ſeculum noſtrum, celebri actorum gloria vir grauis, & liber, in rerum publicarum administratione, humanitateq;, & animo excellens, patriæ noſtræ decus, atq; ornamentum PHILIPPVS Vaſtauillanus Bonon. Angeli michaëlis, & Iacobæ Boncompagnæ Gregorij XIII. ſororis filius anno redemptionis noſtræ 1540. pridie Kal. Octobris natus, qui auunculo Cardinale inſtante à Pio V. inter Quadraginta Ciuitatis Bononienſis Regiminis viros relatus; ab eodem ad Pontificatum aſſumpto, eo tempore. ſ. menſe Maio eiuſdem anni, quo ipſe Vexillifer Iuſtitiæ in patria ſupremum Magiſtratum gerebat; Romam vocatus anno 1574. 3. nonas Iulij, Pont. III. Philippo Boncompagno, tt. S. Sixti Card. Venetias ad Henricum Tertium, Sedis Apoſtolicę nomine de latere Legato miſſo, Vaſtauillanus in ſecunda promotione Sanctæ Rom. Eccl. Diac. Card. S. Mariæ nouæ; mox S. Mariæ in Coſmedin creatus eſt, quem anno 1578. Bononiam miſit, vt litem de finibus inter Ferrarienſem Ducē, & Bononienſes cōponeret. Cęterum eodem anno, mortuo Iulio Feltrio de Ruuere Cardinale Vrbinate, S. Lauretanæ Domus, ſacræq; Religionis S. Ioannis Hieroſolymitani; & biennio poſt, vita functo Franciſco Card. Alciato, Ord. Fratrum Conuentualium Sancti Frāciſci Patronus, & Anconitanæ Ciuit. poſt Chriſtophorum Boncompagnum Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopum, Gubernator deſignatus, cum Philippo tt. S. Sixti, Io. Antonio tt. SS. quatuor Coronatorum, Io. baptiſta tt. S. Marcelli Cardinali-

dinalibus, quorũ duo nouißimi ad Põtificatum assumpti sunt, cum facultatibus ad Bannitos remittendos, per sex menses deputatus est; & eidem eodem anno S. R. E. Camerariatus officium, per obitũ Aloysij Card. Cornelij vacans; summa quinquaginta millium aureorum Cameræ Apost. soluta, collatum est. Qui auctus Abbatiæ Nonantulanæ dignitate, optato Sãcti Angeli Diaconatu, sedente Sixto Quinto; ex eo ad S. Eustachij translatus; non multo post, extremum vitæ suæ diẽ clausit, Romę die Lunę 16. Kalẽ. Sept. anno 1587. Pont. Tertio, hora 13. annos natus 46. menses 10. dies 17. cuius corpus ibi in Basilica SS. duodecim Apostolorum apud Minores Conuẽtuales depositum, Bononiam trãslatum anno sequenti, 8. Kal. Martij in S. Francisci eiusdem Ord. in pauimento ante gradus maioris Aræ, cuius sacellum, pecunia legata, Chorusq; ad elegantem formam redacti sunt, contumulatum est, vbi extat lapis elogio incisus.

M. M. AE.

Philippo Vastauillano S. R. E. Cardinali Camerario Gregorij XIII. Pont. Max. sororis filio. Hieronymus frater, Angelus Michaël fratris filius, ex testamento posuerunt. Vixit annos 46. menses 10. dies 17. Obijt 16. Kal. Septemb. anno sal. 1587. O. H. S. S.

XVII.

MIrum est, quantam vim habeat virtus, quæ tam breui tempore, tot dignitatib. virum quempiam poßit donare, cuius rei certißimũ testimonium esse potest Decius Azolinus nobilis Firmanus Picenus, qui in famulatũ Fratris Felicis Card. de Monte Alto veniens, ipsius à secretis factus, ab eodem summo Pontifice renunciato, Canonicatus Basilicæ S. Petri de Vrbe; post Episcopali Ciuitatis Ceruiensis dignitate cumulatus; anno Pontificatus I. sal. 1585. die Mercurij 15. Kal. Ianuarij, secundò 8. Cardinalibus electis Romæ, Presb.

Presb. Card. tt. S. Matthæi in Merulana; & post obeunte Philippo tt. S. Sixti Cardinale Boncompagno Basilicæ S. Mariæ maioris de Vrbe Archipresb. declaratus est, cui anno 1587. allato sibi nuntio de Stephani Bathorij Poloni Regis morte, idem Pontifex commisit, vt cum Alexandro Farnesio, Vincẽtio Laureo, Georgio Radziuuilio, & Andrea Bathorio Cardinalibus consuleret, quid nam pro pacifica noui Regis electione agendum foret. Enimuerò, quia ea est vitę nostræ cõditio, vt ad interitũ pernici ruat cursu, eodem anno obijt is Romæ die Veneris nonis Octobris Pontificatus III. ætatis 37. sepeliturq; in D. Mariæ maioris Templô, vbi propè Aram Deiparæ Virg. dicatãm in pauimento extat tale epitaphium.

D. O. M.

Decio Azolino Firmano S. R. E. Presbyt. Card. huiusce Basilicæ Archipresbytero à Sixto V. Pont. Max. cui à secretis erat; ob perspectam fidem, & in rebus agendis prudentiam, ad Cardinalatum assumpto, & post 21. mensis extincto ætatis suæ anno 38. 1587. P. D. M. pij, gratiq; animi sui monumentum, benè mærenti posuerunt.

Non longè verò à S. D N. Præsepis sacello in eadem Basilica, hoc aliud epitaphium cum ipsius Cardinalis effigie ad viuum depicta; Io. batista Card. Castrucius amico, posuit.

D. O. M.

Decio Azolino Firmano S. R. E. Cardinali, qui fidem, & integritatem suam Sixto V. Pont. Max. in Cardinalatu primum; dein de in Pontificatu ita præbuit, vt anni spatio ad summas dignitates meritò eius sit euectus, maius in diem probitatis suæ daturus specimen, nisi immatura morte prærepius in medio vitæ cursu defecisset. Vixit annos 37. mens. 3. dies 9. obijt nonis Octobris 1587. Iobaptista Card. Castrucius memoriæ amico optimo posuit.

XVIII.

SEd in ijs, quæ ad generis,& virtutum nobilitatem attinẽt; nescio, an omnes adæquarit, aut etiam præcesserit CAROLVS Lotharingus de Vandemontio Gallus, Nicolai, olim electi Epi Metensis,post Vandemontij Comitis, & Margaritæ Egmódanæ filius,Aloysiæ Henrici Tertij Galliæ Regis vxoris frater, qui digno virtutibus; quibus dotabatur Episcopatus Tullensis, honore illustratus, à Greg. XIII. summo Pontifice anno 1578. Pont.VI. die Veneris 9. Kal. Martij in quinta Cardinalium ordinatione S. R. E. Card. Diaconus, absens renũciatus; à Sixto V. successore S.Mariæ in Domnica Diaconatu accepto; sub eodem;ex Diacono factus est Presby.tt.Sãctissimæ Trinitatis in Monte Pincio. Exorta postea in Gallia calamitosissima tempestate, initoq; inter Regni Proceres,atq; Europæ Principes,pro Religione Catholica in eo Regno conseruanda,atq; hæresi radicitus extirpanda,fœdere, quod sacrã Ligam dixere, anno sal. 1587. eiusdemq; Carolo Card. Borbonio electo Principe, Vandemontius Card. Vicarius est declaratus, qui (heu miseram humanæ vitæ conditionẽ) in ipso præclarorum actorum culmine,& in ipsis muneribus pro Fidei Orthodoxæ conseruatione, atq; exaltatione ritè obeundis,vir sanè optimus, præstãs virtutis gloria, & qui perpetuo viueret dignus, eodem anno Pont. III. Tulli die Veneris, 3 Kal. Nouembris, mortem cum vita commutauit, cuius corpus in Cathedrali depositum; Nansi; quo fuerat asportatum, apud Frãciscanos sepulturæ demandatur.

XIX.

AGe; vt Romanos etiam attingamus, licet memoriam reuocare celeberrimi viri IACOBI Sabelli Romani ex illa insigni, & perpetua serie honorum,ob viros sanctitate, Pontificatu Cardinalatu, domi, forisq. illustres florentissima, Io. baptistæ Equitum Ducis,& Constantiæ Bentiuolæ filij, an-

no reparationis humanæ 1523. 5. Kal. Nouembris nati, de cuius adoleſcentia id extat, quod annos natus ſexdecim, inter intimos, Cubicularios Pauli III. quo cum, & Sabellis ſanguinis intercedebat coniunctio, annumeratus, ab eodem; vt honeſtis animum excoleret artibus, Patauium miſſus, latinis, græcisq; literis, deinde legali ſapientię talem operam nauauit, vt cum ea ſcientiæ, & probitatis ſigna dediſſet, & ijs ſe imbutum moribus, ac virtutibus, quæ in præclaro Antiſtite requiruntur, demonſtraſſet, ab eodem Pontifice anno 1539. Pont. VI. die Veneris 14. Kal. Ianuarij, Diac. Card. S. Luciæ in Septiſolio; deinde Sanctorum Coſmæ, & Damiani declaratus, Patauium pileo miſſo, Epiſcopatum Neocaſtrenſem, adminiſtrandũ obtinuerit. In ipſis poſtea Iulij Tertij Pont. principijs ab eo anno 1550. 12. Kal. Martij in Prouinciam Piceni omnium harũ Ciuitatum, Caſtrorum, ac locorum Apoſtolicę Sedis de latere Legatùs in re temporali, ac ſpirituali Vicarius miſſus; eam Ditionẽ ab inteſtinis ſimultatibus, quibus tumultuabatur, ſemel, atq; iterum ab inſidijs Draguti Archipyratæ, Ducis Claſſis, Solimani Turcarũ Tyrãni, liberauit, non minori laude; quã, quod eandem per quadriennium prudentiſsimè rexit; ſub quo S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconatu obtento, ſedente Paulo Papa IV. ex Diacono factus Presb. tt. S. Mariæ in Coſmedin; Epiſcopatu Neocaſtrenſe, in Eugubinum commutato, quem aliquando ipſius Frater Marianus moderatus fuerat; à Pio Papa IV. Archiepiſcopatum Beneuentanum accipiens, eius in Vrbe Vicarius declaratus eſt, quò munere; quoad vixit ſub alijs ſummis Pontificibus donatus eſt. In Pont. porrò, vbi ſucceſsit Greg. XIII. titulo S. Mariæ tranſtiberim optato, Patronus Collegij Græcorum ab eodem Pont. inſtituti, cum Guilielmo Sirleto, Iulio Antonio S. Seuerinæ, & Antonio Carafa Cardinalibus, electus; & ad Epiſcopatum Sabinen. poſt Tuſculanum; vltimò Portuenſem, & S. Rufinæ translatus, ex hac vita migrante Scipione Rebiba; ſupremus hæreticæ prauitatis Quæſtor, ipſius loco deputatus eſt. Hic; non ſolum à familiaribus;

ſiaribus: ſed à tota Aula Romana vnicè, ob morum, vitæ, & doctrinæ præſtantiam, & quia erat vir grauis, Eccleſiaſticorũ rituum diligentiſsimus conſeruator, accuratiſſimusq; Cardinalitiæ dignitatis obſeruator, diligebatur. Obijt Iacobus Romæ die Sabbathi nonis Decembris, anno ſalutis 1587. Pont. III. eiusq; corpus apud Patres Societ. Ieſu, in Farneſiano Templo ſepultum eſt, vbi pietatis, ac religionis eius monumenta extãt. Aram n. eiuſdem Templi eo viuente inchoatam, multis ornamentis augeri, vt etiam Albæ Templum Petro Apoſt dicatũ, quod de iure patronatus familiæ Sabellæ eſt, ad perfectionem adduci ſcripto teſtamento mandauit. Funus ſplendidè actum eſt, orante 10. Kal. Ianuarij celebri Oratore Põpeio Vgonio Romano.

XX.

NOn deſunt laudum argumẽta, quæ illuſtrent FERDINANDVM Mediceũ, Coſmi Magni Hetruriæ Ducis, & Eleonoræ Toletanæ filium anno 1549. 3. idus Iulij, hora 19. poſt meridiem natum, quem; quo Coſmus pater, ob mortem Ioannis filij mœrens aliqua conſolatione leuaretur, Pius IV. anno Pont. IV. ſalut. 1563. 8. idus Ianuarij, feſto Epiphaniæ Domini, in Congregatione Generali, cum nondum tertium, & vigeſimum ætatis annum compleuiſſet, Diaconum Cardin. S. Mariæ in Domnica, abſentem, creatum; Romam venientẽ, pileo poſtea purpureo, cum Angelo Nicolinio eiuſdem Pontificis Cardinale, idibus Martij 1565. de more, inſigniuit. Hic Papæ Summator; Archihoſpitalis ſanctiſs. Trinitatis de Vrbe Conualeſcentiũ; Relig. Seraph. Fratrũ Min. obſeruan. Regnorũq; Hiſpaniæ patrocinijs ſuſceptis; Eleonorã Frãciſci Magni Ducis filiã quæ Vincẽtio Mãtuæ Duci in mrimoniũ collocata fuerat, neptem ſuam, Mantuã euntem comitatus eſt. Huic ſub Sixto V. ex S. Mariæ, ad S. Euſtachij; mox ad S. Mariæ in via lata Diaconatus translato, inter Cardin. Diaconos, Primas tenenti; cum alijs eiuſdem Ordinis Patribus cauſarum quorũcunq; regularium, extra clauſtra vitam degentium, audiendarum,

rum, & Pontifici dicendarũ, nec non Canonizationis B. Didaci prouincia demãdata est. Cæterũ mortuo Frãcisco Magno Hætruriæ Duce fratre sine filijs in Ducatu successuris, Ferdinandus Cardinalis; ex duobus qui superstites erant fratribus natu maior, iure eidem magna cum totius Hætruriæ populorum exultatione, successit, qui,& si Cardinalitiam dignitatem ad extremum vitæ spiritum retinere animum induxerat, nunquam sacris initiatus, sicq; indulgẽtibus Rom. Pontificib. prudentissimè prospicientibus posse aliquando, quod contigit euenire; aliud tamen sibi in rerum statu commutato, grauissimis de causis statuendum fuit, & maximè, vt tam amplæ lataq; Prouinciæ, nec non familiæ suæ legitima liberorum successione consuleret; Declarato igitur sibi Ferdinandus Procuratore Nicolao Tornabono Ciuitatis Burgi S. Sepulchri Episcopo, eadem de causa eum Romam misit, qui vna cum Ioanne Nicolinio ipsius oratore, à Cesare Marsilio nobili Bononiense consistoriali Aduocato, qui etiam de causis, quæ animum illius ad Cardinalatus renunciationem disponerẽt, eleganti oratione coram summo Pontifice, & Cardinalibus disseruit; in secretum Consistorium die Lunæ, pridie idus Decẽbris, anno 1588. Pont. IV. admisi, & ad pedes summi Pontificis prostrati; ea, qua decuit, animi demissione, Ferdinandi nomine, Cardinalatus dignitatem, & administrationes Ecclesiarũ, quibus ipse præerat, dimittentes, ac resignantes, sanctitatem suam humiliter supplicarunt, vt cessiones prędictas, libenti animo excipiens, admittere dignaretur, & iuramenta quæcunq; per Ferdinandum ratione Cardinalatus relaxare, & vt ei paternam benedictionẽ, qua in altera vocatione, ad quã Deus eũ vocabat, pro felici Hetruriæ regimine diù, ac feliciter versari possit, impertiretur. Quam summus Põt. renũciatione; Cardinalibus omnibus vnanimiter consentientib. admisit, atq; approbauit; de quo actu duo ex Protonotarijs participãtibus vocati, se rogarũt; quibus; felici, ac fausto auspicio peractis, Ferdinandus, Caroli Ducis Lotharingię filiam, Christinã,

&

& Caroli, Sixti Papę Quinti, Cardinalis sororem, in matrimonium duxit.

XXI.

QVanto Fidem catholicam animi ardore prosequeretur; non dictis: sed ipsa sanguinis effusione demonstrauit Aloysius de Guisa à Lotharingia Gallus, Francisci Ducis Guisij, & Annæ Estensis, Alfonsi vltimi Ferrariæ Ducis sororis, filius; Caroli, Pauli III. & Ludouici, Iulij III. Cardinalium, nepos anno 1554. natus, qui electus Archiepiscopus Remensis, & primus Par Franciæ, à Greg. XIII. summo Pontifice anno Pontif. VI. à Domini Natiuitate 1578. in quinta purpuratorum Patrum electione nono Kalen. Martij habita, S. R. E. Presbyt. Card. factus est; atq; eidem Legatio Auinionensis in Gallijs, qua prius Card. Borbonius cohonestabatur; Henrico Tertio Gallorum Rege, & per literas, & per Oratorem apud Sixtum Quintum instante, demandata est; qui anno 1588. cum Comitijs apud Turones Blesis ab eodem Rege indictis, cũ Henrico ipsius fratre, ac alijs Regni Proceribus adesset; 10. Kal. Ianuarij, biduo ante Natalem Domini, ecce (scelus indignum) Henricus Dux, Cardinalis frater à nefarijs sicarijs in ipso Regis cubiculo, ipsomet Rege iubente, atq; inspectante, qui eum ad se vocauerat; vulneribus confossus, in terram ruit: fratris opem implorantis, clamore adductus, accurrit Cardinalis Aloysius: sed ab armatis depellitur, qui eadem hora captus cum Carolo Borbonio Cardinale, & alijs Præsulibus, regali prandio exceptis, cum cibum sumere renuisset, ad locum, vbi exangue fratris cadauer in circunfuso sanguine natabat, ducitur, atq; ibi diei, noctisq; spatio fraternam mortem dolet. Interrogatus porrò à Rege illuc accedente, agnosceret, ne quisnam ille esset. Agnoscere, se esse amantissimi sui fratris, & Domini corpus, cum quo in vita feliciori esse exoptare, respondit; cui Rex. Pro certo, inquit; habeto te breui voti compotem faxo. Postridie, nona circiter hora, ante meridianam

Aloysius, Rege iubente, ad idem conclaue, vt fraterna pareat morte, ducitur, conuocantur sicarij, qui Ducis sanguine contaminatas manus sacro Cardinalis cruore polluere non recusāt, sicque pugionibus petitus, vulneribusque confossus, anno eius ætatis trigesimoquarto, in ipso Christi Natiuitatis peruigilio; summo bonis omnibus mærentibus sui desiderio relicto, atque maxima Reipublicæ Christianæ iactura, ac detrimento occiditur Præsul; generis nobilitate clarus, totquè dignitatibus insignitus, sacri Collegij ornamentum, cuius vita, ac mores generi, atq; ordini conueniebant, qui moderati animi, & catholici quamplurima præclara exempla dederat, & cuius humanitas ingēs, pietas sūma, liberalitas insignis, loquēdi libertas, & publici boni studiū lōgiori vita, ac alia mortis ratione dignū eū reddebāt. Eius corpus Rex in aliud cubiculū transferri ibiq; honesto loco collocari, & viridi panno tegi; Ducis verò negligi iubet. Feria deinde quarta post Christi natalitia, eodem Rege mandante, vtroq; corpore in maiorem Aulam illato, rogoq; ingenti, ex viua calce, & sulphure constructo imposito, atq; exusto, cineres eorumdem, è fenestra in præterfluentē legerim proijciuntur. Audito Pontifex scelere; per Ioan. Franciscum Maurocenum Episcopum Brixiēsem, Sed. Apostolicę Nunciū, postea Cardinalem, Regem literis de scelere patrato monere, atq; anathema minitari. Cogitur Romæ Consistorium; impium scelus detestatur, Cardinales; quibus negotium demandetur, eliguntur, à summo Pont. Rex citatur post mensem, vt se defendat, & causas proferat, cur anathema non debeat declarari. die termini sibi ad se iudicio sistendum statuti, Rex in proprijs ædibus, firmo in castro, equitibus, satellitibusq; multis, ac frequenti exercitu stipatus ad S. Clodouæi Pontem, ab inermi nondum vigesimum quintū annum nato, ac ignoto Fratre Iacobo, Clemente dicto, patria Senonense, Ord. Prędicatorum, paruo cultello ad hoc patrandum parato, subter vmbilicum vulneratus, miserrimè Kal. Augusti, anno 1589. interfectus est.

XXII. Quid

XXII.

QVid Fr. STEPHANVS Bonuccius Aretinus Tuſcus, ex honeſtis parentibus anno 1521. natus? Quantæ gloriæ fuit,& patriæ,& Reipub. Chriſtianæ? puer.n.nomine Religioni S. Mariæ Seruorum dato, ſub diſciplina Fr. Auguſtini Bonuccij inſignis Theologi, & eiuſdem Religionis poſtea Generalis Magiſtri, cuius ſe alumnum profitetur, & cui mortuo monumentum in patria poſuit; Orator eloquens, & in ſacris paginis maximè verſatus, cum euaſiſſet; adhuc iuuenis Bononiæ, Patauijq; in Academijs, Præpoſiti,& ante annos, Generalis Procuratoris officio dignus, eodem; & poſt à Iulio III. Apoſtolici, Ordinis Viſitatoris munere meruit inſigniri. Is in Comitijs Bononiæ Paulo Quarto Pontifice ſedēte habitis; ob res præclarè geſtas, rurſus Procurator Ord. confirmatus; ſub Pio Quarto Tridentinæ Synodo interfuit. Apud Vgonē Boncompagnum S Sixti Cardinalē conceſſit, & cum eodem, qui Legatus in Hiſpaniam,pro Archiepiſcopi Toletani cauſa mittebatur, profectus eſt, à quo, ſummo Pont. declarato, ad Alatrinum Epiſcopatum; ex Alatrino, ad Aretinæ patriæ Præſulatū promotus,cum in ipſius adminiſtratione, religionis,& pietatis ſigna innumera dediſſet, à Sixto Papa V. anno ſal.1587. Pont. III. die Veneris 15. Kal. Ianuarij, inter eos Cardinales, qui quintò ab eo electi ſunt, Presbyt. Cardin. tt. SS. Petri, & Marcellini annumeratus eſt, cumq;, emergentibus è Concilio Tridentino quæſtionibus, cum alijs quatuor Cardinalibus præfectus fuiſſet, hoc,& alia munera ſibi demandanda; morte imminente, non potuit obire. Obijt verò in maxima apud Aulam Romanam expectatione, Romæ anno ſalutis 1589 Pōt. Quarto, quarto nonas Ianuarij, eiusq; corpus ſepultum eſt in Eccleſia Sancti Marcelli apud Seruitas, vbi in Templi medio tale elogium videre eſt.

D. O. M.

Fratri Stephano Bonuccio Ord. Seruorum, Ciui, & Episcopo Aretino, S. R. E. Presbyt. Card. tt. SS. Petri, & Marcellini, cum insignis religio, prudentia, & doctrina; omnium iudicio, & votis es maiora pararent extincto, ætatis suæ anno 68. sal. humanæ 1589. die secunda Ianuarij. Ludouicus Bonuccius, & Io. baptista frater, patruo bene merenti PP.

XXIII.

CAncellos exornationum excessisse mihi videtur ALEXANDER è Farnesiorum gente rerum domi, forisq; gestarũ, gloria inter Romanos clarissima ortus Petri Aloysij Castri; mox Parmæ, & Placentiæ Ducis, & Hieronymæ Vrsinæ filius anno sal. 1520. die Dominico Nonis Octobris à pomeridianis horis, inter quintam, & sextam in lucem editus. Is Bononiæ in Collegio, quod Petrus Ancharanus de eademmet familia Farnesia anno 1415. ad Scholares italos literis informandos erexerat, in literas incumbens, à Clemente Septimo Parmensis Ecclesiæ cui Alexander Cardinalis huius Auus præerat administratione suscepta, ab eodem Auo ad Pontificatum euecto; Paulo III. dicto, anno 1534. Pont. I. die Veneris 15. Kal. Ianuarij absens, Diaconus Cardinalis S. Angeli ptonunciatus, Bononiæ Cardinalatus insignia cum Guidone Ascanio Sfortia suo consobrino annos tantum natus 14. accepit, qui Romam anno sequenti profectus, mortuo Stephano Cardinale Merino, Episcopus Giennẽsis inter Hispanos; & Hippolyto Cardinale Mediceo die Mercurij 3. Idus Augusti, S. R. E. Vicecancellarius, & S. Laurentij in Damaso; & die Iouis 11. Kal. Septemb. summi Pontificis Summator, Archiepiscopus Auinionensis electus; an. 1536. die Lunę idibus Maij Carolo V. cui; vti Siciliæ Regi, id iuris competebat deferente, Archiepiscopus Montis Regalis in Sicilia; dimissis Parmẽse, &

ſe,& Giēnenſe Eccleſijs, declaratus. Eidem;non multo poſt ab eodem Auo Archipresbyteratus S.M. Maioris de Vrbe; mox Hieroſolymitanus Patriarchatus delegatus eſt. Quid Herbipolenſis maioris Eccleſiæ inter Germanos Præpoſitura, cui ipſe præerat? non ne eiuſdem decem millium aureorum quotannis addentes fructus, vt erat liberalis, & beneficus, maximè in virtute præditos, & benè de catholica Fide ſentientes, inter aliquos viros doctos Germanos de Eccleſia benemeritos, inter quos Federicus Nauſea vir ſummæ doctrinæ, vt ipſius ſcripta teſtantur, Epiſcopus poſtea Viēnenſis diſtribuit? ac tandē Prępoſituram ipſam Othoni Truchſeſio Cardinali Auguſtano renunciauit? Quis neſcit quanta dignitate, Legationes in Hiſpaniam ad Carolum Cæſarem; in Galliam ad Franciſcū Frācorum Regem demandatas, vix vigeſimum ætatis annum attingens obiuerit? vt & Imperatorem, & Regem, quibuſcum de rebus grauiſſimis agebatur, in ſummam traxerit admirationem,& ex Nepote; in Pontificis qualitatum cognitionem venerint, quod ſi cuncta, quæ ijs in Legationibus egit, attingere tentem, neceſſario, & multa memoratu digniſſima,ab eodem alijs in muneribus acta, prætermittam, & ea ipſa, quæ attingā, ieiunius multò,atq; exilius, quam pro ipſarum dignitate percurram; reuertenti.ſ.Romam anno 1541. 3. idus Martij, Auinionenſem Legationem,& poſt à Cęſare Imperij protectionē; biennio poſt Archipresbyt. Baſilicę S. Petri, Genuam ad eundem Cæſarem, Legationem; iterum anno 1545. ad eundem Imperatorem; & Gallum Regem, vt pacem inter ipſos componat, & in Germaniam tertio cum Octauio fratre Parmæ, & Placentię Principe, Eccleſiaſticarū copiarum Duce, quas Pontifex miſit Carolo Imperatori contra hæreticos bellum gerenti, Legationes demandatas. Alexander anno 1547. Eccleſiæ Viſenſis adminiſtratione accepta, ſub Iulio Tertio, bello inter eundem Pontificem,& Octauium fratrem,pro Ducatu Parmēſe vigente, Florentiam; hinc in Galliā concedens, à Rege perbenignè exceptus, & ditiſsimis ſacerdotijs cohoneſtatus eſt;
quo

quo Romam reuerso, Parmensibus iam compositis rebus, in grauibus, arduisq; Pontificatus negotijs summi Pontifices Iulius III. Marcellus II. Paulus IV. & Pius IV. qui; vt ab Auo ad Cardinalatus dignitatem, sic ab Alexandro; diuino numine ita disponēte, ad tantum fastigium fuerant euecti, vsi sunt, cui sub Pio IV. Episcopatibus Massæ, & Spoleti resignatis, anno 1564. die Lunæ 8. Kal. Maij ex Diaconatu ad Presbyteratum promoto, de consensu Ranucij sancti Angeli Cardinalis ipsius fratris, qui primum locum inter Presbyteros Cardin. tenebat, aliorumq; Patrum; Archipresbyteratus S. R. E. concessus est. Infinitum foret sigillatim omnia recensere. s. illum; ex Archipresbytero ad Episcopatū Sabinensem; mox Tusculanum; & anno 1565. Auinionensi Legatione ad fauorem Caroli Cardinalis Borbonij dimissa, cuius etiam Archiepiscopatus administrationem anno sequenti resignauit; ad Viterbiensis (quæ patrimonij dicitur) Legationis præsidiatum translatū fuisse. Iam verò, quia grauiora animus concepit, ad tāti Præsulis præclariora gesta properemus. Anno is 1569. ad Ecclesiam Montis Regalis se conferens, Synodum ibi Prouincialē, ex decreto sacri Conc. Tridentini celebrauit; & Collegiū Patribus Societ. Iesu, quibus in componendis; inter clerum, ac ciues ortis discordijs, vsus fuerat, proprio sumptu à fundamētis erexit. Hanc Ecclesiam postea Ludouico de Torres, Cameræ Apost. Clerico, alterius Ludouici Archiepiscopi eiusdem Ecclesiæ nunc viuentis; sanguinis nobilitate, rerum gerendarum experientia, literarum cognitione, & summa in Deum pietate, deq; Rep. Christiana bene merentis Præsulis patruo cessit. Reliquæ sunt anno 1578. post translationem ad Episcopatum Portuensem, & S. Rufinę, & sequenti, vita functo Ioanne Card. Morono ad Ostiensem, & Veliternum, sacriq; Collegij Decanatum, protectiones fratrum Seruitarum; hospitalis S. Hieronymi Illyricorum Collegij Germanorum, Archiconfraternitatis Orphanorum, Santissimi Crucifixi sodalitatis, & præter Imperij Romani, Regnorum, Aragonię, Siciliæ, Lusitaniæ,

taniæ,& Poloniæ. Quid? ipſius ſingularem religionem ſilentio inuoluemus? non profecto, ſed, quæ tanta in quoquam dicendi vis, qui tam copioſi, ac multiplicis argumenti partes omnes; non dicã proſequi velit: ſed in memoriã reuocare multas ſacras ædes labentes ab eo inſtauratas,non paucas Aras extructas, & plurimis ornamentis decoratas; Eccleſiam S. Sylueſtri in Monte ſoractis,inter Faliſcos ædificatam propria impenſa, & minoribus obſeruantibus collatam; Diui Anaſtaſij templũ, Cęnobiumq; ad aquas ſaluias;B. Virginis ædes ad Criptam ferratam; Aram, templaq; toto in eo tractu,qui eſt circa Soractẽ, Auinioni; Viterbij; auguſtiſsimum templum in Vulſinenſi lacu; Templum item Sanctis Laurentio, & Damaſo dicatum, quæ maxima impenſa ędificauit, atque ornauit. Quid plura? in omnibus Eccleſijs, quas adminiſtrauit (adminiſtrauit autem plurimas) non pauca ſummę ſuæ religionis,& beneficentiæ expreſſa veſtigia reliquit. In Baſilica S. Petri de Vrbę, cuius erat Archipresbyter, aurea candelabra, auream crucem, calices, ſacrasq; veſtes innumeras ad rei Sacræ ſeruitium reliquit, & tandem magnificentiſsimam illam, ac toto orbe celeberrimã Aedem nomini Ieſu dicatam, quam pro Patribus eiuſdem ſocietatis Romæ extruxit.Qui tandem à Sixto V Pont.pro Beato Didaco canonizando deputatus, ſummo vniuerſę Chriſt. Reip.Vrbisq; mærore, & luctu, ad ęterna illa Palatia,quę ſibi, & elemoſinis,& ſacris donis conſtruxerat, die Iouis VI. Nonas Martij hora 21. anno humani generis ſeruati 1589. Pont.IV. ętatis 69. aduolauit. Corpus eius; lugubri, ſed inuſitata pompa in templum Ieſu delatum, habita latina oratione à Petro Magno viro literis ornatiſsimo, olim à ſecretis Ioannis Franciſci Card. de Gambara, quæ vna cum orationibus, & elegijs Franciſci Bentij Societ. Ieſu, viri ſummæ eloquentiæ, & pietatis, alijsq;, & vincta, & ſoluta oratione conſcriptis illius laudibus circumfertur, ſepultis prius viſceribus in Diui Laurentij in Damaſo; ibi in pauimento, ante gradus Aræ maioris, ſub lapide porfidico; elogio, de quo infra, collocatum eſt.

D.O.M.

D. O. M.

Alexandri Farnesij Cardin. S. R. E. Vicecancellarij, Episcopi Ostiensis huius Ecclesiæ Fundatoris.

Et super portam maiorem eiusdem Ecclesiæ.

Alexander Farnesius Cardin. S. R. E. Vicecancellarius, Pauli Tertij Pont. Max. Nepos, cuius auctoritate Societas Iesu recepta, primum fuit, & decretis amplissimis exornata, Templum hoc suæ monumentum, & religionis, & perpetuæ in eum ordinem voluntatis funditus extruxit anno salutis 1575.

Præter domesticum familiæ Vmbonem Alexander, Macedonis quodammodo æmulator, tria celeberrima insignia gestauit. Telum.s.scopum ipsum attingens græco insignitũ axiomate βάλλ' οὕτως *Sic iacio*. Papyrus candidissima hoc emistichio circumsepta: *Votis subscribere fata secundis*. Trisulcum Iouis fulmen, quo exiguam hominum religionem solet castigare hoc dotatum apophtegmate *Hoc vno Iuppiter vltor*.

XXIV.

ACcedit videre, quanam encomiastici sermonis laude donandus sit PROSPER Sanctacrucius nobilis Romanus, anno Domini 1513. natus, qui honorarios ephebos in animo literis; præsertim verò legibus instruendo, Patauij insumens, ita in eis profecit, vt; cum nondum ad vigesimum secundum ætatis annum peruenisset, consistorialis Aduocatus à Clemente Papa VII. & quinquennio post à Paulo Tertio Auditor sacræ Rotæ factus, in eo Tribunali in agendis causis, & summã prudentiam, & indifferentem iustitiam omnibus semper restituit, ex quo ab eodem Paulo Episcopatu Chysamensi in Cretensi Insula meruit honorari, cuius opera Iulius Tertius, & Paulus Quartus in Germaniæ, Lusitaniæ, Hispaniæq; Legationibus, in quibus omnibus semper suæ, & Apost. Sedis

reti-

retinendæ dignitatis ſigna non obſcura dedit, vſi ſunt. Summæ porrò virtutis, tunc clariſsima ſigna reliquit, quãdo à Pio Quarto Nuncius Apoſtolicus ad Carolum Nonum in Gallias, quo tempore Regnum fluctuabat, miſſus, apud Regem ſic; pro hæreticis exterminandis, qui in illis partibus Religionem catholicam perturbabant; perturbatam labefactare tentabant; labefactatã prorſus euertere, egit, vt tantum hæreticorũ odiũ ſibi concitauerit, vix vt ſępiſsimè; præſertim verò; dũ aliquãdo iter haberet per idem Regnum, niſi ſtratagema adhibuiſſet, vitam ſibi potuerit conſeruare. Sic Legationes demandatæ obeundæ ſunt, ſic Eccleſiaſticæ dignitates comparantur. Meritò igitur illum Pius Quartus in quarta promotione 23. Cardinalium Romæ die Lunæ 4. idus Martij, quando ſolẽnis dies Gregorij Magni celebratur, anno 1565. Pont. VI. abſentem, atq; in Gallia idem munus Nuncij obeuntem in Cardinalem Presbyterum S. R. E. promouit. Optato poſtea in Pij Quinti Pontificatu S. Hieronymi Illyricorum; mox S. Mariæ de Angelis in Thermis titulo; & paulò poſt in eiuſdẽ Caroli IX. gratiam Archiepiſcopatu Arelatenſe in Gallia obtento, hunc idem Pius V. anno 1571. cum Cardinale Ioanne Aldobrandino, ad Bannitos dimittendos, deputauit. Qui; à Turcis Regno Cypri occupato anno 1572. Eccleſiam Chyſamenſem, quo à Greg. XIII. ſummo Pont. Epiſc. Salamino, cui in illa occupatione Epiſcopatus fuerat ereptus, traderetur; donec Ep̃o idẽ reſtitueretur, renunciauit; ſub quo etiam ad titulum S. Hadriani; poſt S. Clementis translatus, à Sixto V. an. 1585. cum ad paupertatis leuamen, idem Pontifex artem lanarem vellet in Vrbe introducere; præficitur Proſper Sanctacrucius huic negotio, qui multas, cum eiuſdem artis vniuerſitate conſtitutiones decreuit à ſummo Pontifice confirmatas, & cum alijs ſex Cardinalibus prouincia cauſarum eorum, qui ſtatui Eccleſiaſtico ſubduntur, audiendarum, demandatur, à quo; ex Presbyter. S. Clementis electus Epiſcopus Albanus, Romæ anno 1589. Põtif. VI. 6. nonas Octobris, die Lunæ, ſecunda noctis ſequentis

hora

hora, ab hac ad æternam vitam transmigrauit; corpore in Ecclesiam S. Mariæ de Publiculis deportato, & in Basilica Sanctæ Mariæ maioris collocato; vbi propè portam sacrarij sepulchrum marmoreum à gentilitijs positum, inscripto hoc elogio cernitur.

D. O. M.

Prospero Sanctacrucio S. R. E. Card. Episcopo Albano, qui ob eximias animi, ingenijq; virtutes; post primaria palatina officia, & Ecclesiasticas dignitates, à Pio IV. Pont. M. Cardinalis creatus, Legationibus Germanica, Lusitanica, Hispanica, & Gallica, flagrante intestino bello prouincia, egregia cum laude functus, maximisq; toto vitæ cursu pro Rep. susceptis laboribus. obijt ætatis annorum 76. 1589. Marcellus ex fratre nepos posuit.

XXV.

SIxti V. Pontificatum; præter cætera, celeberrimi nominis gloria exornat Carolus Borbonius de Vendosme Gallo-picardus francorum Regum propagine clarus, Ludouici Condensis Principis, & Antonij Nauarræ Regis frater; Caroli Borbonij Vendosmi Ducis, & Franciscæ Alenconiæ filius, anno 1520. natus, qui; ex Abbate S. Germani de pratis Xitonienſium; mox Aruernorũ, & Claromontensium electus Episcopus, anno 1549. Pont. XV. 5. Idus Ianuarij, à Paulo III. Diaconus S. R. E. Cardinalis S. Sixti creatus, Archiepiscopatum Rothomagensem administrandum suscepit, in quo difficillimis illis temporibus diuersis hæresibus scatentibus, verbo, & exemplo commissum sibi gregem pascens; in orthodoxa fide confirmauit, cui; ob hæc postea in summo honore apud summos Pontifices habito, per honorifica Viterbiensis, & Patrimonij Legatio delata; & à Gallorum Regibus, Francisco I. Henrico II. Francisco II. & Carolo IX. quorum tutor, a Regina Catherina matre fuerat datus, iustitiæ administrandæ,

Conti-

Consilij, Regnique vniuersi primus locus concessus est. Qui comitatus eandem Reginam matrem Aquam Augustam (vulgo Baionam) quo venerat, vt cum Regina filia Philippi II. Hispaniarum Regis vxore de dissensionibus pro Indiarum occidentalium nauigatione, inter Gallos, & Hispanos ortis, tractaret; eodem anno Idibus Aprilis; relicta Alexandro Cardinali Farnesio Viterbiensi, & Patrimonij (interposita Pontificis auctoritate) Auinionensem legationem accepit. Anno porrò 1567. grassante inter Regem, Principem Condensem, & alios consanguineos de Fide catholica malè sentientes, bello, Carolus acerrimus fidei propugnator, sic effecit, vt nonnulli anno 1572. cum Rege conciliati, dimissa falsa religione, & vera recepta, à Gregorio XIII. in Catholicæ Ecclesię sinu accepti, absoluti, & dispensatione, vt arctius propter hanc reconciliationem, in matrimonij vinculo colligarentur, donati sunt. sed ingentia Regni crimina, non permisere, res in eo statu, in quo eas Card. posuerat diutius conseruari, mortuo quippè Carolo IX. & in Regnum Henrico fratre suffecto, tunc Poloniæ Rege, paulatim se Hæreticorum magis; quam Catholicorum fautore demonstrante, Carolus; vt religiosissimus, & sanguinis nobilitate Regni Princeps, quo Catholica Romana religio conseruaretur, hæresis extirparetur, & (quod caput erat) Christianissimus Regi successor eligeretur, cum alijs Principibus Galliæ Catholicis; præsertim Lotharingijs, & Guisijs cum summo Pontif. Philippo II. Hispaniarum Rege. Duce Sabaudiæ, & alijs Italiæ Pincipibus coniunctus, quæ sacra Liga, vulgo dicta est, & cuius ipse anno 1587. 16. Kal. Augusti Princeps declaratus est, renunciata Auinionensi legatione quæ Aloysio Cardinali Guisio tradita est, de instituto proposito agere cœpit. Conuocatis igitur multis in locis Regni, ad id agendum Conuentibus, vbi etiam Rex intererat, non poterat non Regem de catholico Successore eligendo, exorare, qui simulans; voluntati eorum, qui in eo fœdere continebantur, arridebat: sed timens, ne Dux Guisius, qui; propter catholicas qualitates, ab om-

ab omnibus, & Gallis, & exteris vnicè diligebatur, successor declararetur, stratagema indignum Christianissimo Rege, & eo, qui se toties pium, ac vera virtute præditum demonstrarat, machinari, fraudem tentare, & insidias vbiq; tendere. Indicto igitur Blesis conuentu anno 1588. de quo supra, Duce, Cardinaleq; Guisijs, ipso mandante, crudeliter occisis, Carolus Cardinalis Borbonius, Petrus Lugdunensis Archiepiscop. alijq; Præsules in vincula conijciuntur, frustraq; summo Pontifice Regem exorante, ac etiam sub excommunicationis pœna monente, vt ipsos dimitteret, duro carceri mancipantur. Verum eodem Rege (iusto Dei iudicio) anno sequenti interfecto, publica acclamatione Carolus Card. Rex declaratus, ætate grauis, & à procellis, quib. Regnũ tũc agitabatur, perturbatus, prius quam carceris libertate donaretur, in castro, Fontaneio nuncupato, inter Pictones; liber ex hoc corporis ergastulo, excessit die Martis 8. idus Maij, anno 1590. Pontificatus Sexto, ætatis 70. cuius corpus in Normandiam portatum Sallioni in Carthusiensium Templo ab ipso antea ædificato, cum titulum S. Grisogoni optasset, & Principatum inter Presbyt. S. R. E. Cardinales teneret, sepulturæ demandatum est.

Mors Sixti Papæ V.

Anno Domini 1590. 6. Kal. Sept. die Lunæ hora 22. Sixtus V. summus Pont. anno ætatis 69. in Apostolico Palatio in Monte Quirinali ex hac vita migrauit, cuius corpus depositũ in Ecclesia S. Petri in Vaticano, & anno sequenti, quarto nonas Septembris Alexanndro Peretto Cardinale de Monte Alto eius pronepote curante, transportatum ad Basilicam S. Mariæ maioris in sacello Præsepis, quod splendide ædificarat, ponitur in altera nobili sepultura, quam sibi viuens erexerat in eodem sacello, altera etiam simili è regione Pio felicis memoriæ Papæ V. maximo sumptu erecta.

Vacauit Sedis Apostolicæ dies 18.

Eodem anno 5. Kal. Sept. die Martis de more funeralibus in Basilica Vaticana principium datum est, orauitq; in ipsius laudem Baldus Cataneus.

Eiusdem anni 7. idus Septembris, die Veneris Spiritus sancti missa ab Alfonso Gesualdo Episcopo Cardinale Portuense, & S. Rufinę cantata, conclaue, solito loco paratum 54. tunc præsentes Cardinales ingrediũtur, ac die Sabbathi 17. Kal. Octobris vnanimi voto ad summũ Pontificatum euehunt Io. baptistam Castaneam Romanum Presbyt. Cardinalem tt. S. Marcelli, Vrbanum postea 7. nuncupatum.



VRBANVS SEPTIMVS PONT. MAX.



ANNO CHRISTI MDXC.

Vrbanus Papa VII. non habuit signum.



MODERATIONIS, clementię, animi pacis, ac concordiæ studiosi fama; ijs.n. virtutibus opt. Pręsul, de quo nunc sermo; non opum, aut imperandi cupiditate flagrabat, per omnes Aulæ Romanæ procurationum gradus, Vrbanum VII. ad summi Pont. fastigium extulit Io. Bapt. Castaneam nobilem Romanum

manū anno 1521. pridie Nonas Augusti natum, quamuis Cosmus Pater nobilis Genuēsis esset, & Mater Constantia Riccia Romana Iulij Riccij, & Marciæ sororis Dominici Iacobatij Cardinalis filia, sub cuius disciplina, Io. baptista, & multo magis Hieronymi Cardinalis Veralli affinis sui, in Curiæ Romanæ negotijs multam contraxit experientiam, cum prius comparata legum scientia, Doctoratus Lauream Bononię, vbi multis annis studuit, vt antea Perusiæ, ac Patauij, fuisset consecutus. Seruijt igitur Cardinali Verallo, sub Auditoris nomine. Factus postea Aduocatus Consistorialis, & vtriusq; Signaturæ Referendarius, cum eodem Cardinale, obsignandis supplicibus libellis à Iulio Tertio, in Gallias ad Henricum, pro re Parmensi, & Mirandulana Legato profectus est, cui Romam inde reuerso, ab eodem Iulio Tertio præsidiatus Ciuitatis Fanensis cōmittitur; & paulò post; in gratiam eiusdem Cardinalis renunciantis Archiepiscopatus Ecclesiæ Rosanensis administratio, quem cum ipsius singularem in rebus administrandis virtutem, & prudentem dexteritatem pespexisset, in Perusina Gubernatione; & Paulus IV. in Prouinciæ Vmbriæ; & tandem Pius Papa IV. quibusdam differentijs circa cōfinia inter Ciuitatem Tranensem, & Spoletanam vertentibus, fini imponendo adhibuerunt. Cum porrò celeberrimo Tridentino Concilio interfuisset, ab eodem Pio IV. in Hispaniam ad Philippū II. Regem, Sedis Apostolicæ Nūcius mittitur, vbi; toto eiusdem Pij IV. Pontificatu, & Pij V. successoris, commoratus, Isabellā Clarā Eugeniā infantē, maiorē Regis filiam, tūc natā, quæ nuper Alberto Archiduci Austriæ, desponsata est, è sacro Baptismatis fonte leuauit. In Italiam à Gregorio XIII. accitus, ab eodē, cui; cum primū Romam peruenit, Rossanensem Ecclesiam renunciauit, eiusdem sedis Venetias Legatus mittitur, vnde peste imminente ab eodem Pont. etiam literis inuitatus; Bononiam flectens, eiusdem Ciuitatis Gubernio anno 1577. Nonis Ianuarij accepto, vnico tantum anno clauum tenuit, quippè cum pax, inter Belgas, & Philippum Regem

tractaretur, Coloniā mittitur, vt id omne; salua Fide cathol. & apost. dignitate, agatur. Inde Romā reuertenti, ad consulēdū rebus Ecclesiasticis, & sacræ Inquisitionis admisso, an. 1583. in septima nouemdecim Cardinalium ordinatione Romæ die Lunæ pridie Idus Decembris habita, optato S. Marcelli titulo Signaturæ gratiæ, & sanctissimæ Inquisitionis præfectura data, sacræ purpuræ honor defertur. Electus postea, cum alijs Cadinalibus ad status Ecclesiastici exules remittendos, biennio post Bononiæ Legatus, in ea Ciuitate, vsq; ad Gregorij mortem commoratur. A Sixto V. ad audiendas subditorum Ecclesiæ Romanæ quæstiones, & regularium extra claustra cōmorantium, & omnium Episcoporum, & ad alia maxima negotia pertractanda, deputatus, eadem semper animi moderatione, ac prudentia, qua multis propè anteibat, exercuit, quocirca mortuo Sixto V. summo Pontifice à 56. Cardinalibus in Conclaui, loco solito coactis concordi electione, in eius locum; propter egregias dotes, quib. felicissimè ab eo Pōtificatus poterat administrari, vniuersali applausu, die Sabbathi 17. Kal. Octob. hora 12. an. 1590. Vrbanus VII. nuncupatus, sufficitur, qui coronationis insignia de more suscipere non potuit ob breuitatem temporis; vixit. n. tantum 12. diebus Imperatore Rodulpho II. Austrio electo Cæsare.

Cardinales LXVII. viui, quando Vrbanus Septimus Pontifex declaratur.

Episcopi Cardinales VI.

PIVS IV.

Io. Antonius Sorbellonius Episcopus Cardinalis Ostiensis, & Veliternus, sacriq; Collegij Decanus.

Alfonsus Gesualdus Episc. Card. Portuensis, & S. Rufinæ.

Innicus Aualos Episcopus Cardinalis Tusculanus.

M. Antonius Columna Episcopus Cardinalis Prænestinus.

Ptolemæus Gallius Episcopus Cardinalis Sabinus.

Gabriel

Gabriel Palæotus Episcopus Cardinalis Albanus.

Presbyteri Card. XLVIII.

PIVS IV.

Marcus Sitticus, tt. S. Marię Transtiberim S.R.E. Archipres.

PIVS V.

Fr. Michàël Bonellus, tt. S. Laurentij in Lucina.

PIVS IV.

Ludouicus Madrucius, tt. S. Anastasiæ.

PIVS V.

Nicolaus de Pelleue, tt. S. Praxedis.
Iulius Antonius Sanctorius, tt. S. Bartholomæi in Insula.
Hieronymus Rusticuccius, tt. S. Susannæ.
Io. Hieronymus Albanus, tt. S. Ioannis ante portam Lat.

IVLIVS III.

Hieronymus Simoncellus, tt. S. Priscæ.

GREGORIVS XIII.

Petrus Deza, tt. S. Hieronymi Illyricorum.
* Gaspar de Quiroga, tt. S. Balbinæ.
* Albertus ab Austria tt. S. Crucis in Hierusalem.

PIVS V.

Antonius Carafa tt. SS. Ioannis, & Pauli.

GREGORIVS XIII.

Io. Antonius Fachinettus, tt. SS. Quatuor Coronatorum.
Io. Baptista Castanea, tt. S. Marcelli.
Alexander Medices, tt. SS. Quirici, & Iulitæ.
* Rodericus de Castro Basilicæ SS. duodecim Apostolorum.
* Carolus de Vendosme, tt. S. . . . .
* Franciscus de Ieyeuse tt. Sanctissimæ Trinitatis.
Iulius Cananius, tt. S. Eusebij.
Nicolaus Sfondratus tt. S. Cæciliæ.
Ant. Maria Saluiatus tt. S. Mariæ de Pace.
Augustinus Valerius tt. S. Marci.

Vincentius Laureus, tt. S. Clementis.
Philippus Spinula, tt. S. Sabinæ.
* Georgius Radziuuil, tt. S. Sixti.
Simeon Talliauia, tt. S. Mariæ Angelorum.
Scipio Lancellottus, tt. S. Saluatoris in Lauro.
Fr. Io. Vincentius Gonzaga, tt. S. Alexij.

SIXTVS V.

* Henricus Caëtanus, tt. S. Pudentianæ S. R. E. Camerarius.
Io. Baptista Castrucius, tt. S. Mariæ de Aracœli.
Fr. Federicus Cornelius, tt. S. Stephani in Monte Cœlio.
Dominicus Pinellus, tt. S. Laurentij in Pane, & Perna.
Hippolytus Rubeus, tt. S. Blasij de Annulo.
Hippolytus Aldobrandinus, tt. S. Pancratij S. R. E. maior Pœnitentiarius.
Hieronymus de Ruuere, tt. S. Petri ad Vincula.
* Philippus de Lenoncourt, tt. S. Onuphrij.
Fr. Hieronymus Bernerius, tt. S. Mariæ super Mineruam.
Antonius Maria Gallus, tt. S. Agnetis in Agone.
Fr. Constantius Sarnanus, tt. S. Petri in Monte aureo.
Guilielmus Alanus, tt. S. Martini in Montibus.
Scipio Gonzaga, tt. S. Mariæ de Populo.
Antonius Saulius, tt. S. Vitalis.
Euangelista Pallottus, tt. S. Matthæi in Merulana.
* Petrus Gondius, tt. S. Syluestri.
Ioannes de Mendoza, tt. S. Mariæ transpontem.
Io. Franciscus Maurocenus, tt. S. Mariæ in Via.
Marianus Perbenedictus, tt. SS. Marcellini, & Petri.
Fr. Gregorius de Montelparo, tt. S. Augustini.

Diaconi Cardinales XIII.

GREGORIVS XIII.

* Andreas ab Austria S. Mariæ Nouæ S.R.E. Archidiaconus.
Franciscus Sfortia S. Mariæ in via lata.

* Andreas Bathorius S. Angeli in Piſcina.

SIXTVS V.

Alexãder Perettus S. Laurentij in Damaſo S.R.E. Vicecãc.
Hieronymus Matthæius S. Euſtachij.
Benedictus Iuſtinianus S. Mariæ in Coſmedin.
Aſcanius Columna S. Nicolai in carcere.
* Fr. Hugo Leubenx S. Mariæ in porticu.
Federicus Borromæus S. Agathæ.
Auguſtinus Cuſanus S. Hadriani.
Franciſcus Maria de Monte S. Mariæ in Domnica.
* Carolus Lotharingus S. . . . .
Guido Pepulus SS. Coſmæ, & Damiani.

Obitus Vrbani VII. Summi Pont.

Anno Domini 1590. die Iouis 5. Kal. Octobris, hora 13. in Apoſtolico Palatio Vrbanus Papa VII. annorũ 70. datis vniuerſo terrarũ Orbi, ſummæ ſuæ religionis in Deum, & in pauperes, quibus omnes ſuas facultates legauit, eo exiguo tempore, quo vixit, ſignis; vt in omnem viueret ęternitatẽ, mortuus eſt. Erexerat antea in Eccleſia S. Auguſtini Eremitani ſacellum, in cuius ſepulchrũ corpus iuſſerat aſportari: verum; quãdo id moris eſt, vt ſummorum Pontificum corpora, vnius ſaltem anni ſpatio, in D. Petri Baſilica deponantur, ibi tunc tẽporis eius corpus contumulatum eſt.

Vacauit Sedes Apoſt. menſes 2. dies 8.

Quarto Kal. Octobris eiuſdem anni à Cardinalibus præſentibus; vt fit, funeralia in Vaticana Baſilica; orãte in ſummi Põtificis defuncti laudẽ, Pompeio Vgonio Romano, celebrantur.

Die Lunę eiuſdẽ anni, 8. idus Octobris, Spiritus ſancti Miſſa ab Alfonſo Geſualdo Epiſcopo Cardinale Portuenſe, celebratur; & Cardinales 52. præſentes; & paulò poſt Caëtanus,

& Andreas ab Auſtria,aduenientes, ingreſsi Conclaue, ſolito loco paratum, poſt multas difficultates ſuperatas, Nicolaum Sfondratum Mediolanenſem, Presbyt. tt. S. Cæciliæ Cardin. Cremonenſem, Gregorium XIV. dictum, die Mercurij, hora 17. nonis Decembris, ſummum Pontificem, & Eccleſię catholicæ Paſtorem declarant.

Mors vnius Cardinalis Sede vacante.

1 Fr. Federicus Cornelius.

I.

CORneliæ familiæ venetæ; præter cæteros ſex Cardinaliũ, qui minori centum annorum ſpatio, ex ea prodierunt, (res conſideratu dignisſima)quorum nomina, in elogio Aloyſij fratris à me poſita ſunt, gloria, nobilisſimæ; ſplendorem ſplendori addidit Fr. FEDERICVS eiuſdem gentis Ioannis Equitis,& Senatoris Veneti filius, anno 1531.18.Kal. Iulij die Mercurij natus. Is præclaram iuuentutem in humaniorib. literis; deinde in legali ſapientia, quam poſtea in rebus Reip. qualis eſt Veneta, florentisſimè exercuit, habituq; Rhodię militię ſumpto, Aloyſio Card. fratre renunciante, Prioratũ Inſulæ Cypri obtinuit, ac poſt minores eccleſiaſticas Dignitates, Epiſcopatus Traguriensis; mox Bergomenſis dignitate cohoneſtatus; à Pio Papa IV. ad Concilium Tridentinum mittitur, vbi, & ſuæ virtutis, & Venetæ indolis monumenta reliquit;& cum Concilium terminatum eſſet, ad Eccleſiam ſuam reuertens; ſic Conc. Decreta obſeruauit, vt totum clerum reformarit, & diuinum cultum propè extinctum, reuocarit, neque ſolum ibi: ſed etiam Patauij, cui; ea Eccleſia vacans, omnibus antepoſito demandata eſt, qui Romã concedens, ſub Sixto Quinto Pontifice Clericatu Cameræ Apoſtolicæ honoratur; & paulò poſt Cardinalatu in ſecunda octo Cardinalium promotione, die Mercurij 15. Kal. Ianuarij, anni 1585. Cardina-

dinalis tt. S. Stephani in Monte Cœlio insignitur. Deputatus postea super annonã frumentariam totius status Ecclesiastici, anno 1589. pridie Kal. Febr. coadiutorẽ sibi cũ futura successione Ecclesiæ Patauinæ, Abbatem Cornelium, tunc Episcopũ Paphẽsem electum, impetrauit; quæ successio citissimum principium sortita est, quandoquidẽ Cardinalis Romę anno 1590 die Iouis 4. nonas Octobris, Sede vacante, dum Vrbani Papæ VII. defuncti exequiæ fierent, & antequam Cardinales Conclaue ingrederentur, vitam hanc infelicem; vt felicem inciperet, finijt. Eius corpus depositum in Ecclesia Clericorum Regularium Theatinorum in Monte Quirinali, & nobilissimo sepulchro ad lęuam, ab ingressu eiusdem Ecclesię, à Greg. XIIII. à quo præcipuè dilectus est; cum tali epitaphio, honoratũ est.

Gregorius XIV. Pont. Max. Federico Cornelio S. R. E. Presb. Card. Episcopo Patauino, hoc coniunctissimæ amicitiæ posuit monumentum anno 1591. anno primo.

Translatum postea corpus ab hæredibus, Patauium, in Cathedrali Ecclesia, vbi in marmore huiusmodi verba leguntur, humatum est.

Federico Cornelio S. R. E. Cardinali, Episcopo Patauino, aduectis Roma ossibus, hæredes ex testamento PP. Vixit annos 59. menses 3. dies 20. obijt nonis Octobris 1590.

Præter domestica insignia, istud quoque Federicus duas .s. Rosas, clausam alteram, alterã apertam gestauit, cum hoc versu.

Vna dies aperit: conficit, vna dies.

GRE-

GREGORIVS XIIII. PONT. MAX.



ANNO CHRISTI MDXC.

GREGORII PAPAE XIV. SIGNVM.

Dexter a Domini exaltauit me.



THNICVS ille, naturã nouercam ſolebat appellare, quod volucribus pleriſq; ferè inutilibus, vt ſunt cornices, tam longam; homini verò ſumma vtilitate prædito, tam breuem vitam conceſsiſſet, idem nos fortaſsis dice-

diceremus, nisi fidei lumen nobis affulsisset, cum in medijs honorum fastigijs; ijs præsertim viris, à quibus maxima vniuerso terrarum Orbi emolumenta promanant, vitam adimere consueuerit, cuius rei exemplum lugubre nobis reliquit in Gregorio Papa XIV. ante Pontificatum Nicolao Sfondrato patria Mediolanense, origine Cremonēse, Francisci Iurisc̄ósulti celeberrimi, quem è Senatoria Mediolani dignitate, mortua Anna Vicecomite legitima vxore, Paulus Papa III. ad Cardinalatum promouit, filio, qui septem mensium, è mortuæ matris, visceribus extractus, *3.* idus Febr. anno 1535. in lucem hanc editus, prima ætate legum studio Perusiæ, & Patauij data opera; vbi etiam doctoralibus infulis fuit cohonestatus, cũ multum ad vitam Ecclesiasticam inclinaret, dum Senator Mediolanensis esset, habitum Clericalem sumens; Abbatis primum; deinde, cum annum ageret 21. anno Domini 1560. 4. idus Martij S. Gregorij Magni solenni die; renunciante Federico Cæsio, Episcopali, Cremonen. Ciuitatis dignitate insignitus, cuius Ecclesiam; donec ad Pontificatum assumptus est in ea; verum se Caroli Borromæi Cardinalis tt. S. Praxedis Mediolanensis Archiepiscopi, quo cum religiosissimè intercedebat necessitudo, & familiaritas, imitatorem, & decretorũ Concilij Tridentini, cui per triennium interfuerat, vigilantissimũ obseruatorem se demonstrans, summa pietate, & prudentia rexit, ac gubernauit. quas omnes religiosissimi viri virtutes, vbi cognouit Greg. XIII. eundem, cum octodecim Patribus, quos septimò promouit Romæ, die Lunæ anno 158*3*. pridie idus Decembris, creatum Presbyt. tt. S. Cæciliæ, absentem, in sacrum Collegium retulit; qui sequenti; fine Cardinalis Borromæi parentalibus imposito, cum Romã transijsset, pileo accepto, ad pascendum dominici Verbi cibo, ac custodiendum sibi gregem commissum, tendit; & anno 1587. à Sixto Papa Quinto Taurinum mittitur, vt ipsius nomine Philippum Emanuelem, Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis primogenitum è Baptismi fonte leuaret; quem Romã reuersum, ad reformandos

dos ritus,& cęremonias ecclesiasticas deputatum, mortuo Vrbano Papa VII. post longam,atq; sollicitam Sedem vacantem Cardinales præsentes, omnibus votis anno Domini 1590. in peruigilio S.Nicolai,quem intercessorem sibi apud Deum elegerat, die Mercurij Nonis Decembris hora 17.summum Pontificem elegerunt; cum annũ tantũ quintũ,& quinquagesimum ageret. Sabbatho porrò sequenti festo Conceptionis B. Mariæ Virg. ab Andrea Austriaco S. Mariæ Nouæ Cardin. inter Diaconos primo, suæ coronationis insignia suscepit. Sedit in Apostolica Sede Imperatore Rodulpho II. Austrio electo,Menses decem, dies decem.

Cardinales viui, quando Gregorius Papa XIIII. est creatus erant numero LXV.

Horum nomina nõ apposui, cum ijdem sint, de quib. supra, cum de Vrbano VII. Pont. renunciato, verba feci;demptis tamen eodem Vrbano, & F. Federico Cornelio vita functis. Inter hos Henricus Caètanus,& Andreas ab Austria qui tũc aberant, huic creationi interfuere.

Prima creatio vnius Cardinalis. Anno Domini MDXC. Pontificatus primo, die Mercurij decimoquarto Kal. Ianuarij Romæ.

GREGORIVS *Papa XIV. primò creauit vnum Card. qui fuit.*

1 PAVLVS Sfondratus Mediolanensis I. V. D.Pauli Papæ fratris filius Presbyt. Cardinalis tt. S. Cæciliæ absens.



Secunda creatio quatuor Cardinalium.
Anno Domini MDXCI. Pontificatus I.
die Merc. pridie nonas Martij Romæ.

GREGORIVS *Papa XIV. ſecundò creauit quatuor Cardinales, qui fuerunt.*

2 OCtauius Parauicinus Romanus Epiſcopus Alexandrinus, Sed. Apoſt. apud Heluetios Nuncius, Presbyt. Card. tt. S. . . . abſens.

3 Odoardus Farneſius Romanus, Alexandri Ducis Parmæ,& Placent. filius, Diac. Card. S. . . . abſens.


4 Octauius de Aquauiua, & Aragonia Neapolitanus, Io.Hieronymi Ducis Atriæ filius, vtr. Sign. Refer. Papæ Palatio Præfectus, Diac. Card. S. Georgij in Velabro.

5 Flaminius Platus Mediolanen. Rotę Audit. Diac. Cardin. S.M.in Domnica.

II.



III.



IV.



V.



Gregorius Papa XIV. duabus ordinationibus mẽſibus Martij, & Decembris factis, quinque Cardinales creauit; Presbyteros videlicet duos, & Diaconos tres.

Alexander Perettus de Monte Alto Diaconus Cardinalis S. Laurentij in Damaſo, S. R. E. Vicecancell. ſub Greg. XIV.

Cardinales quatuor mortui ſub Greg. XIV.

1 Antonius Carafa.
2 Io. Ant. Sorbellonius.
3 Io. Hieronymus Albanus.
4 Hieronymus Rubeus.

I.

CVm propter multa præclarè dicta; tum verò maximè ob vnum votũ, Rex Agamemnon ſuum poſteritati nomen commendauit. Votum ſapientiſsimi iſtius Regis illud erat, vt profiteri non dubitaret, breui ſe Ilium fuiſſe expugnaturum, ſi decem ſibi contigiſſent Neſtores; is enim præter ſummam prudentiam, maxima eloquẽtia excelluit. Quod quidem exoptaſſe videtur Eccleſia Rom. quando; tacitis quibuſdam vocibus, viſa eſt deſiderare, multos Præſules, ijs virtutibus præditos, quibus dotabatur Antonivs Carafa nobiliſsimus Neapolitanus, Reginaldi Equitis inſignis, & Ioannellę de eadem familia, mulieris ſpectatæ virtutis, filius, anno Domini 1538. 8. Kal. Aprilis, B. Virginis Annunciatæ die, in quodam ſuæ gentis Caſtro, quod Montemfalconem vocant, natus; in cuius Annunciationis peruigilio, triginta annis poſt, Antonius à Pio V. ad Cardinalatus dignitatem fuit aſſumptus. Is igitur (quia; vt in ſemine poſita ſpes meſsis eſt, ita totius reliquæ vitæ expectatio, ab educatione pueritiæ pendet) in honorarijs, ætatulæ annis honorificè (vt nobilitatem ſuam decebat) virtutibus inſtructus; expectationem, quam gentiles conceperant; non modo adæquauit: ſed etiam longè ſuperauit, annorum quippè ſexdecim aſſumpto iam, eiuſdem familiæ ad ſummum Sacerdotium Paulo IV. iter Romam arripiens, à Ponti-
fice

fice; non modò secreti cubicularij: sed etiam pontificij pincer nę titulis auctus, comite in studijs Alfonso, Montisbelli Marchionis filio, postea Cardinale; Guilielmo Sirleto, viro vndequaq; absolutissimo, propter virtutes suas sacra purpura donato; lingua græca instruendus datus, sub eo sic in virtutibus omnibus, & cum primis in eadem lingua profecit, vt in ipsa Athenarum Ciuitate: non Neapoli natus videretur, quo circa ab eodem Pontifice Romæ Canonicatum S. Petri obtinuit; à quo etiam (si diutius vixisset) sacram purpuram proculdubio erat accepturus. Mortuo igitur Paulo, atque illi succedente Pio Quarto, particeps earum molestiarum, ac miseriarũ, quas domus Carafa eo tempore patiebatur; Canonicatu priuatus, Roma, Patauium flexit, vbi in legum studia incubuit; & per aliquod tempus, animum curis eleuatum, leuauit. Verum, cum non se securum, illis in partibus videret, in eas oras, quas pater inter Brutios possidebat, cõcedens, ibiq; se in diuino seruitio, & in studijs occupans, præclara commentaria super Psalmos Dauid doctissimi Theodoreti è græco in latinum sermonem, nonnullosq; alios auctores super quinque libros Moysis, cum aliquibus orationibus Gregorij Nazianzeni, traduxit. Assumpto postea ad Pontificatum Pio Quinto, Romam reuocatur, eius causa diluitur, &; restituto Canonicatu, quo fuerat priuatus, à secretis cubiculi Pontificij admittitur; & cum summus Pontifex animum haberet (gratitudinis causa) aliquẽ familiæ Carafæ ad Cardinalatum promouendi; quanquã non deessent, qui maiorem sanguinis cum Paulo Quarto, cui se sacram purpuram debere intelligebat, contraherent cognationem: cognita tamen integra incorruptorum morum Antonij vita, singulari doctrina, atq; animo pro re Ecclesiastica imperterrito, ipsum tanquam Pauli alumnum, ea dignitate maximè dignum, secunda vice cum tribus Cardinalibus, Romæ anno Domini 1568. 9. Kal. Aprilis die Mercurij, Diaconũ Cardinalem S. Eusebij creatum; sequenti, mortuo Ioã. Antonio Cardinale Capizucco, Signaturæ gratiæ præfecit, collocans eundem

eundem in congregationibus sacrę Biblię, quę postea, ipsius opera, & diligentia castigata ad pristinum, quem amiserat candorem restituta est, Concilij Tridentini, Breuiarij, & Missalis reformandi. Et mortuo Io. baptista Cardinale Cicada, eius loco patrocinio Monacorum Montis Oliueti suscepto, eorum congregationem reformatam, in eadem; literarum studio introducto ad auitam regularium obseruantiam reduxit. A Gregorio XIII. post Cardinalem Alciatum Princeps congregationis Concilij, & mortuo Guilielmo Sirleto, Bibliothecarius Apostolicus declaratus, Collegij Maronitarũ protectionem, vt ante Collegij Gręcorum patrocinium suscepit, Diaconatu S. Mariæ in Cosmedin, deinde S. Mariæ in via lata optato e Diaconatu ad Presbyteratum tt. S.Eusebij; postea SS. Ioannis, & Pauli se transtulit. A Sixto V. cum alijs sacri Collegij Principibus Patribus super B. Didaci canonizationem; Regulares; interpretationem, & executionem Concilij Tridentini; impressionem Vaticanam deputatus; vltimo Sixti V.Pont.anno, graui hepatis inflammati morbo oppressus, cum medicorum consilio ad balnearia Lucæ se contulisset, ipso Pont. vita functo, inde Romam reuerti cogitur, vt Pontificijs comitijs intersit. Creato postea Vrbano VII.& eo inter duodecim dies è viuis erepto, cum iterum conclaue ingrederetur, sic passus est; vt renunciato Pont. Gregorio XIV. ex eo ab insolita pituitæ distilatione; spatio 4. dierum vita fuerit priuatus. Obijt igitur Romæ, morti præsentibus, atq; ad extremum agonem opem ferentibus Ludouico de Torres Montis Regalis Archiepiscopo spectatæ virtutis Præsule, nec non Patre Marcello Tosa Clericorum regularium Theatinorũ anno Domini 1591. Pontificatus primo, pridie Idus Ianuarij die Sabbathi, summo suæ summæ religionis, pietatis, ac doctrinæ desiderio omnibus relicto, de quib. virtutibus cũ hæ, præter reliquas in hoc Cardinale maximè eluxerint, aliquid dicendum esse non ab re fore iudicauimus. Hic adhuc Canonicus gloriosum S. Ioannis Chrysostomi corpus; ex abiecto, & indigno, ad excelsum,

 & di-

& dignissimum locum translatum, in S. Petri Basilicæ sacrario collocauit Pietatem marmoream à Michaële Angelo Bonarota Florẽt. elab oratã, ad cœlestis Regis honorẽ excitandũ populo, in prospicuo loco constituit. Ecclesias omnes, & præsertim Sanctorum Ioannis, & Pauli in Monte Cœlio titulum; & Neapoli sacellum gentilitiũ in Ecclesia S. Dominici erectũ, restaurauit; regio sumptu amplissimisq; donarijs illustrauit. Eandem pietatem; Ecclesia Collegij Maronitarum, ob mortem Gregorij XIII. imperfecta relicta, testamenti eius Legatione perfecta, cui Collegio maiorem facultatum suarum partem, onere imposito, vt quotannis, die S. Thomæ Aquinatis, quinquaginta aurei, pauperibus distribuerentur, & decem iuueni darentur, qui orationem in eiusdem Diui Thomæ laudẽ haberet, pecunia pauperibus, ac pijs locis delegata, ita testãtur, vt nulla penè domus, aut Congregatio Religiosorum, & Romæ, & extra Romam esset, quę eum tanquam Patrem liberalissimum non agnosceret; nullum Templum, nulla Ecclesia, nulla fermè iuuentus, & discendi, & iuuandæ Reip. Christ. cupida, quæ non eum, & religiosissimum, simulq; liberalissimum acclamarent; ac mortuum, diu, multumq; lugerent. Atqui; si non hæc satis (quæ certè vberrimè, atq; affatim) Antonij religiosam pietatem, & piam religionẽ patefaciunt; quid (Deus immortalis) patefaciet? Quod si quis eam sitam in vita, ac morum probitate arbitretur, inspiciat ieiunia, castigationes corporis, orationes, eleemosynas, lucubrationes, carnis edomationem, incorruptam, & illibatam virginitatem conseruatam, & quod nunquam rem sacram agere quotidie, nisi grauissimo morbo impediretur, intermisit. Quid mirum? quia ab his, ad quæ tamdiu anhelabat, & tandem post tot huius fluctuantis vitæ procellas peruenit, nulla poterat cogitatione diuelli, de cuius doctrina; vt aliquid ponamus, ex quo prudens lector, singularem scientiarum cognitionem tanti Præsulis, sapienti cognitione assequatur, aduertere licet. Præter Theodoretum de quo supra, & correctionem Canonico-

nicorum contextuum à Gregorio XIII. Pontifice ei commissam, in qua tantum elaborauit, vt postea ijdem contextus, cum septimi Tomi adiectione excuderentur. Huius auxilio ab innumeris pene mendis expurgata Ioannis Cassiani opera, & Eliç Cretensis auctoris græci super sanctum Gregorium Nazianzenum ad suam integritatem restituta fuisse. Bibliam grçcam septuaginta interprçtum, tot scholiorum vtilitate ad summam perfectionem traduxisse. Epistolarum decretalium summorum Pontificum antiquorum, quæ in Bibliotheca Vaticana conseruantur summo labore tres tomos in lucem edidisse; maximas lucubrationes in colligendis Concilijs Oecumenicis antiquis; tam græcis, quam latinis, & sua pristini candoris redintegratione donandis insumpsisse, quæ postea Federicus Card. Borromæus iuuenis, vt illius summã & religionẽ, & doctrinam missam faciam, viuum magni Caroli Cardinalis Sanctç Praxedis patrui, virtutum simulachrum, qui post Carafæ mortẽ, hanc Prouinciam suscèpit, impressit. Antonij Cardinalis corpus in Ecclesia S. Syluestri in Monte Quirinali ante gradus Altaris maioris, vbi marmoreus lapis sic inscriptus cernitur, sepelitur.

Antoni Carafæ Sanctæ Rom. Eccl. Presbyteri Cardinalis.

Ipsius funus, & gesta. P. Franciscus Bentius Societatis Iesu, elegãtissima oratione prosecutus est; ex qua; vt ex tertio Annalium tomo Illustrissimi Cardinalis Baronij, & Reuerendi Patris Thomę Bozij Oratorij Congregationis Sacerdotis, in operè de signis Ecclesiæ Dei inscripto, lib. 6. cap. 8. & ex Epistola dedicata Innocentio Nono ab Antonio Aquiso in Epistolis decretalibus; & ex alijs multis studiosus Lector copiosius; & laudes, & actiones huius magni Præsulis, quas nos; & vt nostrum breuitatis ordinem sequamur, & quia alium orationis stylum requirunt, prætermittimus, poterit videre.

II.

NEc minus insigni, ob res præclarè gestas, vita, quam Illustri morte comitatus est Io. ANTONIVS Sorbellonius nobilissimus Mediolanensis, Io. Petri, & Elisabethæ Raynoldæ filius, anno Domini 1519. natus, qui; cum fratres Gabrium, & Fabricium; arte militari omnes ferè nostræ tempestatis insigniores italos Equites superare, & ijsdem à Principibus Europæ, munera videret demandari honorifica, Ioannemq; Baptistam Episcopatu Cassanensi, & Hadrianæ molis custodiendæ à Pio IV. consobrino dignitate insigniri, ab ijs, quorum virtutem summopere æmulabatur, nihilum degenerauit; nam cum, & multiplici rerum, tum cognitarum, tum pertractandarum vsu polleret, ab eodem Pontifice ad Fulginatensem Episcopatum, ab hoc, anno 1560. Pont. I. pridie Kal. Februarij, die Mercurij, primò tribus electis Cardinalibus, ad S. R. E. Cardinalatum, tt. S. Georgij in Velabro euectus est. Quid memorem Nouaræ Episcopatum; Camertem, & paulò post Vmbriæ, & Perusiæ, ab eodem Pontifice Io. Antonio Legationes demandatas? in quibus obeundis, Pontificis expectationem, dignitatem Apostolicam retinendo, & populis iustitiam indifferenter administrando, pace, & rerum omnium affluentia introducta, vehementer exhilarauit? Anno 1564. Diocletiani Thermis ab eodē Pōt. Carthusianis Patrib. concessis, ijsq; in pulcherrimā Eccl. Deiparæ Virg. sacrā, redactis, eiusdem Ecclesiæ titulum, cœteris Cardinalium titulis adiunctum, Sorbellonius optauit, quem; cum in omnibus sui Pont. negotijs à consilijs adhibuisset, eiusdem opera postremo cum Cardinale Vitellotio Vitellio in fraudibus apostolicæ Sedi factis iudicandis, vsus est. Sub Pio V. è titulo S. Mariæ Angelorum, ad S. Petri in vincula; postea S. Clementis; & ex eo, ad S. Angeli translatus, à Gregorio XIII. eidem Episcopatus Albanus; deinde Prænestinus; post Tusculanus datus est. Sub Sixto V. electus Episcopus Portuensis, & S. Rufinæ, Alexādro

Card.

Cardinali Farnesio in Ecclesia Ostiensi, & sacri Collegij Decanatu successit. Hic primò Gregorij XIV. Pontificatus anno, salutis 1591. ætatis 72. die Veneris 15. Kal. Aprilis, hora 23. ex humana sollicitudine, ad diuinam requiem migrauit. Corpus eius honorifico tumulo in Ecclesia S. Mariæ de Thermis, è regione nobilissimæ memoriæ, quam ipse viuens, simul cum Cardinalibus Carolo Borromæo, & Marco Altaèmpsio, Pio Papæ IV. posuerat eiusdē magnitudinis inscriptis in marmore, his encomijs donatum est.

D. O. M.

Ioannes Antonius Sorbellonius Mediolanensis, Pij IV. Pontif. Max. Amitinus, Cardinalis S. Georgij, Episcopus Ostiensis, sacri Collegij Decanus, vir; Ciuili, prudentia, multoq. rerum vsu, præstans, personæ dignitatem apud summos Pontifices; auctoritate, consilio, publici boni studio per annos duos, & triginta, summa cū laude sustinuit. Vixit annos 72. obijt 15. Kal. Aprilis 1591. Fabritius Sorbellonius, Io. baptistæ filius, Gabrij nepos, ex testamento hæres, patruo magno bene merenti fecit.

III.

OMnium, quos prudentia, & consumatæ prudentiæ virtus discretio, vel ad summas dignitates euexit, vel illustres posteritati consecrauit, meritò dixerim Coryphęum Io. HIERONYMVM Albanum nobilissimum Bergomensem, Francisci Equitis egregij filium, atq; in has auras anno salutis 1504. quo Pius V. natus est, receptum. Qui; vt erat à natura, felici præditus ingenio, iuuentute consumpta in legali sapientia, qua I. C. celeberrimos longè superauit, vxorem sumpsit; ex qua etiam filios à patria indole nihilū degenerantes, suscepit. Animo postea ad arma conuerso, in ijs exercendis, talem nactus est rei militaris cognitionem, & cum cognitione vires; vt in multis bellis, perhonorificis muneribus habi-

tis Reip. Venetæ Collateralis Generalis factus sit. Verum enimuerò; ne quis fortè in viro tam strenuo, zelum honoris diuini frigere existimet, facinus illud insigne Bergomi patratum memoria repetat, necesse est. Sedente Paulo Tertio inquirebat Bergomi ea tempestate in hæresim Fr. Michaël Alexandrinus (de quo à nobis multoties) & præsertim in quendam; hæretico contaminatum contagio, & propter diuitias, & propter gentilium, & amicorum Bergomi nobilitate præcipuum; vt igitur tumultus, quorum iamiam enascentium manifestissima se se ostendebant inditia, sedaret, ad Io. Hieronymũ, quẽ summo dominici ardoris zelo ardere sciebat, accurrit; implorans, vt opem sibi in hac re ferat. Vir inquisitus de hæretica prauitate, iam è carcere, vi à parentibus extractus fuerat, iamq; & de eo rursus carceri mancipando, & de tot ciuibus castigandis penè conclamatum videbatur, quando; ecce Io. Hieronymus sic agit, vt prius coram Quæstore reum carceri restitutũ, ad cognitionem veritatis; quamuis frustra, adducere conetur, & eo operante Fr. Michaël in omnes complices solenniter sacrum Officium exerceat, huncq; Venetias mittat, vbi postea miserrimè mortuus est; vt tandem totam Ciuitatem fluctuantem, ad pristinam deducat tranquillitatem. Hoc igitur heroico Io. Hieronymi facinore, sibi alta mente reposito, Alexandrinus (præter quam quod, dum etiam in eiusdem Ciuitatis Episcopum inquireret sub Iulio Tertio, multis humanitatis officijs fuerat ab eodẽ acceptus) ad Põtificatũ assumptus, beneficiorum memor, Romã vocat, eumq; Protonotariatu Apostolico, & Piceni Præfectura; nõ modo cohonestat: sed in tertia promotione Romæ, die Mercurij 16. Kal. Iunij, anno 1570. Pont. V. Presbyterũ Card. tt. S. Ioannis ante portam Latinã creat, cuius Ecclesiam restauratam, ad eam formam, quæ nunc cernitur, deduxit. Cum igitur eum, cũ alijs Patribus sacri Collegij ad alienandos cẽsus super bonis Ecclesiasticis impositos, quo bellum in Gallijs cõtra hæreticos susceptum continuaretur, & fœdus contra Turcas belli, cum Principibus initi, susci-

pere-

peretur, deputasset; eius consilio in eo bello; vti viri arte militari maximè præditi, vsus est. obiuit igitur hoc munus, vt cætera semper, maxima sui cum gloria, tum apud eundem, ipsiusq; successorem, tum apud Sixtum Quintum, à quo Io. Hieronymo causarum audiēdarum status Ecclesiastici subditorū, ijsq; opportunè consulendi, & viarum, fontium ad aquarum cursum, restaurandarum, prouincia demandatur. Is; vt paucis Albanum circumscribamus, vir fuit summæ grauitatis, & in voto dando immutabilis, & maximè liber, ac in salib. edēdis facetus: sed non mordax; in sententia verò pronuncianda sapientissimus; qui obijt Romæ annorum ætatis 87. die Sabbathi 7. Kal. Maij, hora noctis 5. anno Pont. Greg. XIV. I. salutis 1591. relinquens posteris suæ doctrinæ monumenta, Commentaria super Bartholū in lege Ciuili; Consilia, & Tractatus de Cardinalatu: De Donatione Constantini Imperatoris Ecclesiæ Romanæ facta. De Ecclesiarum, atq; eorum, qui ad ipsas confugiunt, immunitate. De Concilijs, & summorū Pontificum potestate, quæ omnia; per manus hominum delata, eius singularem doctrinam; vt ipsius pietatem, Ecclesiarū restaurationes, eidem, & præsertim sacræ Aedi Lauretanæ oblata munera, in omnem posteritatem sunt conseruatura. Corpus Albani ibi sepultum est in Ecclesia S.Mariæ de populo, cū hoc elogio.

Io. Hieronymo Albano Bergomensi Cardinali, I. C. generis nobilitate, morum elegantia, vitæ splendore, monimentis ingenij, doctrinæq; clarissimo. Reipub. Venetæ Collaterali Generali, matrimonio, ac cœlibatu, asperis, & secundis rebus, æque probato, catholicæ Religionis egregiè dictis, ac factis assertori, ac vindici, ac ob eas res à Pio V. summo Pontifice difficillimis, populi Christiani tēporibus in Collegium Cardinalium adscito, in sententijs dicendis facundia, grauitate, sapientia singulari, extrema iam ætate, pios inter amplexus carorum, & oscula sensim extincto. Ioannes Dominicus Cas. Comes, parenti optimè merito P.C. Vixit annos 87. obijt 7. Kal. Maias, an. sal. 1591.

IV.

IN elogio Hippolyti ex Illustrissima Rubeorũ familia, Parmæ, nobilissimæ inter, Insubres Ciuitatis, cuius olim Principatum obtinuit; Petri Mariæ Sãcti Secundi Marchionis, Bercetiq; Comitis, ac Camillæ Gonzagę filij anno 1532. nati, merito morem Lacedemoniorum retinuerimus, qui præclaros viros; dum nescirent tamen, quid nomen Diuini significet, diuinos appellitabant, nec absimili argumento Homerus suos heroas frequenter θεῷ ἐίκελος idest Deo similes dixit. Quæ nominis appellatio; si cui conueniat, Hippolyto conuenit, si .n. respicimus doctrinam; ecce humaniores literę, Philosophia, Theologia, & leges pontificiæ, quibus operam dedit, quę mirifice eum exornant; si verò descendimus ad res in Aula Romana gestas, quis ignorat, sub disciplina Ioannis Hieronymi patrui, ea tempestate inter Aulicos primas tenentis, cui Clemens VII. & Paulus III. cognita fide ac diligentia; præter minores dignitates, Abbatiã Clareuallensem in ora Placentina; Clericatum Cam. & Episcopatũ Ticinẽsem contulere; quamuis postea, æmulorum quorumdam inuidia apud Pauli III. beneuolentiam naufragium sit passus, multaq; incommoda forti animo, atq; æquo sustulerit, tanta excelluisse rerum in eadem aula pertractandarum solertia, vt patruum quodammodo superari visus fuerit. Educatus igitur, vti dicebamus, à Patrui tam celebris institutione; cum nobilitatem suam admirabili quodam omnium virtutum genere magis, ac magis illustraret, Romam se transferens inter familiares Pij IV. eo ipso tempore, quo summus Pont. electus est, à secretis cubiculi recipitur, in quo munere exercẽdo, cum se eum eidem qualem tota Curia romana prædicabat, præbuisset, summus Pont. Protonotarium Apostolicum; & paulò post anno 1561. electum Episcopum Ticini, renunciante patruo, qui se Florentiam contulerat, vt pacatius residuum vitæ transigeret, declaratum ad Concilium Tridentinum mittit, vbi Hippolytus. & in senten-

tia

tia dicenda grauis; & in quæstionibus exagitandis, peracutus; & in orando eloquens, cæteros Patres in sui traxit admirationem. Confecto porrò Concilio ad commissum sibi gregem custodiendum concedens; in Concilij Decretis executioni mandandis; in rebus Ecclesiasticis reformatione restaurandis; Seminarijs, Xenodochijs, ac Cœnobijs erigendis nullā partē, quā boni Præsulis esse sciret, prætermisit. Relictis ergo his suæ pietatis, & religionis testimonijs, Ecclesia, ac Palatio Episcopali ad eam speciem formæ, quæ talem Præsulem addicebat, redactis, his, actionibus heroicis ita animum Sixti V. Pontificis ad illum cohonestandum commouit, vt anno 1585. Pontif. I. die Mercurij, 15. Kal. Ianuarij, secundò Comitijs habitis, in Cardinalem Presbyterum tt. S. Mariæ in porticu crearit, qui tantæ dignitatis honor nihilum in eo mutauit mores; siquidē ea dignitas fuit firmissimus quidam cardo, quo hærens quotidie magis, ac magis redditus Ecclesiasticos pauperibus distribuens; viduis, ac pupillis, consilio, auctoritate, atq; opib. subueniens, charitatis officia exercebat. Vnde meritò sanctissimi Præsulis, & digni Caroli Card. Borromæi societate, indefessiq; eius virtutum imitatoris, nomen comparauit. Non multas Romæ moras protraxit, nisi quantum pilei sumptio, & Sedes vacantes duæ post mortem Sixti V. successę postulabāt. Creatis ergo Vrbano VII. & postea Greg. XIV. in huius anno Pōtificatus I. sal. 1591. die Lunæ 4. Kal. Maij, annorum 59. cum vniuersali omniū dolore, terrenas reliquit exuuias; eiusq; corpus sepultum est in suo titulo S. Blasij de annulo, quem; loco S. Marię in porticu sub Sixto V. optarat, in quo ante Altare maius literis æneis insculptū in marmore, videre est sequēs epitaphium.

D. O. M.

Hippolyto Rubeo Cardinali, auitæ nobilitatis splēdore, summaq; virtutis laude clarissimo, qui Episcopus Ticinensis, Concilio Tridenti-

dentino interfuit, in suaq; Ecclesia triginta annos regenda, paternam in populum sibi commissum, charitatem; perpetuum in retinenda Ecclesiastica disciplina studium, singularem; in omni vita integritatem præstitit. Ioannes Vincentius, & Scipio Cardinales Gonzagæ testamenti executores affini, & collegæ optimo, posuere. Vixit annos 59. obÿt 4. Kal. Maÿ 1591.

Præter gentilia Insignia, duos libros, veteris, & noui testamenti indices gestauit, cum hoc apophtegmate; *Regimen hinc animi.* & Orthophili, recti amatoris nomine.

Birretum rubeum S. R. E. Cardinalibus Regularibus datum.

Anno Domini 1591. 7. idus Maij, die Dominico sanctissimæ Trinitatis, in solenni, quam vocant Capella, in Basilica Sanctorum duodecim Apostolorum habita, Gregorius Papa XIV. quatuor Birretis rubeis, solenniter benedictis, ea quatuor Cardinalium Regularium, eo tempore viuentium, capiti posuit; qui hi fuerunt.

1 Fr. Michaël Bonellus Ord. Prædicat. pronepos Pij Papę V. Episcopus Card. Albanus. dictus Alexandrinus.

2 Fr. Hieronymus Bernerius de Corrigio eiusdem Ordinis Prædicatorum à Sixto Papa V. creatus, tunc S. R. E. tt. S. Mariæ super Mineruam Presb. Card. Asculanus nuncupatus.

3 Fr. Constantius Sarnanus, Sixti V. tt. S. Petri in Monte aureo Presb. Card.

4 Fr. Gregorius Petrochinus Montelparus Ordinis S. Augustini Eremitani, eiusdem Sixti Papæ V. tt. S. Augustini, Presb. Card.

Portabant de antiquo more Cardinales regulares eiusdem coloris cuius erat habitus religionis, in qua fuerant professi Birretum, neq; illis quidquam purpurei præter Pileum pontificale concedebatur.

Mors

Mors Gregorij Papæ XIV.

Anno Domini 1591. Idibus Octobris die Martis hora 7. noctis Romæ in Palatio S. Marci ætatis annorum 57. Gregorius Papa XIV. ab hoc exilio in cœlestem patriam euolauit. Eius corpus die sequenti 17. Kal. Nouembris in lectica ad Vaticanũ, facibus accensis, comitantibus familiaribus, ac custodibus deportatum, ibi in Ecclesia S. Petri in Sacello gregoriano è regione monumenti Gregorij XIII. sepelitur.

Vacauit Sedes Apostolica dies 14.

Sextodecimo Kal. Nouemb. eiusdem anni de more maiorũ in Basilica Vaticana parentalia Gregorij XIV. celebrata sunt, supremo honoris calculo accedente Pont. laudatore eloquentissimo Vincentio Blasio Garsia Valentino Hispano.

Eodem anno die Dominico 6. Kal. Nouembris Spiritus sancti sacrum ab Alfonso Gesualdo Episcopo Cardinale Ostiense, & Veliterno celebratur. Cardinales præsentes numero 56. conclaue, consueto loco ingrediuntur, & vnanimi voce summum sacerdotem die Martis 4. Kal. Nouembris, spatio duorum dierum, Ioannem Antonium Fachinettum Bononiensem tt. SS. quatuor Coronatorum Presb. Cardinalem, Innocentiũ Papa IX. dictum, declarant.



INNOCENTIVS IX. PONT. MAX.



ANNO CHRISTI MDXC.

Innocentius Papa IX. non habuit signum.



QVOT, quantæq; laudes Innocentij Papæ Noni, Ioannis Antonij antea nuncupati, nomen verendum, clarissimumq; faciant; summũ Pontificatus maximi honorum omnium fastigium, ad quod diuini Numinis benignitas eum extulit, satis apertè declarat. Is Bononię è parentib. hone-

honestis, religiosissimisq; Antonio Fachinetto à Nuce, & Frãcisca Tita anno 1519. tertio decimo Kalendas Augusti ortus; honorarijs annis ineuntis ætatis, in diuersis scientijs: sed præsertim in legibus insumptis, I. V. D. effectus, anno 1544. 5. idus Martij, Romam iter arripuit; Vbi Nicolai Ardinghelli Cardinalis, Pauli Papæ III. à secretis, seruituti se committẽs, per hunc, & in gratiam, & in familiaritatem Alexandri Cardinalis Farnesij Pontificis nepotis, venit, qui hominis dotes tacita quadã animaduersione venatus, eumq; ad munera quæque obeunda aptissimum ratus. Auinionẽsis Ecclesię Vicariũ, cuius ipse Archiepiscopatum moderabatur, eo mittit, vbi per quadriennium commoratus, Parmam ad illius status administrationem summa cum Farnesiorum approbatione, & populi voluptate flexit. Romã postea reuersus, V.S. Referẽdariatus toto Pauli IV. Pontificatus tempore, munere obito, à Pio IV. in ipsis Pontificatus primordijs anno sal. 1560. electus Episcopus Neocastrensis, Concilio continuando indicto, Tridentum, mittitur, vbi se virum, qui tam celebri cætu interesset dignum ostendens, anno 1566. à Pio V. Pont. Sedis Apostolicæ Nuncius Venetias legatur, quo celeberrimum illud fœdus contra Turcas, cum Hispaniarum Rege, & ea Rep. contrahendum; ea, qua pollebat & doctrina, & prudentia, tractaret. Ab hac Legatione Romã, anno, Greg. XIII. Põt. I. reuersus; inde ad residendum in Ecclesia sua cõcedit, vbi; & vitæ exemplo, & doctrina populum instruens, atq; ad diuinum cultum inflammans, earum partium Episcopos, in recta Ecclesiæ administratione longè superauit. Hinc porrò Romam ab eodem Greg. accitus, ad dandum in Signatura, & S. Officio consilium, ac sententiam dicendam deputatus, renunciata Ecclesia Neocastrensi anno 1576. Patriarcha Hierosolymitanus declaratur, & eidem anno 1583. Pont. XII. S. R. E. Presbytero Cardin. tt. SS. quatuor Coronatorum creato, cum octodecim Cardd. sacra purpura defertur, in eademq; S. Officij Congregatione relinquitur; ad Bannitos Ecclesiasticæ Ditionis remittendos; & ad

& ad res Signaturæ constitutus, quem Sixtus V. in Congreg. regularium adhibens, patrato illo summo scelere Herico III. Galliarum Rege contra Cardinalem, ac Ducem Guisium, & Cardinalem Borbonium, de quo supra in ipsorũ elogijs, Sixtus Papa V. in ea quinque Cardinaliũ Congregatione, vt cõsilium daret, quidnam in tam arduo negotio agendum esset, elegit. A Gregorio XIV. cum; propter infirmam valetudinem ipse Signaturæ interesse non posset, rerum in ea gerẽdarum prouincia tota illi demãdatur, in cuius demortui locũ etiã vniuersa Christiana Rep. applaudente, quod sibi summa de tã prudente, ac pio Pastore polliceretur, anno 1591. 4. Kal. Nouembris, die Martis, hora 23. à Cardinalib. in Conclaui duobus solummodo diebus commoratis, Innocentius Papa IX. dictus, suffectus est. Dominica proxima, 3. nonas Nouembris, ab Andrea Austrio Archidiac. S. R. E. Cardin. Coronationis insignia priuatim, quod ab alijs summis Pontificibus publicè, ac maxima pompa super gradus ante portam Basilicæ Vaticanæ fieri consueuit, in xisto, quod forum S. Petri respicit, & vbi Bulla Cœnæ Domini legi solita est, suscepit. Sedit in Apostolica Sede, Rodulpho II. electo Imp. duos menses tantum.

Cardinales LXV. viui, quando Innocentius Papa IX. creatus est.

Episcopi Cardinales VI.

PIVS IV.

Alfonsus Gesualdus Episc. Card. Ostiensis, & Veliternus, sacri Collegij Decanus.
Innicus Aualos Episcopus Card. Portuensis, & S. Rufinæ.
M. Antonius Columna Episcopus Cardinalis Prænestinus.
Ptolemæus Gallius Episcopus Cardinalis Tusculanus.

Gabriel

Gabriel Paleotus Episcopus Cardinalis Sabinus.

PIVS V.

Fr. Michaël Bonellus Episc. Card. Albanus.

Presbyteri Card. XLVI.

PIVS IV.

Marcus Sitticus, tt. S. Marię Transtiberim S.R.E. Archipres.
Ludouicus Madrucius, tt. S. Laurentij in Lucina.

PIVS V.

Nicolaus de Pelleue, tt. S. Praxedis.
Iulius Antonius Sanctorius, tt. S. Bartholomæi in Insula.
Hieronymus Rusticuccius, tt. S. Susannæ.

IVLIVS III.

Hieronymus Simoncellus, tt. S. Priscæ.

GREGORIVS XIII.

Petrus Deza, tt. S. Hieronymi Illyricorum.
* Gaspar de Quiroga, tt. S. Balbinæ.
* Albertus ab Austria tt. S. Crucis in Hierusalem.
Io. Antonius Fachinettus, tt. SS. Quatuor Coronatorum.
Alexander Medices, tt. SS. Ioannis, & Pauli.
* Rodericus de Castro Basilicæ SS. duodecim Apostolorum.
* Carolus de Vendosme, tt. S. . . . .
Franciscus de Ieyeuse tt. Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio.
Iulius Cananius, tt. S. Anastasiæ.
Ant. Maria Saluiatus tt. S. Mariæ de Pace.
Augustinus Valerius tt. S. Marci.
Vincentius Laureus, tt. S. Clementis.
Philippus Spinula, tt. S. Sabinæ.
Georgius Radziuuil, tt. S. Sixti.
Simeon Talliauia, tt. S. Mariæ Angelorum.
Scipio Lancellottus, tt. S. Saluatoris in Lauro.
Fr. Io. Vincentius Gonzaga, tt. S. Alexij.

SIX-

SIXTVS V.

Henricus Caëtanus, tt. S. Pudentianæ S. R. E. Camerarius.
Io. Baptiſta Caſtrucius, tt. S. Mariæ de Aracœli.
Dominicus Pinellus, tt. S. Chryſogoni.
Hippolytus Aldobrandinus, tt. S. Pancratij, S. R. E. maior Pœnitentiarius.
Hieronymus de Ruuere, tt. S. Petri ad Vincula.
* Philippus de Lenoncourt, tt. S. Onuphrij.
Fr. Hieronymus Bernerius, tt. S. Mariæ ſuper Mineruam.
Antonius Maria Gallus, tt. S. Agnetis in Agone.
Fr. Conſtantius Sarnanus, tt. S. Petri in Monte aureo.
Guilielmus Alanus, tt. S. Martini in Montibus.
Scipio Gonzaga, tt. S. Mariæ de Populo.
Antonius S[illegible]ius, tt. S. Stephani in Monte Cœlio.
Euangeliſta Pallottus, tt. S. Matthæi in Merulana.
* Petrus Gondius, tt. S. Syluestri.
Ioannes de Mendoza, tt. S. Mariæ tranſpontem.
Io. Franciſcus Maurocenus, tt. S. Mariæ in Via.
Marianus Perbenedictus, tt. SS. Marcellini, & Petri.
Fr. Gregorius Petrochinus, tt. S. Auguſtini.

GREGORIVS XIV.

Paulus Sfondratus, tt. S. Cæciliæ.

SIXTVS V.

Benedictus Iuſtinianus tt S. Marcelli.
Auguſtinus Cuſanus, tt. S. Laurentij in Pane, & Perna.
Franciſcus Maria de Monte, tt. SS. Quirici, & Iulitæ.

GREGORIVS XIV.

Octauius Parauicinus, tt. S. . . . .

Diaconi Cardinales XIII.

GREGORIVS XIII.

Andreas ab Auſtria S. Mariæ Nouæ S. R. E. Archidiaconus.

Fran-

Franciſcus Sfortia S. Mariæ in via lata.
* Andreas Bathorius S. Angeli in Piſcina.

SIXTVS V.

Alexãder Perettus S. Laurentij in Damaſo S. R. E. Vicecancell. Papæ Summator.
Hieronymus Matthæius S. Euſtachij.
Aſcanius Columna S. Mariæ in Coſmedin.
* Fr. Hugo Leubenx S. Mariæ in porticu.
Federicus Borromæus S. Nicolai in carcere.
* Carolus Lotharingus S. Agathæ.
Guido Pepulus SS. Coſmæ, & Damiani.

GREGORIVS XIV.

Odoardus Farneſius S. . . . .
Octauius de Aquauiua S. Georgij in Velabro.
Flaminius Platus S. Mariæ in Domnica.


Prima creatio duorum Cardinalium.

Anno Domini MDXCI. Pontificatus primo, die Mercurij quatuor Temporũ, decimo quinto Kal. Ianuarij, Romæ.

INNOCENTIVS *Papa IX. primò creauit duos Cardinales, qui fuerunt.*

1 PHilippus Sega Bononienſis Epiſcopus Placentinus, Sedis Apoſtolicæ in Regno Galliæ Nuncius, Presbyt. Card. tt. S. . . . . . abſens.
2 Antonius Fachinettus Bononienſis Papæ ex ſorore Pronepos, vtr. Sig. Refer. Diac. Card. S. . . . .

I. II.



Innocentius Papa IX. vna tantum ordinatione Mense Decembri facta, duos Cardinales, Presbyterum vnum, & Diaconum vnum creauit.

Alexander Perettus S. Laurentij in Damaso Diaconus Cardinalis, S. R. E. Vicecancellarius sub Innocentio Papa IX.

Cardinales tres, vnus sub Innocentio, duo verò Sede vacante mortui.

1 Fr. Io. Vincentius Gonzaga.

Mors Innocentij Papæ Noni.

2 Ioannes de Mendoza.
3 Hieronymus de Ruuere.

I. Quan-

I.

QVantum gentilitia nobilitas familiæ Gonzagæ, inter Italos ſereniſsimæ Fr. Io. VINCENTIO, Ferrantis Molfetæ Principis, Equitis, inter Italos clariſsimi Caroli Quinti Imperatoris, Mediolanenſis Ditionis adminiſtratoris, Siciliæq; Proregis, necnon Iſabellæ Capuanę nobiliſsimæ filio, in ea Prouincia Panormi anno 1540. 7. idus Decembris, dum pater Proregem ibi ageret, nato, cõtulit ornamenti; tãtum decori genti ſuæ, ac Italiæ ipſius eximia virtus fuit. Is, cum dotibus, quibus à natalitijs fuerat ditatus, & literarum, (Patauij.n. humanioribus ſe excoluit literis)& armorum (nam militaris virtus in illo eximia fuit) cognitione cõiuncta, adhuc iuuenis; ob merita patris de Rhodia Religione benè merentis Prioratu Baruli, vna cum habitu, & Cruce illius nobiliſsimæ militiæ donatus, cum Melitam, vt munere ſuo, cum Magno Magiſtro, ac Religione fungeretur, veniſſet, ab eodẽ perhonorificè excepto, ſua ſingulari virtute demonſtrata, multa perhonorifica munera;& præſertim Generalatus triremiũ eiuſdem Religionis, demandata ſunt. Reuocatum poſtea à Guilielmo Mantuæ Duce conſobrino, vt ei in Ducatus adminiſtratione; conſilio, ac prudentia opem aliquam ferret, eodemmet inſtante (duobus Cardinalib. eiuſdem familiæ; altero anno 1563. ad Concilium Tridentinum, cuius pro S. Sede Apoſtolica Præſidens erat, Ioan. Vincentij patruo Hercule; altero Franciſco eiuſdem Ioannis Vincentij fratre, Sede vacante; ob mortem Pij Quarti, mortuis) Gregorius Papa XIII. an. 1578. Pont. VI. in quinta Patrum promotione Romæ, die Veneris, 9. Kal. Martij, habita, Diaconum Cardinalem S. Georgij in Velabro; & paulò poſt S. Mariæ in Coſmedin creauit. qui ſequenti Leonoram Auſtriam Ducis vxorem, in Germaniam; vt affines viſeret, & euntem, & redeuntem, comitatus eſt. Sub Sixto V. ex Diacono, Presbyter tt. S. Alexij factus, atque ad populi Eccleſię ſubditi aggrauati, cauſas audiendas, ijsq; con-

fulendum, deputatus, si non annorum grauitate; certè gloria, quam sibi viuens, propter virtutes, & præcipuè liberalitatem, qua familiaribus suis multos aureos quotannis distribuendos, iisdem impertitus est; 11. Kal. Ianuarij, hora 21. anno salut. 1591. Innocentij IX. Pont. I. nobilem hanc vitam, cum nobiliori commutauit; sepultumq; est eius corpus in ipsius titulari Ecclesia, cui pulcherrimas vestes sacras, & omnem suam ad rem sacram agendam supellectilem, reliquit, atque ibi ad perpetuam ipsius memoriam insculptum est in marmore tale epitaphium.

D. O. M.

Io. Vincentio Cardinali Gonzagæ, viro ad beneficentiam nato; genere, nobilitate, atq; animi dotibus, præclaro, maiorum suorum æmulatori H. P. C. Vixit annos 51. dies 15. obijt 22. Decembris 1591.

Mors Innocentij Papæ IX.

Anno Domini 1591. 3 Kal. Ianuarij, die Lunæ, inter vndecimam, & duodecimam horam, quo tempore Luna eclipsim patiebatur, Innocentius IX. Romæ in Apostolico Palatio, ætatis annorum 73. summo cum omniũ dolore; ex ipsius enim Pontificatu, maxima Reip. Christianæ emolumenta proditura fore, constanti omnium opinione credebatur, huius vitæ nostræ luminis defectum; vt æterno empyrei lumine frueretur, passus est, eiusq; corpus in Basilica Vaticana apud Vrbanũ Papam VII. socium, & eiusdem sortis participem, depositũ est.

Vacauit Sedes Apostolica dies 31.

Pridie Kal. Ianuarij eiusdem anni, die Martis, inceptis exequijs, de more, in ipsius funere orauit P. Benedictus Iustinianus Societ. Iesu.

Eodem

Eodem anno, 4. idus Ianuarij, die Veneris; celebrata Spiritus sancti Missa ab Episcopo Cardinale Gesualdo, Cardinales præsentes numero 52. Conclaue, solito loco paratum, ingressi; post multas hinc inde difficultates superatas, Hippolytum Aldobrandinum Florentinum Presbyterum Cardinalē tt. S. Pancratij, maiorem S. R. E. Pœnitentiarium 3. Kal. Februarij, hora 19. die Iouis, in Innocentij IX. locum suffecerūt; qui sub Clementis Papæ VIII. nomine nunc (atq; vtinam diutissimè, ac felicissimè) sedet.

II.

ELogio donare etiam licet hominem plenum officij, & ad omnium animos, ac voluntates deuinciēdas, Ecclesiæ ornamentum, firmamentum literarum, domicilium virtutis, & eruditionis IOANNEM de Mendoza Hispanum, ex illustrissima quinq; Cardd. Petro. s. Gondissaluio Sixti IV. Didaco Hurtado, Alexandri VI. Innico, Clementis VII. Frācisco, Pauli Papæ III. & ipso Ioanne, de quo nunc insignita familia in Ciuitate Caraca, vulgo Guadalagiara nuncupata quinquaginta millibus passuum à Madrilio distante, ortum Ducis Infantatus, inter Hispaniæ Dynastas Principis filium, qui in Complutensi Academia Artibus liberalibus; sed presertim artiū, ac scientiarū regina Theologia sibi comparatis, Doctore Frācisco Sanchies Theologo insigni vsus, Salmanticensis maioris Ecclesiæ Canonicatu à Petro Gonzalez de Mendoza, Ciuitatis eiusdem Episcopo ipsius patruo donatus, creatur Archidiaconus Talaueræ; & mortuo Didaco Castellano, Ecclesiæ Toletanæ Decano, ea dignitas post Archidiaconatum prima, Ioanni; multis, & nobilissimis, & doctissimis viris præposito, concessa est. Hunc in gratiam Philippi II. Regis, à quo propter eximias virtutes summoperè diligebatur; an. 1587. Pōt. Tertio, 15. Kal. Ianuarij die Veneris; absentem, Presbyterū tt. S. Mariæ Transpontinæ creatum, in sacrum Collegiū Sixtus V. Pont. Max. adscripsit, qui postea pridie Kalendas Febru-

bruarij, anno 1589. Romam veniens, & totam Curiam, præsentia sua (erat.n.summa corporis elegantia, prçditus) recreans, in publico Consistorio cardineum pileum accepit, quãquam ipse, tunc, ob Decanatũ, de quo supra, quod ei ex Concilio Tridentino residere in illa Ecclesia, ac ipsum coram administratore opus esset, alijs collatum, non mediocrem sensit animi cõmotionem. Postea verò, quam Ferdinandus Medices ob Francisci Magni Ducis fratris mortẽ, Cardinalitiã deposuit purpuram, ab eodem Rege, Hispaniarũ Protector Ioannes declaratus est; mirũq; sanè fuit, quod tam breui trium, scilicet annorum spatio, Romç commoratus, tribus Sedibus vacantibus interfuerit, ac bis Conclaue introierit; tertio etiã, ob Clementis Octaui D. N. creationem ingressurus, nisi; ex hac mortali vita; seu potius morte egrediens, ad æternam vitam, annorum ætatis 44. Sede vacante, ob mortem Innocentij IX. dum nouendalia celebrantur, die Mercurij 6. idus Ianuarij, anno 1592. hora 16. fuisset ingressus. Corpus eius depositum Romæ in Ecclesia Societ. Iesu, ab Alexandro Farnesio ædificata, in quodam sepulchro lateritio ad tempus, vbi infrascripta verba leguntur; postea in Hispaniã in Ecclesia Sancti Francisci Gualdagiara eius patriæ, fuit translatum.

Ioãnes Cardinalis Mendoza Protector Hispaniæ.

III.

IN Europa totius terrarum Orbis celeberrima parte, nobilissima est, & clarissima familia Ruuerea, & præsertim in Italia, vbi; prçter Ducatus Vrbini, Soræ, Senogalliæ, Pisauri, multas terras etiam in Pedemontana ditione, ab ea diuersis temporibus possessas, quibus etiam nunc in maiori parte dominatur, genuit viros; pace, belloq; illustrissimos, & inter hos 11. S. R. E. Cardinales; comprehensis tamen in hoc numero ijs, qui ex mulieribus eiusdem familiç nati, & ad Cardinalitiam dignitatem euecti, Ruuereæ gentis insigne, & cognomen

men ſuſceperunt; quorũ primi duo, patruus, ac nepos, ad Põtificatum aſſumpti ſunt, ſub Sixti IV. & Iulij II. nomine, Fr. Franciſcus, videlicet ex familia Pedemontana; quæ Sauonam poſtea Liguriç Ciuitatem ſe transferens; ibi commorata eſt, Pauli II. Cardinalis, cui immediatè in Pontificatu ipſe ſucceſſit, & Iulianus ipſius nepos Pij Papæ III. ſucceſſor. Alij fuerunt Chriſtophorus, & Dominicus fratres, ex eadem gente Ruuerea Pedemontana, & Hieronymus Epiſcopus Recinetenſis, à Sixto IV. Cardinales creati: Galeottus Frangiottus Epiſcopus Lucæ; Fr. Sixtus Gara Archiepiſcopus Beneuentanns; Fr. Clemens Groſſus, & Leonardus fratres Iulij II. Cardinales, & Iulius, Vrbinas creatus à Paulo Tertio; & tandem Hieronymvs à Sixto V. ſacra purpura inſignitus, cuius præclara geſta ſummatim; vt noſtri moris eſt, recenſebimus. Filius is fuit Lælij Equitis Taurinenſis, & Ioannæ filiæ Comitis de Planzaſco in caſtro, Viconouo dicto, quod pater poſsidebat anno Domini 1530. 13. Kal. Februarij ortus; qui in primis ætatis ſuæ incunabulis, religioſiſsimè à parentibus educatus; ætate iam grandis, in Ticinenſi Gymnaſio, vbi nouem annis cõmoratus eſt; excellentis ingenij, incorruptorum morum, ſingularis eloquentiæ, qua dotabatur; & præſertim Legum ciuilium cognitionis, quibus poſtea in Patauino Studio diligentius operam nauauit, mirificè ſigna præbens, ab Alfonſo de Aualos Vuaſtij Marchione, & ea tempeſtate Mediolanenſis Ducatus Gubernatore, vt vna cum filijs ſuis, inter quos alter (Innicus nomine, poſtea Cardinalis Aragonius) in ſtudijs pernoctaret, inuitatus; paulò poſt inſtantius à Franciſco I. Rege Galliarum accerſitus, Pariſium flexit; vbi ab eodem Rege ſplendidiſsimè ſtipendio donatus, per ſex annos in illa florentiſsima Academia totum ſe literis, & linguarum cognitioni dedit; quem in Italiam reuerſum, Guido Vbaldus de Ruuere Dux Vrbinas, Iulio fratri ſuo (qui paulò poſt in ſacrum Collegium adſcitus eſt) ſtudiorum ſocium addixit, in cuius laudem; dum pileum, Pauli Papæ III. nomine portatum à Ranuccio Farneſio Card.

nepote, Pisauri acciperet, eloquentissimè latinè orauit, quod prius fecerat in anniuersario coronationis Pauli Papæ III. & postea fecit, quãdo idẽ Dux Iulio Papæ III. paulò ante ad Pótificatũ assumpto, obediẽtiam pollicitus est, necnon & in morte Henrici II. & Francisci IX. Galliarum Regum in lingua Gallica, quorum primo multum se debere confitebatur, quod mortuo Cardinale Triuultio, ab eodem ad Cathedralem Ecclesiã Tolonensem nominatus fuisset, vt etiam apud alterum, & Carolum ipsius successorem Oratoris munus Emanuelis Philiberti Ducis Sabaudiæ exercuit, à quo, quia ei Taurinum cum multis alijs castris suæ Ditionis, quæ Galli possidebant, restitui curarat, grati animi ergo, Metropolitanam Taurinensem Ecclesiam; ob mortem Cæsaris Cibò vltimi Archiepiscopi Tridenti ad Conciliũ demortui, vacantẽ, Hieronymo anno 1564. eãdem renunciante Cardinale Aragonio, de quo supra, cui eã Pius IV. tunc concesserat, ab eodem summo Pontifice impetrauit. Dictis igitur, & integerrimè vitæ exemplo, sic egit, vt vno, & eodem tempore, & populum instrueret, clerum reformaret, & Decreta Concilij celebrati seruaret, vnde; non modo Pastoris optimi nomine: sed sacra purpura dignissimus prædicabatur, qua; instante quidem Carolo Serenissimo Sabaudiæ Duce, sed multò magis proprijs meritis, à Sixto V. anno Domini 1586. Pont. II. die Mercurij 16. Kal. Ianuarij, titulo S. Petri ad vincula accepto, cuius Templum ornamentis expoliuit, & palatium huic contiguum, temporis vetustate dirutũ, maxima pecuniæ impensa, restaurauit; & (propè dixerim) denuo extruxit, insignitus fuit. Admissus postea ab eodem Pótifice ad sacram, quam vocant, Consultationem; patrocinio Fratrum Minorum Conuentualiũ suscepto; cum ei vulgo propter singulares virtutes summum Sacerdotium deferretur, inclusus, cum alijs in Conclaui, ob Innocentium Nonũ, vita functum, vitam cum morte commutauit (animam per quatuor horas commendante Hippolyto Aldobrandino Cardin. S. R. E. maiore Pœnitentiario) quamuis; vt ab hoc abstineret propter

morbi

morbi contagium, ei multi suaderent. Obijt Hieronymus 7. Kal. Febr. hora noctis 7. anno Domini 1592. legatis prius Ecclesiæ Taurinensi omnibus suis sacris vestibus, atq; ornamentis, necnon summa pauperibus, & familiaribus suis pecuniarũ quantitate, cuius corpus extra Conclaue in sacellum Gregorianum, Basilicæ S. Petri portatum, & toto die Dominico populo commissum, in gentilitio sepulchro, in Ecclesia titulari S. Petri ad vincula sepultum est, vbi ad celeberrimam Iulij Papæ II. memoriam, monumentum Hieronymi ex plastite confectum, atq; hoc elogio insignitum cernitur.


D. O. M.

Hieronymo de Ruuere tt. S. Petri ad vincula, Presbytero Card. Taurinen. Archiepiscopo, qui à pueritia; admirabilis ingenij, linguarum scientia, eloquentiæ, mox prudentiæ, ac doctrinæ, insigne dedit documentum, virtutisq́, & nominis sui celebritate ita semper apud Magnos Principes, & Nationes claruit, vt nullo vnquã honoris gradu non dignissimus haberetur. Lælius, & Iulius fratres patruo optimo PP. Vixit annos 61. menses 11. dies 26. obijt septimo Kal. Febr. dum Comitijs Pontificijs in Conclaui interesset. 1592.



CLE.

CLEMENS VIII.
PONT. MAX.



ANNO CHRISTI MDXCII.
SIGNVM CLEMENTIS PP. VIII.

Protector noster aspice Deus.

N litore Hadriatico inter Pisaurum, & Senogalliam non longè à Metauro amne situm est Fanum Ciuitas, Ecclesiasticæ ditioni subiecta, in qua ortus est CLEMENS Papa VIII. tametsi antiqua familia Aldobrãdina Florenti-

rentina sit: in cuius panegyrico elogio vndiq; campum se mihi laudum latissimum video reserare. Si.n.respicio parentes; ecce mihi Syluestrum in legibus, & Ciuitatum administrationibus (Romæ.n.insignis Consistorialis Aulæ Aduocatus, rerumq; ciuilium, ac capitalium multis in locis Præfectus fuit) non modo populorum confessione: verum etiam librorum in lucem editorum prædicatione celeberrimum. Si porrò oculos conuerto in matrem Lesam Detã, in ea angelicos mores elucere, ac eam suauissimum sanctissimæ vitæ odorem sentio exhalare. Quid fratres? alios alijs, breuitatis meæ non immemor relinquo, Ioannem tantum attingo, qui sibi, & vitæ sanctimonia, & legum sacrarum, ac imperialium cognitione aditum ad Cardinalatum patefecit, de quo in ipsius elogio. Veniamus modo ad eum, quem nihilum gentis splendor illustrauit: sed ipse gentilium splendorem, splendore suo auxit, Hippolytum dico, qui ab ipsa ineunte ætate, quodammodo summum Pontificatum spirare visus est, quando post humaniores literas (Alexandro Cardinale Farnesio, qui ab ipsius adolescentia, quos senectutis euentus esset habiturus, præuidebat, ad literarum studia eum adhortante, fouenteq;) legibus animũ in Ferrariẽsi Ciuitate instruxit, eundemq; postea in Bononiensi ijsdẽ Doctore Gabriele Palęoto I.C. postea sacræ Rotæ Auditore, Cardinale, & Archiepiscopo Bononiense, qui tũc temporis leges in ea Academia profitebatur, vbi Hippolytus lauream Doctoratus consecutus, in alias Italiæ partes, atque etiã in Hispanias migrauit, vt; & cum diuersis nationibus agẽdo, & excellentissimos viros in omnibus scientijs in celeberrimis illis vniuersitatibus audiendo, maiorem sibi compararet legum cognitionem. Romam postea profectus à Pio V. Põt. cui Syluester pater in Pauli Papæ Quarti Pontificatu fuerat gratissimus, cum summus Pontifex Ioannem fratrem ex Auditoribus Rotæ in purpuratorum numerum transtulisset Hippolytum Aduocatum Consistorialem; in locum Ioannis, in sacra Rota suffecit, maximo cum eorum Patrũ applausu, quod

nam

tam religiosum, tam eruditũ, & tam prudentẽ virum haberent collegã, quem idẽ Pontifex sequenti anno misso Fr. Michaële Bonello Card. Alexandrino pronepote ad Reges; in Hispaniã ad Philippũ II. in Lusitaniã ad Sebastianũ, & ad Carolnm IX. in Gallias Legato, quò fœdus contra Turcas initum confirmaretur, & vt Principes ad eos oppugnandos excitarentur, alijsq; de causis ad Ecclesiam, & Religionem catholicam spectantibus, inter eos Præsules, quos cum Legato misit, elegit, vt eum consilijs in ijs legationibus adiuuaret, in quibus dandis Hippolytus nihil omnino opinionem summi Pont. fraudauit. Romam inde reuersus, Auditoris officium, ostendens se in sententijs dandis incorruptum; toto Pij Papæ V. & Gregorij XIII. Pontificatu, summa cum laude exercuit. A Sixto Papa V. obsignandis supplicibus libellis deputatus, ab eodem anno 1585 Pont. I. in secunda Patrum promotione die Mercurij 15. Kal. Ianuarij creatus Presbyt. tt. S. Pancratij; tota Curia gestiente, ad maiorẽ dignitatem euectus est. Sequenti in summi Pœnitentiarij munere Philippo Cardinali Boncompagno succedens, eiusq; opera in obsignatione libellorum supplicantium vsus, sub nomine Prodatarij; ecce anno 1587. ob mortẽ Stephani Bathorij Transyluaniæ Principis, & Poloniæ Regis; cum multi Regnum ambirent, res ad Maximilianum Austrium Archiducem, & Sigismundum Suetiæ Principem reducitur, & cũ populi in Rege nominando dissentirent, diuisi vtrinq; manus, captiuo ducto Maximiliano à Magno Poloniæ Cãcellario cõseruere, cuius captiuitate; Principum, ac populorum ciuilib. discordijs commotus summus Pont. vt maximis, quæ Reipub. Christianæ imminebant periculis consuleret, anno 1588. 16. Kal. Iunij Hippolytum Legatum de latere declaratum, cum se lecta minoris ordinis Patrum caterua, inter quos tu Laurenti Blanchette Cardinalis amplissime, tunc sacræ Rotæ Auditor, adfuisti eo mittit, quo Apost. auctoritate, ac prudentia sua tot procellis sedatis, in libertatem Maximilianũ redigat, & populos tranquillitate, ac quiete donet; nulla mora, eo aduolat Hippolytus,

polytus, quo vbi peruenit, cum Rodulpho II. electo Imperatore, & cum Sigismundo Poloniæ Rege colloqui, & cum alijs super hoc negotij deputatis publicè ac priuatim pluribus agere in congregationib. Bathomiæ, atq; Rēdzonij ad idem coactis, quibus omnibus felicissimè peractis, Deo benè adiuuante, & Hippolyti prudentia media, 7. idus Martij sequentis simultatum fluctus eleuantur, populorum tumultus sedantur, & Maximilianus libertate donatꝰ, Pōtifex de rei successu ab Hippolyto fit certior Cynthio Passaro ex sorore nepote iuuene optimè indolis, incredibilis doctrinę, ac prudentiæ, cui familiæ insigne, ac cognomen, & sacram purpuram postea dedit, Romā misso, quo duodecim dierū spatio à Cracouiæ cōfinijs, vt etiā post Cardinalis peruenit 5. Kal. Iunij, maximo cum honore à Pont. Max. ac Patrib. exceptus, qui ab eodē super Regulares, & immoderati vestitus, ac dotiū Ecclesiastici status reformationē, vt etiam à successorib. Vrbano VII. Gregorio XIV. & Innocentio IX. in alijs negotijs deputatus; cum in sui beneuolentiam omnes Cardinales, eo maximè charitatis signo, de quo nos paulò ante, cum de Ruuereo, traxisset, ab ijsdem 3. Kal. Februarij hora 19. anno salutis nostræ 1592. ætatis 56. mirificè euectum; in demortui Innocētij locum, ipsorū suffragijs summus Pontifex renuniatus 4. nonas Februarij die Dominico, Beatæ Mariæ Virg. Purificationis, ab Alfonso Gesualdo Ostiense, sacri Collegij Decano, assistentibus Ptolemæo Gallio Tusculano, Gabriele Palæoto Sabinense Episcopis; Nicolao Pelleueo tt. S. Praxedis Presbytero, Francisco Sfortia S. Mariæ in via lata, Alexandro Peretto S. Laurentij in Damaso, & Odoardo Farnesio S. Hadriani Diac. Cardd. vniuersalis Ecclesiæ, Episcopus cōsecratus est; octauoq; post die priuatim coronationis insignia à Francisco Sfortia, primo inter Card. Romæ degentes, Diac. Card. suscipiens, Clemens Papa VIII. dictus sedet Rodulpho Austrio electo Roman. Imperat. In cuius laudes, ob gloriosa omniūq; seculorum dignissima in Pontificatu gesta facinora hucusq; certauit: ac in posterū certatura est præclarorum Authorū industria.

Cardinales viui, quando Clemens Papa Octauus Pont. Max. renunciatus est, erant numero LXIII. Ex quibus LII. Conclaui interfuerunt.

Superfluum duximus ipſorum nomina apponere, cum ijdem ſint, qui ſupra in Innocentij Papæ Noni creatione poſiti ſunt; exceptis eodem Innocentio Pontif. Fr. Io. Vincentio Gonzaga, Ioanne Mēdoza, Hieronymoq; Ruuereo Cardd. vita functis; cum eiſdemq; connumeratis Filippo Sega inter Presbyteros tunc nouiſsimo, qui aberat; ac Antonio Fachinetto præſente, vltimo inter Diaconos; Cardinalibus ab eodem Innocentio renunciatis.

Prima creatio quatuor Cardinalium. Anno Domini MDXCIII. Pontificatus II. die Veneris 15. Kal. Octobris Romæ. Apud S. Marcum.

CLEMENS *Papa VIII. primò creauit quatuor Cardinales, qui fuerunt.*

1 LVcius Saxus Nolanus ex Regno Neapolitano, Epiſcopus olim Ripæ, vtr. Sig. Refer. Decanus, ſacroſanctæ Lateranenſis Baſilicæ Vicarius, Papæ Datarius, Presbyter Card. tt. SS. Quirici, & Iulitæ.

2 Franciſcus Toletus Cordubenſis Hiſpanus, ſacræ Theolog. Doctor, Societ. Ieſu, Papæ à ſacris concionib. Presbyter Card. tt. S. Mariæ tranſpontem.

3 Petrus

3 Petrus Aldobrandinus Romanus, Petri fratris Papæ filius, Protonotarius Apostolicus, Abbas SS. Vincentij, & Anastasij, Arcis S. Angeli Pręfectus, Diaconus Cardin. Sancti Nicolai in carcere.

4 Cynthius Passerus Aldobrandinus Senogalliensis, Iuliæ sororis Papę filius, vtriusq; Signaturæ Referendarius, Diaconus Card. S. Georgij in Velabro.



I. II.




III.

III.



IV.



Secunda creatio ſexdecim Cardinalium.

Anno Domini MDXCVI. Pontificatus V. die Mercurij nonis Iunij, Romæ apud Sanctum Petrum.

CLEMENS *Papa VIII. ſecundò creauit ſexdecim Cardinales, qui fuerunt,*

5 SIluius Sabellus Romanus Archiepiſcopus olim Roſſanenſis, deinde Patriarcha Conſtantinopolitanus, Presbyter Card. tt. S. Mariæ in via.

6 Laurentius Priulus Venetus Patriarcha Venetiarum, Presb. Card. tt. S. . . . abſens.

7 Fran-

7 Frãciſcus Maria Taurusius Politianus Tuſcus Congregationis Oratorij S.Mariæ, & S. Gregorij in Vallicella Archiepiſcopus Auinionenſis Presb. Card. tt. S. Bartholomæi in Inſula, abſens.

8 Octauius Bandinus Florentinus Tuſcus Archiepiſcopus firmanus Presb. Card. tt. S. Sabinæ abſens.

9 Franciſcus Cornelius Venetus Epiſcopus olim Taruiſinus Cameræ Apoſtolicæ Præſidens Clericus Presb. Card. tt. S. Martini in Montibus.

10 Domnus Anna de Cars de Giuri Gallus Ordinis S.Benedicti Epiſcopus Lexouiẽſis Presb. Card tt. S. . . . . abſens.

11 Franciſcus de S. Georgio ex comitibus Blandratæ Caſalenſis, Epiſcopus Aquenſis Presb. Card. tt. S. Clementis.

12 Camillus Burgheſius Romanus Camere Apoſtolicæ generalis Auditor Presb. Card. tt. S. Euſebij.

13 Cęſar Baronius Soranus ex Regno Neapolitano Congregationis Oratorij S. Mariæ, & S. Gregorij in Vallicella, Protonotarius Apoſtolicus de numero participantium Presb. Card. tt. SS. Neræi, & Archillæi.

14 Laurentius Blanchettus Bononienſis Rotæ Auditor Presb. Card. tt. S. Laurentij in Pane, & Perna.

15 Franciſcus Muxica de Auila Abulen. Hiſpanus Archidiac. Toletanus Commiſſarius Generalis Cruciatæ, & Conſiliarius ſanctiſſimæ Inquiſitionis in Regnis Hiſpaniarum Presb. Card. tt. S. Syluestri abſens.

16 Ferdinãdus Ninno de Gueuara Toletanus Hiſpanus Regni Granatę Pręſid. Presb. Card. tt. S. Blaſij de Annulo, abſẽs.

17 Bartholomęus Cęſius Romanus V.S.R. ac Papæ Generalis Theſaurarius, Diac. Card. S. Mariæ in porticu.

18 Franciſcus Mantica Vtinenſis, Foroiulienſis Rotæ Auditor Diac Card. S. Hadriani.

19 Pompeius Arrigonius Romanus Rotæ Audit. Diac. Card. S. Mariæ in Aquiro.

20 Andreas Perettus de Monte Alto Picenus Diac. Card. S. Mariæ in Domnica.

V.



VI.




VII.




VIII.



IX.



X.




XI.




XII.




XIII.



XIV.



XV.



XVI.



XVII.

XVII.



XVIII.



XIX.



XX.



Tertia creatio vnius Cardinalis.
Anno Domini MDXCVI. Pontificatus V. die Mercurij 15. Kal. Ianuarij, Romæ, apud S. Petrum.
CLEMENS *Papa VIII. tertiò creauit vnum Cardinalem, qui fuit,*

21 PHilippus Vuilielmi Ducis Bauariæ filius, Episcopus Ratisponensis, Presbyt. Card. tt. S. . . . absens.

XXI.



Clemens Papa Octauus ordinationibus tribus mensibus Iunij, Septembris, & Decembris hucusq; factis, vnum, & viginti Cardi-

Cardinales creauit, videlicet Præsbyteros quatuordecim, & Diaconos septem.

Alexander Perettus Diac. Cardin. S. Laurentij in Damaso, Sanctæ Rom. Ecclesię Vicecancell. sub Clemente Papa VIII.

Cardinales numero 25. hucusq; mortui sub Clemente Papa Octauo, & vnus, qui dignitatem remisit.

1 Iulius Cananius.
2 Philippus de Lenoncourt.
3 Vincentius Laureus.
4 Scipio Gonzaga.
5 Philippus Spinula.
6 Nicolaus de Pelleuè.
7 Carolus Borbonius.
8 Guilielmus Alanus.
9 Gaspar Quiroga.
10 Marcus Sitticus de Altaemps.
11 Fr. Hugo Verdala.
12 Io. baptista Castruccius.
13 Fr. Constantius Sarnanus.
14 Io. Franc. Maurocenus.
15 Philippus Sega.
16 Franciscus Toletus.
17 M. Ant. Columna.
18 Gabriel Palæotus.
19 Fr. Michaël Alexādrinus.
20 Franciscus Cornelius.
21 Scipio Lancellottus.
22 Philippus Bauarus.
23 Albertus Austrius, qui dignitatem remisit.
24 Augustinus Cusanus.
25 Guido Pepulus.
26 Siluius Sabellus.

I.

NEmini, vt est in poetica fabula, ad Proserpinam iter patebat, nisi prius ramũ aureum è luco decerpsisset. Quod figmentum; meo sanè iudicio videtur esse hieroglyphicum eorum, qui ad dignitates aditum sibi patefaciunt; ijs.n. nunquam ad eas iter patere potest, nisi prius ramum aliquem scientiarum ex luco Musarum decerpserint. Quod præter cæteros fecit IVLIVS Cananius nobilis Ferrariensis, Ludouici, & Lucretiæ Brancaleonæ filius, anno 1520. natus, qui vbi ex incuna-

cunabulis excessit honorarijs ephebis in humaniorum literarum, atq; artis Rhetoricæ studio consumptis adolescentẽ ætatem legibus commisit, & lauream doctoratus consecutus, Romam flectit, vt in ea curia operam suam præstet, vbi non multa mora protracta; à secretis à Balduino Montio; nec multo post à Io. Maria Card. Balduini fratre excipitur, in quo officio exercendo promptum, ac diligentem se demonstrans, tantum Cardinali satisfecit, vt summus Pontifex renunciatus, illi res (insolita) Fiat, quod supplicibus libellis subscribitur, cõcederet, quod munus septẽ annis exercuit; plurimi apud Pontificem factus, qui ei Episcopatum Hadriensem detulit, eidem vt (dicebatur) sacram etiam purpuram daturus, nisi mors impedimento fuisset. Mortuo Pontifice, ad Ecclesiam suam se contulit Iulius, vbi in populo rectè instituendo, nullã boni Pastoris partem prætermittens, ad celebrandum Concilium Tridentinum sub Pio IV. cum alijs Patribus conuenit, ibiq; opinionem, quam de eo; tanquam de pio, erudito, atq; eloquente viro conceperant omnes, confirmauit. Huius opera, consilio, ac singulari prudentia in arduis status negotijs, Alfonsus Ferrariæ Dux, Hippolytus Cardin. eius patruus, & Aloysius Card. Estensis Ducis frater vsi sunt, apud quem Aloysium aliquandiù Romæ cõmoratus, anno 1581. prouinciam ab eo suscepit, assistendi Fr. Ioanni Leuesque de la Cassiera, Magno Religionis S. Io. bapt. Hierosolymit. Magistro, qui à cõsilio; inusitato exemplo, à Magisterio suspensus, Romam de Gregorij XIII. venia, quò illi causam suam patefaceret, fuerat profectus; ac regio apparatu hospitio ab ipso Card. Estense exceptus, in cuius, & serenissimæ illius gentis gratiam; præter propria merita Iulius, ab eodem Gregorio XIII. in septima nouẽdecim Cardinalium promotione Romæ, anno Redemptionis nostræ 1583. Pontif. XII. die Lunæ, pridie idus Decembris, creatus est Presbyter Cardinalis tt. S. Eusebij. Legatus biennio post à Sixto Papa V. Aemiliæ declaratus, recta ea Prouincia sapienter, ac iustè, ab eodem, ad accõmodandas vias, pon

tes,

tes, & cursus aquarũ deputatus; in sacra super Episcopos, atq; alios Præsules cógregatione annumeratur. A Gregorio XIV. Episcopus Mutinensis anno 1591. eligitur, ad quam Ecclesiã possidendam, creato prius summo Pontifice Clemente VIII. se conferens, cum paulo post Ferrariam ad Ducem inuisendũ flexisset, ibi mortifero; nó benè à Medicis cognito morbo oppressus annorum 72. 4. Kal. Decembris, die Iouis, anno Domini 1592. Pont. I. in Ferrariæ Arce, vbi à Duce hospitio fuerat exceptus, ab hac ad meliorem vitam migrauit. Eius corpus triduo in sacello eiusdem Ducalis Castri populo commissum, assistentibus assiduè quibusdam Religiosis viris, pro defuncto orantibus, qui singula quaque hora permutabantur, maximè solenni pompa Kal. Decembris ab omnibus Religionũ ordinibus, Clero, ac Ciuitatis Magistratib. comitatus, ad Ecclesiam S. Dominici portatur, ibiq; in sacrarij pauimento cótumulatur; exequiæ ipsius peramplæ (nam Ducis sumptu, vt etiam funus) factæ sunt.

II.

APparet manifestum certamen Naturæ, & Principum beneuolentiæ in singularibus dotibus ditando PHILIPPO de Lenoncourt Gallo in quodam castro gentis suę Copeuray nominato Parisijs non longè distante. Huius familia ortum traxit ex oppido Lenoncourt Ducatus Lotharingiæ, pater verò apud Regem Nauarræ Antonium Borbonium educatis nobilissimæ indolis filijs, tanti; ob seruitutem ingenuã fuit, vt ijdé in eius nobilissima familia, & Valesia, quæ tunc in Gallijs regnabat maximè confidentes inter vtramq; postea in tractationibus rerum, ac titulis participarint. Porrò inter patris fratres fuit ille ipse Robertus, qui ad Cardinalitiam dignitaté à Paulo Papa III. euectus, cum Romam concederet Philippũ hunc nepotem suum secum duxit, qui cum; pręter nobilitaté familiæ, moresq; ingenuos, pulcherrima membrorum symmetria à natura donaretur, pulcherrimus eques Gallorum, qui in Italia degerent, dicebatur. Is in Galliam reuersus à Regibus; patruo

patruo Cardinale renunciante Prioratum, de Charitate dictũ, in Niuernensi Diœcesi, & duas ditissimas Abbatias; mox Episcopatum Cathalaunensem; post Antisiodorensem, factus primus Regni Cancellarius, & status Gallici Consiliarius, obtinuit, atq; ab his aditum sibi ad Cardinalatum patefecit, quo eum Sixtus V. Pontifex in tertia octo Cardinalium promotione Romæ 16. Kal. Ianuarij die Mercurij anno Domini 1586. Pont. II. Presbyterũ tt. S. Onuphrij declaratũ, insigniuit; maximoperè, instante Hẽrico Tertio Galliarũ Rege, à quo; præter alia, in quibus ipsum adhibuerat summi momẽti seruitia, anno elapso fuerat missus ad Henricũ Nauarrę, hodie Galliæ Regem, vt eũ adhortaretur, ad se Catholicum declarandum, à quo tale respõsum accepit, vt si tunc armis renunciatum fuisset, totus terrarum Orbis multo ante ea consolatione, quam nunc ab ipso conuerso recognoscit, affectus fuisset, quæ omnia Cardinalis Romam veniens Sixto V. aperuit, qui nisi tam intempestiuè obijsset; proculdubio Regem ipsum tunc Ecclesiæ reconciliasset, à quo Philippus super Indicem librorum prohibitorũ deputatus, vix vbi è Roma in Gallias peruenit propter rebellionem Lutetię Parisiorum, Rothomagum versus aufugere, vna cum Rege cogitur, & fortè fortuna à Comitijs Blęsis indictis, quo Regnorum ordines cõuocabantur, vbi Guisiorum Cardinalis, & Ducis mors secuta est, abfuit. Declarato postea ab Henrico Tertio Valesio in infelici morte sibi in Galliæ Regno Nauarræ Rege altero Henrico, successore, Cardinalis eidem intactã fidem (credens ipse firmiter, ac pro rato habens Regem futurum catholicum) semper conseruauit. verũ in illis turbulẽtissimis bellorum, ac simultatum procellis, cum quædam dissensio esset exorta inter Cardinalem, & Comitẽ Suissonensem, Cardinalis; vt pericula imminẽtia euitaret, ad Turones se confert, vbi dolore animi ob talem simultatẽ confectus anno Domini 1592. Pont. I. post idus circiter Decembris, annorum ætatis 65. ex hac vita eripitur, & scripto testamento; præter pias pijs locis legationes factas, corpus suum in no-

in nobilissimo familię sacello, ab alio de Lenoncourt Roberto ædificato in Ecclesia Remensi, cuius ipse fuerat Archiepiscopus, sepeliri, mandauit: sed Canonici, & Ciues renuerũt, hi.p.fœderis inter Regni Proceres initi,hic Henrici IV. Regis partibus fauebant; mansit ergò apud Turones, & ibi honorificè sepultum est.Non me fugit, non deesse quosdam, qui Cardinalem multis ante mensibus obijsse dicant, ac in sepulturæ loco dissentiant: verum in hoc eos hallucinari ex eo mihi persuadeo, quod quæ de morte Philippi scripsi, per amicos Ioan. baptistæ Leonis patritij Veneti,viri literis ornatissimi,qui diù Card. à secretis fuit,ab eodem id esse accepi.

III.

VErissimum esse illud, quod aliquando protulit eloquentissimus quidam Orator,omnia,quę homines in vita ex petunt, cuiuscumq; tandem generis illa sint, nulla re certius, aut facilius, quam eruditione, ac literis acquiri, conseruari, amplificari posse;exemplo suo comprobauit VINCENTIVS Laureus ex Tropæa celebri inter Calabres Ciuitate, Antonelli, & Raymundę Miliarisiæ honestissimorum parentum filius, anno 1523. 5.Kal. Aprilis hora 6. post meridiem natus. Is à Ferdinando Carafa Nuceriæ (quam paganorum vocant) Duce (in cuius domo Dianoræ Condobettæ vxoris socia Beatrix Monaca ex tertio Ordine S.Dominici Vincentij soror vixit) Alfonso filio suo studiorum socius datus,& postea in conscribendis literis adhibitus, Neapolim, inde Patauium ad studium missus, talem operam linguarum græcæ,ac latinæ cognitioni, philosophiæ,medicinæ,ac sacræ Theologiæ præstitit, vt breui tempore simul Orator, Poëta, Philosophus, Physicus,& Theologus excellentissimus euaserit. Scribunt quidam Vincentium cum Romam ex itinere venisset anno 1542. 4. Kalẽ. Iulij die Mercurij ipso Petri,ac Pauli Apostolorum peruigilio illæsum è feroci Tauro cornibus in altum fuisse, sine vlla noxa proiectum, quod manifestum illius magnitudinis indicium esse non-

ſe nonnulli cenſuerunt. Ea in Vrbe à Petro Paulo Pariſio Cardinale Conſentino in ſeruitutem receptus ſuam, quo cum etiam Hugo Boncompagnus habebat, cum hoc arctiſſimum amicitiæ vinculum, quod poſtea, non niſi mortis falce diſſolutum eſt, contraxit. Pariſio intra paucos dies mortuo, in famulatum Nicolai Gaddij Card. Firmani; & poſt hunc in Franciſci Card. Turnonij veniens, duobus Prioratibus inter Aruernos in Gallijs cohoneſtatur, quò etiam ab eo ductus, in regiam introducitur, ibiq; defuncto Turnonio, cum eodem ob virtutes perbenignè ab Aulicis tractatum eſt, & fauente Regina Catherina, cuius beneuolentiam ſibi conciliarat Epiſcopatum Campaniæ, qui poſtea ipſi in Latrienſem commutatus eſt Fr. Marco Ordinis Prædicatorij, vni ex fratribus ſuis (nam & Leonardum habuit alterum natu minimum, qui Abbas Murriuallium inter Picenos factus eſt) obtinuit. Hunc Hippolytus Card. Ferrarienſis à Pio Papa Quarto in Galliam Legatus miſſus, ipſa Catherina Regina, Antonius Nauarræ Rex, alijq; Proceres ſibi quiſq; ingenti contentione inter familiares ſuos expetiuere. At illum Dux Guiſius, vt apud vnum Nauarræ Regem, quò ipſum ad auitam religionem amplectendam adhortaretur eſſet, enixè rogauit, authore etiam ad hoc illi ſuadendum adhibito, quodam Patre è Societate Ieſù, qui ſacras ipſius confeſſiones excipere ſolitus erat. Quo Rege intra ſeptem menſes èviuis ſublato, Vincentius Hippolyto Cardinale Legato de quo ſupra, ſe addixit; quo cum Romam reuertitur, vbi paulò poſt creato ſummo Pontifice Pio Quinto ab eo, cui Vincentij virtutes innoteſcebant, & cuius opera in quodam morbo fuerat antea vſus, proprio viridi pileo, quem ante Cardinalatum geſtare ſolebat donato, Montis Regalis Eccleſiæ, quā ipſemet moderatus fuerat, Epiſcopus eligitur; Nuncius præterea ad Mariam Scotiæ Reginam declaratus, quo non profectus eſt, propter Regni tumultus ab Anglis hæreticis excitatos; ad Ecleſiam ſuam veniens Clerum, & Populum ad decreta ſacri Cōcilij Tridentini executioni mandanda deducens hæ

reti

reticam prauitatem radicitus euellens, conseruationi diuini cultus, Seminariorum institutionibus consulens, boni Pastoris opera non pauca reliquit. Ab eodem Pontifice Sedis Apostolicæ Nuncius ad Emanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducē missus eo munere donec Pontifex vixit, Pontifici, & Duci admirabiliter faciens satis, summa laude functus; à Gregorio XIII. vir in Legationibus admirabilis cognitus, eiusdem Sedis Nuncius ad Sigismundū II. Poloniæ Regem; & eo mortuo, ad Hēricum Valesium electum successorem Legatus, vbi nonnullis cōmoratus annis, eo etiam, quo Stephanus Bathorius in locū Henrici, qui ad patrium Galliæ Regnum possidendum diuerterat, suffectus est, in quo Regno, & Fidem catholicam amplificauit, amplificatā conseruauit, & Sedis Apostolicæ auctoritatem mirum in modum auxit, atq; multorum hęreticorum, & præcipuè Suetiæ Regis studuit conuersioni, à qua Legatione Romam à Pontifice reuocatus, & congregationi ad annū corrigendum præfectus, mortuo Emanuele Philiberto Sabaudiæ Duce, ad Carolum; etsi adhuc puberem, eius filium: magnanimi tamen Principis animum inuictum gerentem, mittitur; vt ea, qua apud ipsum pollebat auctoritate, pacem, concordiāq; seruandam; & quæ belli causam dare his in partibus videbantur sua prudentia leuanda curaret. Iam verò summo Pontifice numero Cardinalium augente noua nouemdecim Præsulū præstantissimorum promotione Romæ anno salutis 1583. Pōtificatus XII. die Lunę, pridie idus Decēbris habita, in ea Vincentius creatus Presbyter tt. S. Mariæ in, via annumeratus est. Qui nuncio de Gregorij XIII. morte accepto, ab Ecclesia sua decedens, vt successoris creationi interesset, opportunè non peruenit, in itinere enim fit certior de noua ad Pontificatum Sixti V. assumptione, à quo Galero rubro publicè solenni ritu, tituloq; S. Clementis accepto, Regni Scotiæ Protector declaratus atq; in multis Congregationibus præcipuè sacrorum rituum, & cæremoniarum ecclesiasticarum, super Regulares, & ad consulendū; quid consilij capiendum esset, in negotio mor

tis à

tis à Rege Galliæ Cardinali Guisio illatæ, & ob Card. Borbonij, aliorumq; Ecclesiasticorum Præsulum mancipationē collocatus, vt etiam post, Cōgregationi super res Germaniæ Præfectus, nullum vnquam alium sibi finem proposuit, quam vt liberè sententiam suam dicendo omnia iustè, atq; honestè pertractaret. Cum igitur his honorificis rebus summa cum laude, & omnium applausu gestis, eam de se peperisset expectationem, vt nemo non eum summum Pontificem futurū quasi pro rato haberet; mortuo tamen Sixto Quinto, atq; illi Vrbano VII. & paulo post ei Greg. XIV. & post hunc Innocentio IX. atq; huic Clemente VIII. succedente, expectationem de eo conceptam, mors Aulæ Romanæ acerba, suis luctuosa, bonis omnibus grauis elusit, siquidem Vincētius septuagenarius Romæ anno 1592. 17. Kal. Ianuarij, hora 22. immaculatum suum spiritum Domino, à quo à natalibus acceperat, religiosissimus, restituit; relictis facultatum suarum hæredibus Religiosis (qui vulgò infirmorum ministri nuncupantur) quos antea in fidem acceperat, primumq; ipsorum institutum à Sixto Quinto; mox à Gregorio XIV. procurauerat, approbandum; familiaribusq; ea pecunia, quæ ex domestica immēsi prætij supellectili vendēda extraheretur, ac Collegio Romano Societatis Iesu donata propria bibliotheca, quibus etiam cum ijs Lugduni in Gallijs antea erectum Collegium intellexisset, Abbatias, quas ipsi Cardinalis Turnonius apud Aruernos dederat; ea conditione renunciauit, vt saltem duos Concionatores in eo Collegio alerent, quo facilius ij populi Sedi Apostolicæ obsequentes Fidem catholicam amplecterentur; & in ea iam recepta, diutissimè perseuerarent, quam renunciationem Pontifex tunc confirmauit, omnesq; in ea Card. pietatē summoperè cōmendarunt. Corpus suum ad Ecclesiam Sancti Clementis sine pompa, atq; ibi, cum hoc epitaphio, quod sibi viuens fecerat, sepeliri mandauit.

D.O.M.

D. O. M.

Hic iacet Vincentius Laureus tt. S. Clementis S. R. E. Presb Card. Montis Regalis nuncupatus, obijt 17. Kal. Ianuarij 1592.. Religio ministrantium infirmis hæres optimè de se merenti, ex testamento posuit.

IV.

VEra quędam Romanorũ illorum Scipionum imago fuit nostra tempestate Scipio ex nobilissima familia Gonzaga, Caroli Gazoli, S. Martini ab Aggere, aliorumq; oppidorum Marchionis, & Domini, Aemiliæq; de eadem familia, mulieris religiosissimæ filius, Fr. Francisci quondã Minorum obseruantium Generalis Ministri, nunc Mantuani Episcopi, Pyrrhi, Ferdinandi, & Iulij Cæsaris earundem Ditionũ Dominorum, & sacri Romani Imperij Principum frater anno Domini 1542. 11. Kal. Decembris natus, qui non minori ingenij acumine quam corporis forma à natura dotatus maximæ expectationis spem exhibens, ita literis humanioribus rhetoricæ, poëticæ, mathematicis disciplinis, ac philosophiæ Bononiæ, ac Patauij se dedit, vt cum illis modestiam, ac mansuetudinem coniungens; non potuerit ab omnibus non amari, ac coli. Multis deinde diebus in Curia Imperiali commorato, vbi huic multiplici doctrinę etiam rerum ad statum pertinentiũ cognitionem adiunxit, in Italiam exornatissimo omnium disciplinarum, venienti, ecclesiastico habitu suscepto, ab omnibus vnica voce, vt dignissimo, sacra purpura deferebatur, præsertim quando eius nobilissima familia ob mortem magnorũ illorum luminum Herculis, Clementis Papa VII. Francisci, & Federici Pij Papæ IV. Cardinalium, qui ante trium annorum spatium, vniuerso Ecclesiæ detrimento, nobis fuerunt prærepti, obtenebrata est. quam, non ab re à summis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. in tempus dilatam, Sixtus V. qui cũ

antea amplissimo Patriarchatus Hierosolymitani munere insigniuerat. Anno 1587. Pont. Tertio, die Veneris 15. Kalē. Ianuarij in quinta promotione Presbytero Cardinale tt. S. Mariæ de populo renunciato, contulit; eo tempore, quo vitam pacatam Patauij degere cogitabat; à quo etiam positus in cōgregatione super Episcopos, atque alios Præsules aliquandiu Vincentij Mantuani Ducis loco, Montem Ferratum moderatus, ijs populis, maximoperè satisfecit, siquidem cum iustitia commixam solebat adhibere humanitatem, qua amico quodā beneuolentiæ vinculo omnium animos sibi deuinciebat. Hic mortuo Vespasiano Gonzaga Sablonetæ Duce nepote, vna cū fratribus in multis eius status ditionibus succedens, patrocinatus est Patrib. Eremit. S. Augustini; & vita functo Fr. Io. Vincentio eiusdem familiæ Cardinale, à Clemente Octauo summo Pontifice, Baruli Prioratum Religionis S. Ioannis baptistæ Hierosolymit. obtinuit; sed fructus non percepit, nam in castro S. Martini ab aggere suæ ditionis die dominico, tertio Idus Ianuarij anno humani generis redempti 1593. Pont. primo inter viuos esse desijt; corpore in celeberrimo S. Crucis Sacello posito in Ecclesia S. Sebastiani propè Castrum olim extructo ab ea Illustrissima gente, & anno 1577. rursus egregiè ædificato, vna cum Cœnobio pro fratribus minoribus obseruantibus humi dato, vbi in marmore tale epitaphium.

D. O. M.

Scipioni Gonzagæ S. R. E. Presbyt. Card. Patriarchæ Hierosolymitano, Imperij Principi; vitæ integritate, literarum scientia rerum vsu, liberalitate, officio, atq; elegantia singulari, mortalitatem; omnium laude conclusit, sui apud omnes ordines incredibili desiderio relicto. Vixit annos 50. mensem 1. dies 21. obijt 11. Ianuarij 1593. Franciscus Episcopus Mantuanus Ordin. Minorum de obseruantia, Ferdinādus, & Iulius Cæsar hæredes fratri amātissimo posuere.

Quanta

Quantā iacturā fecerit vniuerſus Orbis terrarū ob mortē Scipionis Gonzagæ ſatis apertè declarat Equitis Guarini epiſtola Ferranti Gonzagę Scipionis fratri, qua ipſi indolet, ſcripta, quæ in epiſtolis variorum ſcriptorū, à Bartholomæo Zucchio collectis ſecunda parte, Capite de Dolore reperitur, quā lectori legendam, relinquimus.

V.

QVamuis multi fuerint armis conſpicui viri, qui Genuenſem Rēp. nobilitarint (bellicis.n.artibus, ac naualibus ſtudijs Ciuitas illa perpetuò intenta nomen ſuū toto mari Mediteraneo celebre, Regibus, & Ciuitatibus accolis verendum imprimis, atq; formidabile fecit) non defuerunt tamen, qui eandem, literis inſignes illuſtrarint; inter hos autem fuit ille ipſe PHILIPPVS Auguſtini, Clementis VII. Cardinalis S.R.E. Camerarij, gētilitius, ex illuſtriſsima illa Spinula familia; tum ob pacis, belliq; artes, ob togæ ſtudia, ob claros viros multis honorum, & rerum geſtarum titulis inſignes ex ea oriundos, quæ olim Archiepiſcopatum Genuensē obtinuit; tum ob Principes Italiæ diuerſis temporibus ſibi affinitate coniunctos, nobiliſsima, qui anno 1535. pridie Kalē. Decēbris natus, vel in ipſis ætatulæ tenerioris crepundijs maximo flagraſſe literarum deſiderio viſus ſit, in quas poſtea adoleſcente ætate incumbens; ab his ad Remp. adminiſtrandā ſe conferens; multis honorificis oneribus ſuſceptis, Romā concedit, vbi Beretrenſis (vulgo Biſinianenſis) in magna Græcia, poſtea inter Cumanos Nolanus electus Epiſcopus, maximè apud Pium V. fuit, qui eum Cardinalem creare cupiebat, ad quam dignitatem poſtea, in gratiam electi Imperatoris Rodulphi II. cuius pincerna erat Octauius frater, propter merita, & ipſius, & gentis ſuæ peruenit, quando Gregorius XIII. in ſeptima promotione nouemdecim Cardinalium Romæ anno 1583. Pontif. XII. die Lunæ, pridie idus Decembris habita, eundem S.R.E. Presbyterum tt. S. Sabinæ declarauit. Hunc

Sixtus Papa V. anno Pont. I. Legatum Perusiæ, Vmbriæ, & Ducatus Spoletani designatum, idem Pont. ille, vtpotè, qui sibi maxima de summa doctrina, iustitia, & in rebus forensibus pertractandis experientia Philippi pollicebatur, constituens eundem Præfectum Ecclesiasticarum Triremium, in congregationibus super Regulares, & pro reparandis vijs; in multis alijs muneribus, & negotijs semper adhibuit; qui absente Ludouico Card. Madrucio, viceprotectionem sacri Rom. Imperij gerens; à Clemente Octauo congregationi circa res Vngariæ, atq; Germaniæ, ob bellum inter Imperatorem, ac Turcas Præfectus, Pontificatus eius anno secundo, sal. humanæ 1593. die Veneris 13. Kal. Septembris, hora 19. Romæ ex calculo expirauit; cuius corpus in Ecclesia S. Sabinæ depositũ est, Genuam postea in gentilium sepulchrum transferendum, in cuius depositi loco in sancta Sabina hæc scripta leguntur.

D. O. M.

Philippo Spinulæ Genuensi ex Episcopo Nolano, tt. huius sacræ ædis, S. R. E. Presbytero Cardinali, summæ integritatis, ac innocentiæ viro, Perusiæ, ac Vmbriæ Legatione Sixti V. Pont. Max. auctoritate functo, de sacro Imperio, ac Germanorum rebus semper optimè merito. M. Ant. Fabricius, Hector, ex testamento hæredes, fratri optatissimo mærentes posuerunt. Vixit annos 57. mens. 8. dies 20. obijt 13. Kal. Septembris 1593.

Floret nostra tempestate nobilissimum illud eiusdem Spinulę familiæ germen; Horatium intelligo vtr. Sig. Referend. Bononiensis Ciuitatis Prolegatum, quasi alterum Horatium Coclitem, qui vnus rebus Ciuitatis tam prudenter prouidet, tanta doctrina, ac religione, iustitiam, & nobilibus, & populo indifferenter administrat, vt multorum Præfectuum laudes, quorum pietas, & prudentia, in ea vrbe regenda enituit, profectò superauerit, dignus (vt paucis me expediam) qui Philippo in sacra purpura succedat.

VI. De

VI.

DE Repub. literaria; vt etiam de sancta Sede Apostolica benemeritus fuit NICOLAVS de Pelleuè anno 1518. 15. Kal. Nouembris die Lunæ, è parentibus nobilissimis in quodam Castro, nuncupato de Iouy, cuius, & tresdecim aliorum pater erat Dominus, inter confinia Galliæ Belgicæ, & Lugunensis in Diœcesi Rothomagi sito, natus; qui data opera Pontificijs legibus, ac sacræ Theologiæ, quas nonnullis annis in Bituricensi Vniuersitate publicè professus est, hincq; ad Regiam Curiam se cõferens in ea se exercuit in parlamento (quod vocant) Parisino, cuius postea Regiæ à consilijs factus id muneris indefesse Ecclesiæ immunitatem defendendo, eiusdem Sedis auctoritatem amplificando ita obiuit, vt religiosissimi viri nomine sibi comparato; propter singulares dotes Henrico II. Galliæ Regi gratus, Episcopatu Ambianésium sit donatus. Anno 1559. tumultuantibus Scotiæ populis, Iacobo præcipuè S. Andreæ Priore notho Iacobi V. Regis filio incitante, qui quod ægreferret, Mariam Reginam sororem Francisco Delphino Galliç Regi nupsisse, ob idq; Regnum ad Gallos postea deuenturum; hæretica, qua ipse laborabat peste, multas ipsius Regni partes inficiens, sacra, profanaq; promiscere tentabat. Rex; vt ijs malis consulatur à Paulo Quarto impetrat, vt Nicolaus Pontificius Nuncius ad Mariam Reginæ matrem, Regni tunc pro ea habenas moderantem legaretur, qui eò à Rege cũ Labrochio regij equestris ordinis torquato, ac Regis Consiliario, magna nobilium, & militum caterua comite missus, matrem primum ob eas procellas perturbatam, ea qua pollebat eloquentia consolari, ab ea modũ tantarum seditionum accipere, atq; accepto sic agere, vt & consilio, & vi hostes populsarentur, hęretica labes extirparetur, & Fides catholica ab ijs populis illibata conseruaretur, quos; tum ipse, tum per Theologos, quos secum Parisijs duxerat adhortabatur, vt quantum maximè possent catholicos se pręberent, fidemq; conseruantes, de hæreticis vindictam sumerent.

Quo facto, cum in Gallias ad Ecclesiam, quã ei Pius Papa IV. post in Metropolitanam Senonensem cõmutauit; factus Galliæ Par reuertisset, ab eodem Pontifice ad Concilium Tridentinum mittitur, quo venit; non tam, vt Archiepiscopus; quã Regis iussu, vt Cardinali Lotharingo (cuius familiæ aliquando Oeconomus fuerat) præsto esset. Alenconij postea Ducis Caroli IX. Regis fratris, omnib. negotijs Præfectus, ex ea pręfectura ad Sigilli Coronæ Regiæ custodiam translatus, Magni Cancellarij Regni munus biennio sub eodem Rege exercuit, quo instante Pius V. anno 1570. Pont. V. die Mercurij 16. Kal. Iunij, Nicolaum Presbyterum Cardinalem tt. SS. Ioannis, & Pauli renunciauit, qui ipsius tituli Ecclesiam postea restaurans, meruit preciosissima eorundem Sanctorum corpora diu abdita reperire, & eo in loco, vbi nunc maxima veneratione coluntur collocare. Idẽ Romam anno 1572. veniensin publico Consistorio, cardinalitio pileo 13. Kal. Iulij suscepto à Gregorio XIII. ab eodem in multis congregationibus; vt Episcoporum, quibus deinceps præfuit, atq; in alijs arduis negotijs, in quibus pertractandis se prudentissimũ semper, vt etiam acerrimũ iustitiæ, ac fidei propugnatorem ostendit, eius opera adhibita est, & propterea quo plura prudentię, ac iustitiæ signa dabat, eo pluribus dignitatibus cohonestabatur, nãque optato titulo S. Praxedis, & patrocinijs Regnorum Scotiæ, Hybernię, & Clericorum S. Hieronymi susceptis, anno 1591. à Gregorio XIV. ob mortem Cardinalis Guisij, vt supra nefariè à Rege occisi, Archiepiscopus Remensis, illius status Dux, & primus Galliæ Par creatur, ad quam Ecclesiã cum anno sequenti tenderet, vix ob bella, quę passim in illis partibus grassabantur hostium manus euasit. Comitijs tandem Parisijs coactis anno 1593. ad quæ Regni ordines conuenerunt, ibi Primas tenẽs, multa de honore Dei disserẽs pro noui Christianissimi Regis electione eos, qui aderant ad hæresim extirpandam, Fidemq; catholicam in illud Regnum introducendã, atq; introductam conseruandam cohortatus est, quæ omnia,

quia

quia ab alijs ad perpetuam huius Cardinalis memoriã, ac laudem posteritati sunt commendata, nos singulatim recensere desistemus. Obijt tantus Præsul Parisijs in Archiepiscopali Senonensis Ecclesiæ Palatio die Sabbathi 5. Kal. Aprilis 1594. ætatis annorum 76. hora circiter 13. cuius corpus in Ecclesiã Cœlestinorum depositum est, donec de extrema eius voluntate ad Ecclesiam Remensem transferatur.

VII.

CEleberrimum quoq; Galliæ: sed immaturè extinctũ germen fuit CAROLVS ille de Vendosme dictus, ex serenissima familia Borbonia in Gallijs nunc regnante, nepos Antonij Nauarræ Regis, & Caroli Card. Borbonij, frater Henrici Principis, & Francisci Marchionis Condensis, ac Caroli Comitis Soisonij, filius Aloysij Condensis Principis, & Leonoræ de Royæ Rousi Dominæ, anno 1564. in auras editus, quem, renunciante Cardinale patruo Archiepiscopũ Rothomagensem electum, Greg. XIII. in Diaconum Cardinalẽ, postea S. R. E. Presbyterum: sed sine titulo anno 1583. Pontificatus XII. die Lunæ, pridie idus Decembris, in septima nouemdecim Cardinalium creatione promouit, cuius virtus turbulentissimis temporibus, quibus domesticis bellis Regnum Galliæ ardebat oppressa, eum splendorem; cuius antea radios fide eo in Regno virente, emittere cœperat, non potuit demonstrare; quapropter nemo vlla rapiatur admiratione, si pauca pręclarè gesta, huius hic apponamus; certum.n.est Carolum propter virtutes singulares, & multa egregia facta, & Archiepiscopatum, & sacram purpuram meruisse. Obijt is dũ Regnum maioribus bellorum fluctuaret procellis, in S. Germani Castro apud Parisios, die Mercurij pridie Kal. Augusti, anno 1594. Pontificatus Tertio, sepultusq; est Gallioni apud Carthusianos.

VIII.

FElicißimum profectò infelicißima illa Nouerca Angliæ pignus edidit in Lancastria Yorch Diœcesi Eboracensi GVILIELMVM .f. Alanũ, filium Ioannis, viri; & ob nobilitatem, & ob pietatem in pauperes in illis oris celeberrimi; qui cum Philosophiæ, ac sacræ Theologiæ studuisset, in ijs Doctoris gradum sumpsisset, factus Canonicus Yorch; post Remensis, publicè sacras paginas Duaci, quæ Flandriæ Ciuitas est, in Galliæ confinibus inter Cameracum, & Tornacum sita, professus est, quo in loco anno 1562. Philippus II. Hispaniarum Rex Academiam publicã erexerat, vbi Guilielmus cum Gabriele fratre, & Thoma nepote patriam, ac proprias facultates; religionis ergo deserens, cum Regnum videret hæresi infectum, & Catholicos exosos, voluntarium eligens exilium, magna in paupertate voluit vitam degere, & quia eo cõcurrebant multi Anglorum catholici, ipse in Pij V. Põtificatu, quo aliquem modũ inueniret fidei eo in Regno conseruandæ, quibusdam prudentibus viris, & honorem Dei zelantibus, eleemosynis Seminarium erigendum proposuit, quo iuuenes alerentur, qui sibi succedentes catholicũ nomen amplificarent, quod cum erectum fuisset, ei ipse; cuius author fuerat, præficitur; opus istud celebre numero alumnorum, incredibili religionis fructu amplificato, Philippus Rex multa liberalitate, ac Gregorius XIII. summus, & religiosissimus Pontifex, summis prouentibus fouerunt, quod postea, eodem Pont. ita disponente, cum in Gallias in Ciuitatem Remensem translatum esset, summo religionis beneficio amplificatum est. Cæterum cum munificentissimus Pontifex, aliud etiam Romæ in hospitali eiusdem Nationis antiquo instituisset, & ditissimis dotatum prouentibus Patribus Societ. Iesu, moribus, ac disciplinis instruẽdum commendasset, vt ex eo Sacerdotes religiosi, atq; erudi-ti exeuntes, in Regno Anglicano animos catholicorum erigerent, hæreticorum eleuarent, & Fidem catholicam vbiq; vel in ipsa

in ipſa Regia prædicarent, hæretici iniuriam, ac damnũ,quod ſibi illatum iri ab horum Seminariorum alumnis præſagiebãt, Reginam de tanto Regni detrimento cómonefacere,eam etiã, atq; etiam , vt tantis malis conſulat , exorare , quibus Regina arridens anno 1580. edicta ſeuera in lucem edidit , Pontificẽ, Ieſuitas, Collegiorum alumnos, aliosq; viros religioſos Collegiorum authores grauiter increpat, Anglos catholicos leſæ Maieſtatis reos declarat, his omnibus; tanquam Regni ſeductoribus , aquã , & ignem interdicit , quibus edictis , & falſis, Dei ſeruis illatis calumnijs S. Iuſtinum Martyrem, S. Athanaſium, atq; alios id genus Patres imitatus, vt reſpondeat, Guilielmus pulcherrimũ Apologeticũ librum componit, quo graphicè ſummi Pontificis inſtitutorum Collegiorum finem nullum alium fuiſſe, quam vt, & Patres Societatis Ieſu , & Sacerdotes eorum alumni in Angliam concedentes illud Regnũ ad verã catholicæ Fidei cognitionẽ,& Sedis Apoſt. obedientiam deducant ijs rationibus monſtrat, ac probat , vt illis poſtea hæretici, quid reſponderent, non habuerint. Vnde catholici Sacerdotes animis erecti, alacrius fidem defenderunt, quos idem religioſiſsimus vir pro Fide vexatos, ſcriptis libris , vt omnes miſerias cœleſte ſibi præmium proponentes, æquo animo, vt Chriſtianos decebat , ferrent adhortatus eſt . Quoniam verò hęretici Anglicani librum quendam Iuſtitiam Britannicã inſcriptum, in lucem ediderant, quo nullum catholicum pro Fide tãquam Martyrem eo in regno mortem obijſſe: ſed omnes, vt regni rebelles oſtendere conabantur ; Ecce Alanus librum componens ijs ita reſpondit, vt aperta veritate, eorum mendacia; tanquam adueniente Sole, nocturnæ tenebrę euanuerint , cuius ſuſcepti labores pro Fide catholica, & præclara geſta, præter libros lingua Angla contra eoſdem hæreticos compoſitos , Biblia è latino in Anglicum idioma conuerſa ; & præſertim opus quoddam de Purgatorio ; aliaq; de Sacramentis in genere, talem de eius religione famã ſparſerunt, quam Romam vocatus à Gregorio XIII. Pont. ad nouum Seminarium

erectum melius confirmandum, corroborauit, vt summi Principes in eo cohonestando certasse quodammodo visi sint, siquidem Philippus II. Rex Catholicus Abbatiã inter Calabres, & quasdam super Panormitanum Archiepiscopatum pensiones ei detulit; & Sixtus Papa V. anno 1587. Pont. III. 7. idus Augusti, die Veneris, Cardinalem S. R. E. Presbyterum tt. Sancti Martini in Montibus promouit, quam illi dignitatem; vt auebat Greg. XIII. propterea non contulit, quod nimia paupertate laborãs Alanus eam sustinere non posset, quem ab eodem Pontifice inter eos Cardinales annumeratum, qui librorum prohibitorum indici præerant, mortuo Antonio Card. Carafa, Greg. XIV. Blibliothecariũ Apostolicũ declaratũ ad reformationem sacrorum Bliblicrum, sub Sixto incœptam, cum Card. Columna, deputauit. Guilielmus postremo Archiepiscopus Maclinensis in Belgis electus, non annis grauis: sed ob labores pro Fide exãtlatos valetudinarius, anno 1594. Pontificatus Clementis Octaui, tertio, die Dominico 17. Kalẽ. Nouembris Romæ terrestres has exuuias, spiritu ad æterna gaudia properante, reliquit, ibiq; in Ecclesia Sanctissimę Trinitatis Nationis Anglicæ, vbi super sepulchrũ ea, quæ in fine elogij apponemus, affixa snnt, humi contectus est. Est præterea, quod ipsius summam religionem, & odium contra eum, hæreticorũ patefaciat, nã effigies ipsius inuenta ab hæreticis Anglicis in domo Elisabethæ à Rosseal viduæ, olim Guilielmi fratris vxoris, quę cum tribus filiabus; relicta patria, ac facultatibus, exilium voluntarium passa, aufugerat, qui fœminam catholicam carceri mancipandam inquirebant, multis iniurijs ei, quem referebat, illatis, strictis pugionibus, ac cultellis transfixa, & ad maiorẽ rabiem ostendendã pedibus conculcata, in puluerem redacta est.

DEO TRINO, ET VNO.

Guilielmo Alano Lancastriensi S.R.E.Presbytero Card.Angliæ, qui extorris à patria perfunctus laboribus diuturnis, in orthodoxa religio-

reiligione tuenda, sudoribus multis in seminarijs ad salutem patriæ instituendis, fouendis, periculis plurimis, ob Ecclesiam Romanam opera, scriptis, omni corporis, & animi contentione defensam, hic in eius gremio scientiæ, pietatis, modestiæ, integritatis fama, & exemplo clarus ac pijs omnibus carus occubuit 17. Kal. Nouembris anno ætatis 63. exilij 33. sal. humanæ 1594.

IX.

QVid ille Gaspar de Quiroga ex nobili familia in castro Madrigale Veteris Castellæ in diœcesi Abulensi sito anno 1504. natus, quamuis parentes ortum duxerint apud Gallecios in ea ora, quam Vallem de Quiroga, vocant, an nó & ipse sœculi huius nostri ornamentū fuit? qui Collegij S. Crucis Vallisoleti à Petro Gonzales de Mēdoza olim Car. instituti alumnus; opera legali sapientiæ, data, & in ea excellens, Vicarius generalis Compluti euadit, quo officio, dum fungeretur, non aduertens, quædam Apostolica diplomata frangit, vnde ad absolutionem obtinendam Romam ire, & ad pedes Iulij III. procidere cogitur, à quo pro Hispanis, Philippo II. Rege instante Rotæ Auditor eligitur, quod munus; vt erat iustissimus optimè exercens, & in ea curia versatus, arctissimum amicitiæ vinculum cum Patre Ignatio Loyola societatis Iesu institutore contrahit, cui societati, cum faueret, Talaueræ, & Toleti, maximo sumptu duo Collegia ædificauit. Factus postea Ecclesiæ Toletanæ Canonicus, & Maiestatis regiæ consiliarius in Hispaniam proficiscens in ea regia talem se præbuit, vt consilij, & Inquisitionis Præsidens factus anno 1571. 16. Kalen. Ianuarij à Pio Papa V. Episcopus Conchensis sit electus; qui cum ad Archiepiscopatum Toletanum (Hispaniarum Primas, hæreticæ Prauitatis supremus Inquisitor, totius regij status Italiæ Præses, & summus Castellæ Cancellarius declaratus) translatus esset; à Gregorio XIII. anno Domini 1578. Pontificatus VII. die Lunæ 18. Kal. Ianuarij solus in Cardinalem Presbyterum S. R. E. tt. S. Balbinę promotus est.

est. Qui cum Hispaniam anno 1587. è Flandria, opera Alexandri Farnesij Parmæ Ducis, de Regis mandato translatum fuisset corpus S. Leocadiæ Toletanæ, quę sub Diocletiano Imperatore floruit, ipsam, comitante Rege, Imperatrice, Principe, atq; Infante, clero, ac populo obuiā sexto Kal. Maij, maxima, ac solenni pompa procedens, in Archiepiscopali Toletana Ecclesia obtinuit, vt nobilissimo sepulchro donaretur. Anno 1594. Albertum Card. Austrium Archiducem in secreto Consistorio Patrarum Archiepiscopum electum, in Archiepiscopatu Toletano cum futura successione Coadiutorē habuit, quo anno Pontificatus III. Gaspar tertio decimo die post expeditionem Coadiutoris electi, bonis operib. plenus, iam ætate grandæuus, 12. Kal. Decembris, die Dominico, hora decima Madrilij in cœlū aduolat millies, millenis, ac quadringētis millibus aureis in pecunia numerata relictis, quorū maiorē partem pauperibus distribuendam commisit; legati sui ministris Castellæ Præsidente Gil de Quignones curiæ Inquisitore, Ioanne Borgia supremo Imperatricis Oeconomo, Serrano Toletano Canonico, & Quiroga suo familiare, cōstitutus; qui statim sexaginta millia aureorum Toleti, Madrilij, & Compluti in pauperes diuiserunt. Corpus in eius patriam translatū in Ecclesia pulcherrima S. Augustini Eremitani ab ipso, vna cum amplo Cœnobio, quo vt plurimū ipsius Ordinis Synodus Prouincialis conuenit, quibus etiam Patrib. quotānis bis mille aureos reliquit, vt pro anima rem sacram assiduè haberent in nobilissimo sarcophago, vbi est tale epitaphium, consepultū est.

Hic iacet Gaspar de Quiroga Card. & Archiep. Toletanus, Hispaniarum Primas, supremus Castellæ Cancellarius, & aduersus hæreticam prauitatem Inquisitor generalis, Italiæ Præses, Philippi II. Catholici Regis Status Consiliarius. Obijt nonagesimū ætatis annum agens 12. Kal. Decembris, anno Natiuit. Domini 1594. Supradicto Rege regnante in Hispania, & . . . .

X. Sæpè

X.

SAepè Hesiodi sententiam, qui laborem, & industriam nemini, languorem, & ignauiam omnibus turpem esse confirmat, secutũ fuisse videtur MARCVM Sitticum ex nobilissima illa in Germania Altaèmpsiorum Comitum familia parentibus, Vuolf Theodorico, & Clara Medicea nobili Mediolanense religiosissima muliere, Pij IV. sorore, 14. Kal. Sept. die Dominico 1533. in Empsia Ditione ortum, qui inuita matre, quæ eum ad habitũ Ecclesiasticum, summas illi dignitates prædicens, adhortabatur, arte militari sub auunculo Io. Iacobo Mediceo, armorum gloria eo tempore, omnium inter Italos longè Principe, se dedit, in ea admirabiliter excelluit, præsertim in bellis Hetruscis, quando idem Io. Iacobus Cosmo Mediceo Magno postea Duci seruiens, eo duarum Turmarum germanarum Duce cum Petro Strozio conseruit manum anno 1554. quo victo saluti domus Mediceæ, & simul totius Hetruriæ consuluit. Ommitto alia egregiè acta, quæ apud Senas reliquit quatuor milliũ Germanorum militum curam gerẽs, & contra Turcas apud Populoniam, vbi in prælio ita decertauit, vt sub eo duo equi cõfoderentur; Card. verò Mediceo, altero ex auunculis ad supremũ humanæ dignitatis fastigiũ euecto, Eques S. Iacobi Hispaniensis factus; cum Pontificis, qui eũ ad Ecclesiasticum statum hortabatur, dicto non obsequeretur, in propria sententia persistens, quadam die apud S. Petrum ad vincula, curru non sine vitæ discrimine super eum cadente ensis fractus est, qua re commotus, cum, voluntatem Dei esse videret, vt habitum clericalem indueret, Pontificis voto obsecundauit, quem, quanta prudentia dotaretur, cognoscens, anno 1561. Episcopum Cassanensem electum, Sedis Apostolicæ Nuncium ad Ferdinandum Imperatorem mittit, & 4. Kalen. Martij eiusdem anni, die Mercurij in numerum Cardinalium secundò in sacrum Collegium cooptatorum S. R. E. Diacon. S. Angeli; mox SS. duodecim Apostolorum, cuius Basilicę

postea

postea Præsbyterum fecit, adscribit; cui collato etiam Constantiensi nobilissimo inter Germanos Episcopatu; perpetua Auinioni Legatio, de qua postea, Archipresbyteratus S. Ioannis Lateranensis, Capranicæ Gubernatio, Legatio item Piceni, quod spatio trium mensium ab exulibus illud vexantib. liberauit, demandata est. Et cum idem Pontifex iterum indicto Concilio Tridentino, eoq; Legatis Præsidentibus missis Hercule Gonzaga Mantuano, Hieronymo Seripando Neapolitano, Stanislao Hosio Polono S.R.E. Cardinalibus timeret, ne Patres, ob hæreticos inde discederent, vt alias factũ fuerat, cum Ludouico Simoneta Mediolanense Cardinale, Marcũ Sitticum misit ea auctoritate, vt etiam, si opus esset, milites cogeret, qui eo profectus omnem Patribus timorem, & timoris causam abstulit. Idem ad Constantiensem Ecclesiam reuersus, Imperatorem hospitio excepit, & ad tt. S. Georgij in Velabro translatus, Anno 1565. vt Imperij Princeps Comitijs ab eodem Imperatore Augustæ celebratis, interfuit; ad eandemq; Ecclesiam reuersus, sub Pio V. Synodum, qua populũ, ac clerum Decretis Concilij Tridentini reformaret, celebrauit, atq; vbi Greg. XIII. Romæ Collegiũ Germanorũ à Iulio III. inceptũ; amplificauit, ab eodem eiusdẽ Marcus patronus, cum Cardd. Ioanne Morono, Alexãdro Farnesio, Ptolemæo Nouocomense, & Ludouico Madrucio declaratus est, sub quo Pontifice titulum S. Clementis; postea S. Mariæ Transtiberim optauit. Quanti Altempsiũ faceret Sixtus V. anno I. Põt. in Ruberto eius filio aperuit, quem S. Petri Burgi Gubernat. excubiarumq; propriarũ; & paulo post Auinionen. Ditionis generalem Ducem declarauit, cuius legationem, mortuo Cardinale Borbonio vacantem, Clemens VIII. Pont. anno 1592. in Viterbiensem, & Patrimonij Cardinali permutauit. Fuit hic primus, qui Altaèmpsiam Domũ in Italia in matrimoniũ Ruberto, de quo supra cum Cornelia Vrsina coniuncto collocauit, quam innumeris honorum titulis in AEmilia, Hetruria, in Latio, Romæq; atq; alijs in locis multis Castris, Pagis, Comita-

mitatibus, Ditionibus, Vinetis, Viridarijs, ac Palatijs peramplis emptis, ædificatisq; insigniuit, copiaq; bonorum omnium confirmauit. Et; vt à profanis ad sacra deueniamus, minime nobis reticendum erit liberalem illam pietatem, qua Ecclesiam S. Mariæ Transtiberim instaurauit, ornauit, atq; in ea splendidissimum sacellum dotauit, & Domum Piam Romę, cuius Pius IV. author fuerat, donis amplissimis afficiens, conseruauit, Palatiumq; Constantiensis Ecclesiæ summa impensa restituit, & vestes sacras, vasa argentea pretiosaq; alia dona, quę sacrę ędi Lauretanę, ac titularibus suis Ecclesijs, Abbatijs, Episcopatibus, & proprio sacello legauit, Abbatiamq; propè Mediolanum de Mirasole nuncupatam, qua se, de Sedis Apostolicæ venia priuauit, vt Collegium erigeretur, quò præ cęteris, Germani adolescentes sacris literis instituerētur, & Rempub. Christianam adiuuarent. Hic cum esset S. R. E. Cardinalium Presbyterorū primus, ætatis annorum 62. sal. 1595. Pont. IV. die Mercurij 15. Kal. Martij Romæ moritur, eius corpus contumulatum est in sacello ab ipso extructo in Ecclesia Transtiberina, quod sacellum Concilij dictum est, eo quod illud Tridenti celebratum, ipse in eo depingi curasset.

XI.

NAturæ quasi insigne portentum ob multas dotes fuit Fr. HVGO Verdala Gallus in castro Loubenx gentilitio in Narbonensi Gallia sito anno 1531. natus; is. n. vtraq; & literarum, & armorum laude floruit. Altera ob humaniores literas, quibus talem operā nauauit, vt Demosthenes alter ob eloquentiā quasi dictus sit. Altera, qua Eques Rhodiæ Militiæ factus, Fr. Ioāne de Homedes tunc illius magno Magistro, annonę præsidēs, & (vt ipsi dicunt) horrei Gubernator, bellici cōmeatus præfectus, in Prioratu Tolosano Pręceptor, & Religionis apud Gregorium XIII. Orator, cui pergratus extitit, euasit. Huic ob eximiam vtramq; peritiam, Commenda maior Galliæ Narbonensis vacans, quę non nisi præsentibus conferri

sole

solet absenti data est, & ob id infra annũ Melitã, vt sunt Religionis statuta petere, ob simultates vertentes inter Fr. Ioannẽ Leuesquè de la Cassiera, à magisterio postea suspensum, & Fr. Maturinum de Lescourt Tolosanum Priorem Romagassum dictum, electum postea Promagistrum, cum vereretur, ne alicui parti hærere cogeretur, tentabat à Gregorio XIII. spatium temporis residendi sibi extendi, sed Pont. quia hoc militię legibus repugnabat, quæ honestum ducit, vt qui eius honoribus, & commodis fruuntur, consilium dando, & suæ Ditionis milites in Religionis deuotione conseruando eidem operam suam debeant præstare, nihil ei concedente, in Insulam se contulit, vbi magnam crucem accepit, & cum neutri parti adhereret, ecce Pont. Romam accersit Magnum Magistrum, ac Romagassum, vt illis simultatibus finem imponat, sed ambobus, 24. horarum spatio mortuis antequam simultatum causæ Romam peruenirent, mittendæ à Gaspare Vicecomite Rotæ Auditore, postea Mediolanense Archiepiscopo, qui eam ob causam, & vt absente Magistro, eam Religionem, summi Pontificis nomine moderaretur, Melitam venerat; Equites vna coacti, vt successorem eligerent, Verdalam, præter omnium opinionem, Pridie Idus Ianuarij anno 1582. Magnum Magistrum declarant, qui; etsi in Magisterij principio, seuerum, clementem postea se omnibus ostendit, & religionem exiguo tẽporis interuallo ad fœlicissimum statum reduxit, & quoniam Gregorius XIII. vt omnibus patefaceret præcedentem Magistrum non iure suspensum, sed legitimũ Principem, ac magnũ Magistrũ obijsse, Aloysio Estẽsi Cardinali mandarat, vt panni, ornamenta, insigniaq; ipsius in funere, cum Corona depin gerentur, cum prius demissionis ergò, circa Religionis vmbonem esset tantum torques granibus ex coralio, vulgò Pater noster dictis, contextus, sine corona. Melitam postea misso corpore, atq; insignibus, ineũte Verdalæ Magisterio, de Equitum consilio, vt Pontificis summum beneficium, quod in Religionem contulerat agnosse se demonstrarent, insigne cum-

Coro-

Corona, Magnus Magister retinuit. Volenti postea Sixto V. in infideles animaduertere, cum cogitationem suam, cui confidentius crederet ignoraret, in mentem tandem venit Hugonis virtus, cum quo sæpius in Cardinalatu Romæ, dum ipse Religionis Orator commoraretur, egerat, cuius incredibilé prudentiam, & singularem in omnibus rebus (sed præcipuè militaribus) experientiàm, secum ipse considerans ad se vocare statuit, diplomate Romæ anno 1587. 4. Kal. Maij dato, per fratrē Ioannē Ottū Bosiū Melitā misso, quo eum precatur, vt quā primum se Romam conferat. Accepto Verdala diplomate, & hoc Hispaniæ, & Galliæ Regibus communicato, quinq; triremibus Religionis, octo magnæ Crucis Dominis, & trecentis Equitibus comitantibus itinere maritimo flectit Romā, quā 6. idus Decembris ingressus; non priuata Patrum, vt alij Magistri congregatione: sed publico Cardinaliū consessu, à Pontifice in proprium Palatium excipitur, quem, vbi cum eo priuatim, ac publicè egit, qualibet dignitate dignum ratus, dum quintò Cardinales promoueret anno 1587. Pont. III. die Veneris 15. Kal. Ianuarij, cum his Hugonē Diac. Cardin. S. Mariæ in porticu creat, præficiens cum alijs Patribus classi maritimæ triremium, quam ad maria Statui Ecclesiastico contigua defendenda, & ad hostes Fidei catholicæ propugnandos parauerat, qui ad Insulam reuertens, in ea Patribus Capuccinis Cœnobium ædificat, & Ciuitatem munit, statuta, & leges Religionis reformat; vt ipsius Militiæ egregiè acta posteritati consecrentur, author est, ducentum millia aureorum debitorum, qui eam paulatim consumebant, soluit; nec propterea rumores euitat; nam multis de rebus, & præcipuè, quod ærarium Religionis consumpserit, accusatur, quibus de rebus, vt se apud Clementem VIII. Pontificem expurget, nepotem suū mittit Romam, sed dum à Pont. Max. in congregatione ad id deputata ad rem cognoscendam, partes vtrinq; exaudiuntur, Magnus Magister in Insula, in Valletæ vrbe die Iouis 4. nonas Maij, Ascensionis Domini solennitate, anno 1595. Pont.

Quar-

Quarto, relinquens in ærario magnam auri vim, hac, rationē consilij sui reddēs, in Domino obdormiuit. Eius corpus à Religione in Ecclesia maiori sacra Diuo Io. baptistæ nobilissimo sepulchro, cum hoc elogio, donatum est.

Illustrissimo Domino Fr. Hugoni de Loubenx Verdalæ Cardin. amplissimo, Hierosolymitanæq; militiæ, cui annos 13. mens. 3. dies verò 21. honorificè præfuit dignissimo Magno Magistro, Principi inuictissimo, prudentissimo, barbaris hostibus tremebundo, catholicæ Religionis studiosissimo, in aduersis forti, in prosperis circunspecto, moderato, prouido, 64. ætatis suæ anno vita functo. Vniuersa Religio mærens hoc supremum pietatis officium vltrò, libensq; reddidit, obijt 4. nonas Maij anno Domini 1595.

XII.

OCcurrit Io. BAPTISTA Castruccius, filius Vincentij, & Angelę Liliæ; sanguine, & virtutibus nobilium Lucæ in Hetruria anno 1541. natus, qui in celeberrimis Italiæ Gymnasijs animo scientijs expolito, lauream Doctoratus anno 1565. consecutus, cum in patriam se recepisset, inter Senatores cooptatus, in administrandis Reipub. Ditionibus diu, & summa cum laude se exercuit. Romā postea se conferens, inter familiares; Fr. Felicis Cardin. de Monte Alto recipitur, à quo iam ad summum Pontificatum assumpto, omnibus dignitatibus à Pontificatu; primo.n. supplicibus Tabellis recipiendis; mox Canonicatu Basilicæ Vaticanæ; post Archiepiscopatu Theatino; tandem sacra purpura anno 1585. Pontif. I. die Mercurij, vna cum alijs septem 15. Kal. Ianuarij Presbyter tt. S. Mariæ in Aracœli creatus, fuit insignitus, & Signaturæ Iustitiæ, ob mortem Alexādri Card. Riarij, Præfectus, ac in maximis negotijs, congregationibusq; adhibitus, qui sedente Clemente Octauo summo Pont. ad tt. SS. Ioannis, & Pauli translatus, anno 1595. Pont. IV. cum Roma in Hetruriam ad Pisarū balnearia, atq; inde in patriam se contulisset, ex iecoris malè affe-

le affecti morbo, vt perperam iudicabatur ibi 17. Kal. Septembris die Mercurij spatio septem dierum anno ætatis 54. consumptus est. Eius corpus apertum inuento iecore, atq; extis nihilum affectis in Ecclesia S. Francisci, vbi cęlatum est epitaphium, quod apponemus collocatum est, cuius memoria à Repub. patria honorata est amplissimo funere ære publici posito, in quo eleganti oratione, Cardinalis encomia Tegrimus Tegrimus explanauit.

Ioanni Baptistæ Castruccio, tt. SS. Ioannis, & Pauli Presbytero Cardinali Signaturæ Iustitiæ S. D. N. Præfecto.

XIII.

SI verum est, quod scripsit Aristoteles magis expetendam esse quantulamcunq; præstantium rerum, & remotarum à captu vulgi cognitionem, & intelligentiam, quam communium, qua laude cohonestandum censemus, Fr. CONSTANTIVM Buccafocũ è Castro Sarnano inter Picenos sito honestis ortum parentibus, qui relicto seculo in fratrum Minorum Cõuentualium Ordinem receptus; nõ animi modo, cognitionem: sed omnium rerum sublunarium, cœlestium, & ipsiusmet diuinæ essentiæ cognitionem (Philosophiam intelligo, ac sacram Theologiam) sibi comparauit? qui Laurea doctoratus sumpta, eas disciplinas Perusiæ, Patauij, Romæ, atq; in alijs Academijs Italiæ professus, & in multis Ciuitatibus dominico verbo prædicato, magnam sibi omnium literarum candidatorum, & populorum beneuolentiam cõciliauit. Is cum primis magni semper fuit apud fratrem Felicem de Monte Alto, qui ad prima magisteria eiusdem ordinis euectus munerum suorum semper Sarnanum participem faciens; cum ad summum Sacerdotium assumptus fuisset, eundem inter octo Cardinales, quos tertiò creauit anno 1586. Pont. II. 16. Kal. Ianuarij, præter omnium opinionem Presbyterum Cardinalem tt. S. Vitalis postea S. Petri in monte aureo declaratum adscripsit. Ecclesiæ Vercel-

lensi præfecit, in congregationibusq; sanctissimæ Inquisitionis, super regulares, super typos impressionis Vaticanæ, & S. Hiacynthi canonizationem collocauit. Eruditionem Sarnani testantur Commentaria ipsius in Prolegomena Porphyrij; Conciliationes S. Thomæ Aquinatis cum Doctore subtilissimo Ioanne Scoto in ijs præcipuè quæstionibus, in quibus inter se maximè dissentire videntur, in quibus ostendit nullã, vt vulgus opinatur, esse cõtrouersiam inter eos Doctores, si bene intelligantur; Amplificatio lecturæ, & ad lucem restitutio fratris Ioannis Valloni super formalitates Scoti; Aureolus, cum Capreolo conciliatus typis mandatus, & omnia opera Scoti, & Francisci Mayronis, quæ impressa proculdubio circumferrentur, nisi ei vitã mors Romæ hora 17. die Dominico pridie Kal. Ianuarij sal. 1595. Põt. IV. ætatis 64. improuiso quodã accidente, quãuis paulò ante, cum se laborare sentiret sumptis Ecclesiæ sacramentis, ad mortem se præparauerat, correptus, quod vix ei tempus concessit hæc verba pronunciandi. In te Domine speraui, non confundar in æternum S. Francisce præsto mihi sis, ad æternam felicitatem, vt piè creditur, migrauit. Eius corpus portatum ad Basilicam SS. duodecim Apostolorũ Ordinis Minorum Conuentualium, orta lite de eodem humando inter Conuentuales, & Obseruantes; isti. n. in Ecclesia S. Petri in Monte Aureo, cuius titulum optarat sepeliri debere dicebant; illi in Ecclesia SS. duodecim Apostolorum, quod eiusdem ordinis esset contumulandum esse, asseuerabant; in eadem Ecclesia depositum est, donec ab Obseruantibus victa lite ad Sanctum Petrum in Ianiculo delatum est. verum paulò post in patriam translatum in Ecclesia S. Francisci, quam cum Cęnobio, & si pauper erat, ędificarat splendidè, dotaratq; terrę mandatum est. De his autem si quis latius audire velit extat oratio funebris Danielis Alsuorti Angli Theologi, in qua breuiter, & dilucidè tanquam in tabula vita, mores, & facta præclara Sarnani depicta referuntur.

XIV.

XIV.

PAndoram quasi alteram ob dona, seu ob omnes virtutes à superis donatas meritò appellarim IOANNEM FRANCISCVM Maurocenum Clarissimum Venetum è nobilissima prę cœteris; pręsertim ob splendorem illius magni Petri Cardinalis Gregorij XII. propter doctrinam, & res præclarè pro Sede Apostolica gestas celeberrimi, & parentum Petri illius serenissimæ Reip. Senatoris,& matris, Aloysij, Iulij III. & Federici, Sixti V. Cardinalium Corneliorum sororis, illustriq; propagine natum; qui ijs disciplinis operam nauans, quæ ad Rempublicam rectè gubernandam conducebant; istis adiuncta morum grauitate, & Christiana disciplina in Senatum ante alios coæuos cooptatus, ab eo multis muneribus, & Legationibus Reip. insignitus, in Sabaudiam, Poloniam, Galliam, Lusitaniam, Hispaniã,consilij sapiens declaratus, honor summus in eo; tandẽ Constantinopolim ad Turcarũ Tyrãnũ Orator (Baliũ hunc vocant) missus, in his Legationib. tã honorificè se gessit,Reip. amantẽ, religionis defensorẽ, humanũ,ac benignũ,magnaimũ,in negotijs pertractãdis prudentẽ,ac iustũ se ommib. ostendẽs,vt cum ob mortẽ Episcopi Delphini,Brixiẽ. Ecclesia vacaret; Gregoriusq; XIII. multarũ Religionũ Principib Patribus Venetias scribens separatim magis pios, & ad res spirituales moderandas; præsertim Ecclesiã Brixien. Senatores sibi literis notatos mitti, curasset, Io. Francisci Mauroceni nomen; non modo in omnibus: sed etiã primo loco positum est, quod videns Pontifex Episcopũ Brixien. eum elegit; Cardinalẽ etiam creaturus; sed ei mortuo, succedens Sixtus V. diplomata collatæ Eccl. nondũ conflata confecit, eũ cohortatus,vt ad gregẽ cõmissum pascendũ concederet, quod fecit,quando eã esse Dei voluntatẽ vidit, cum antea se indignissimũ ecclesiastica Dignitate multis indicasset,& summũ Pontificẽ rogasset, vt acceptis excusationib eam administrationẽ digniori conferret; in quo Episcopatu postea moderãdo, quotidie rẽ sacram agendo,ieiunijs,castitate,pietate, animarũ de-

ſiderio, & aliarũ virtutũ epiſcopaliũ ea gloria floruit, vt alijs Epiſcop. ſplẽdidiſsimũ exemplar eſſet. Quibus omnib. virtutibus cognitis Sixtus V. qui finẽ imponere rebus Galliȩ adflictis, easq; eleuatas erigere, ac funditus bella, & ſimultates ab ea, & hæreſim ammouere ꝓcupiebat, aliquo Præſule præſtãtiſsimo eò miſſo; Epum Brixien. quò nullum aptiorẽ inuenit, quia Regis curiæ valdè gratus erat, propter Legationem, quam obierat, & quia omnes Galliæ partes ſingularis eius doctrinæ fama peruaſerat, Sedis Apoſt. Nunciũ ad Henricum III. mittit, qui, dum omnib. neruis intendit, vt pacẽ componat, honorẽ Sedis Apoſt. cõſeruet, & illud Regnum in priſtinum ſtatum reſtituat, ab eodẽ Põtifice, vt ipſius virtuti aliqua auctoritas adderetur an. 1588. Pont. IV. idibus Iulij, die Veneris in 6. promotione ſolus in Presbyterũ Card. tt. SS. Neræi, & Archilȩi promotus, pileo, ac Cruce miſſa, Legati Apoſtol. eo in Regno, titulo inſignitur; ſed cum ibi adeſſet, quando Rege mandante, occiſi ſunt Card. & Dux Guiſij, nõ potuit æmulorũ calũnias euitare, quȩ tales fuerũt; vt Italiã reuerſum, Põtifex ſubiratus audire renuerit; quo viſo, nõnulli primarij Curiæ Præſules eũ adhortantur, vt inſimulato negligẽtiæ crimine, ad pedes Sãctiſs. ſupplex procidat, quib. ille ſuæ ſibi innocẽtiæ conſcius, & veritati fidens; malle ſe quaſuis iniurias perpeti, quã ſimulare adulationẽ aliquam, reſpondit. Superatis poſtea & patientia, & virtute falſis criminũ inſimulationib. in gratiã Pontificis rediens, ad tt. S. Mariæ in via translatus, ſeuocare ſe à Curiȩ, ac ſtatus negotijs, & pacatè viuere Eccleſiæ ſuæ adminiſtrationi dũtaxat intẽtus cupiẽs, ſe ad eã recipit; ſed nõ multo poſt Romã, ob crebra cõclauia, & negotia Germaniæ, & Vngar. quarũ cõgregationib. ẽt prȩerat, reuocatur; qui circa finẽ anni 1595. ex improuiſo Brixiã veniẽs, inibi ex apoplexia; liberaliter pauperib. ſupellectili, familiaribusq; multis facultatib. legatis, ſpatio 5. dierũ, annorũ 59. 4. idus Ian. die Merc. hor. noct. 5. an. ſal. 1596. Põt. 4. animus ex hoc corporis carcere poſt multa, quatuor humorũ cõtẽtione, ad triumphãdum in omnẽ æternitatẽ

non

non sine ingenti bonorum luctu commigrauit. Eius corpus in Cathedralis Ecclesiæ cœmeterio depositũ, Venetias in sepulchrum maiorum translatum est. In eadem Ecclesia eius exequiæ, ac iusta solenni pompa ducta sunt, orante in ipsius funere Marcello Tolosa Clerico Regulari Theatino, ex cuius eleganti oratione ea, quę de Ioanne Francisco diximus summatim collegimus.

XV.

ET doctrinæ studijs, & ciuilibus artibus; quæ laus raro vni, eidemq; contingere solet, etate nostra excelluit PHILIPPVS Sega Ioannis Andreæ filius, patria Bononiensis, & origine Rauennas, cum ipsius familia (vt fertur) eadẽ sit cum Raualda in ea Ciuitate nobilissima. Is.n. in patria Accademia legibus talem operam dedit, vt Doctoratum anno 1560. 9. Kal. Octob. consecutus, ad primos peruenerit; idemq; post, Romam profectus sub Pontificib. Pio 4. & Pio V. omnes ferè Aemiliæ Ciuitates prudẽnter, summaquè sui cum laude rexit, cuius Ditionis à Gregorio XIII. cui aliqua affinitate con iungebatur anno 1572. renunciatus Pręsidens, mox Piceni Gubernator, Ripanæ Ecclesiæ Episcopus electus, vtpotè qui ad res ciuiles pertractandas maximè aptus videbatur, cum Flandri intestino bello exercerentur, neq; collum superbũ suauissimo Philippi II. Hispaniarum Regis iugo submittere vellent, Pont. pacis amicus, vt illud sedaretur anno 1577. Nuncium Sedis Apostolicæ Philippum ad Ioannem Austrium Regis fratrem, qui pro eo illorum populorum habenas regebat misit, & ex Flandria in Hispaniam ad eundem Philippum Catholicum Regem, vbi ei mutata est Ripana in Placentinam Ecclesiam, ad quem ab eodem Pont. secundo missus, cum intellexisset in ijs partibus multos Carmelitarum primam ordinis vitã, quæ fuerat mitigata denuo instituisse, seuerioriq; victu ad carnem edomandam vsos, excalceatos, quo postea nomine sunt nuncupati incedentes, in eo Regno ita creuisse, vt ex ijs XXII.

Cœnobia essent extructa; ijq; à mitigatis Carmelitis vexarentur, horum Vicarium generalem fratrem Angelum Salazariũ deputauit, donec de Pontificis mandato à mitigatis separati, atq; in vna Prouincia collecti electum sibi Priorem Prouincialẽ, qui tamẽ Generali totius ordinis Priori obtemperaret haberent. Qui in Italiam reuersus Sixti V. Pontificis nomine ad Rodulphũ II. electum Imp. Nuncius mittitur; ipseq; & frater; Hieronymus item Aguchius V.S. Referen. vir in Romana Aula conspicuus, alijq; nepotes multis priuilegijs ad amorem, quo Philippum prosequebatur ostendendum ab eodem donati sunt. Sed prętermissis legibus, ac Canonibus, eodem Sixto Pont. mandâte à Philippo, pro recta administratione Collegij Picentium Bononiæ erecti constitutis, veniamus ad illas, post mortem Henrici III. bellorum Galliæ procellas, quibus commotus Pontifex anno 1589. Legato de latere in eas oras Henrico Cardinale Caetano, & sanguinis nobilitate, & rerũ ad statum pertinentium vsu, vitæ, & morum integritate celeberrimo; præter alios selectos Præsules; inter quos tu Laurẽti Blãchette, tunc Rotæ Audit. nunc S. R. E. Cardinalis (alios taceo) Philippum Prolegatum dedit, qui pro Religione catholica eo in Regno propaganda, hæretica labe delenda; quæ discrimina, quos labores, & qualem egestatem in Lutetiæ Parisiorum obsidione pertulerit, vna tecum, Cardin. Amplissime, & cum alijs, qui cum Legato aderant Præsulibus, tu ipse omnium particeps non ignoras. Qualem autem se gesserit eodem Cardinale Legato, vobisq; in Italiam reuersis, quam cumulatè Legationis munus impleuerit; volumina de his confecta, summusq; honor absenti ab Innocentio Nono post Greg. XIV. ad Pontificatum assumpto habitus satis apertè declarãt, qui, Philippum, vt de Sede Apostolica optimè meritum, anno 1591. Põt. primo, 15. Kal. Ianuarij, die Mercurij, in sacrum Senatũ legit, amplissimi Ordinis pileo; ac Cruce Legationis, insignibus ad illũ in Galliã missis, vt in illis conspicuus inter Regni Proceres esset, quo in munere cum Clemens VIII. po-

stea

stea confirmauit; ex qua Legatione in Italiã reuersus, quò nũquam per quinquennium venerat, anno 1594. 17. Kal. Decẽbris die Martis Romam ingrediens, obuiam procedentibus, solenni pompa 37. Cardinalibus, quamplurimis Præsulibus, ac tota Curia, à Pontifice, publico Consistorio, & vt Cardinalis; qui creatus, nunquam Romæ fuerat, & Legatus de latere, titulo ei S. Onuphrij dato, & rebus Germaniæ Præposito excceptus est, qui dum se dignum præbet Cardinalitia, & etiã Pontificia dignitate, quæ vulgò ei deferebatur, in quodã pago Equitis Cecchini Nerij, extra Portam Pincianam Romæ posito, quo aëris mutandi causa concesserat; obijt anno 1596. Pontificatus V. die Mercurij 4. Kal. Iunij hora 11. eiusq; corpus eodem die Romam portatum, in Ecclesia S. Onuphrij sepultum est; cuius morte audita Bononiæ Pompeius frater, & dolore animi, alijsq; de causis confectus, item obijt, relicta in magna solicitudine familia.

XVI.

FRANCISCVS Toletus, in nobilissima illa vtriusq; Senecæ, & Lucani patria Hispaniæ Bæthicæ Ciuitate Corduba anno Domini 1522. 4. nonas Octobris, è parentibus ciuilibus ortus, ab ijsq; in teneriori ætate, atq; etiam adolescenti sanctisimis morib. & præcipuè Dei timore instructus, Philosophiã ita apprehendit in celebri illa Salmanticensis Gymnasij Academia, vt laurea magisterij sumpta annorum tantum 23. Philosophiæ cathedra, quæ non nisi viris ætate grandioribus, & celeberrimis dari solet, illi; præ cæteris electo, concessa sit, in qua biennio eam professus, omnes illius candidatos insigni affecit admiratione, quo exacto, cum in Hispania Societ. Iesu altas egisset radices, atq; in ipsa Salmanticensi, & Cordubensi, alijsq; Ciuitatibus, ac locis Collegia, ac domos erexisset, à Domino Deo interius commotus, extrinsecus illorum Patrum vitam, religionem, ac charitatem admiratus, vt animæ suæ, atq; aliorum consulat illi nomen dat, in qua So

ciet. ſenſibus mortificandis, atq; animo; ſumma primum Religione, deinde ſacris diſciplinis inſtruēdo deditus, breui Philoſophiam, & ſacram Theologiam; cum vno, eodemq; tempore confeſſiones etiā audiret, ſumma cum laude publicè profeſſus eſt, & cum aliquando Romæ Patres Societ. in Gymnaſio virum aliquem celebrē electuri eſſent, cognita Toleti ſingulari ſcientia, ſæpius inſtare, vt Romam ille concedat. At Imperatrix Regis Hiſpaniarum ſoror, cui Toletus maximè carus erat, diſceſſum nunquam voluit concedere, niſi quando febre quartana aſſiduo biennio Franciſcum vexante, Medici aërem mutandum, conſuluerūt. Ex Hiſpania igitur Romā, Pontifice Paulo IV. profectus, publicè ſacras diſciplinas profiteri, Seminaria adminiſtrare, ſtudijs præeſſe, Collegium Germanicum regere, & præ ceteris admirabiliter ſermocinari cœpit, quæ omnia cum Pius V. ſummus Pontifex, & præſertim ſermocinandi excellentem quēdam modū Franciſci, auribus imbibiſſet, ideq; Ioan. Aldobrandinus, tunc ſacræ Rotæ Auditor, poſtea Cardinalis, Toleto amiciſsimus, multa de eius religione, & doctrina prædicans, apud ſummum Pontificē confirmaſſet; poſt Benedictum Palmium, & Alfonſum Salmeronē eiuſdem inſtituti Patres, meruit Franciſcus à ſummo Pontifice eligi, qui coram eodem, & ſacro Cardinalium Collegio concionaretur, in quo munere tandiù ſe exercuit, donec (vt dicemus) ad Cardinalatū fuit aſſumptus. Legato poſtea ad Imp. Maximilianū II. Io. Franciſco Card. Cōmendono, propter negotia coronati Coſmi Medicei, titulo Magni Hetruriæ Ducis ei adhibito, cumq; in fœdere contra Turcas coniungendi, atq; in Poloniam etiam miſſo, ſummus Pont. Cardinali Toletum voluit præſto eſſe, quo cum in magnis illis negotijs conſilio, ac prudentia adiuuaret, quæ legationes feliciſsimum exitum ſortitæ ſunt, & quia negotia ad optimum finem perducta fuere, & quia admonente Franciſco multi Hæretici Poloni ad veram fidem conuerſi ſunt. Mortuo porrò Pio V. atq; illi Gregorio XIII. ſuccedente; cum felicem Germanæ Polonæq; Legationū euentum

cum percepisset, Toletum idoneum ratus Pont. qui in Flandriam mitteretur, quo excellentissimum, & eruditissimum quendam publicum Louaniensis studij lectorem ad veritatis lumen deduceret, qui lector cum quadã opinione erronea niteretur ad Pôt. scripsit, se summo veritatis habendæ circa hoc desiderio flagrare, siquidem inter plurimos Theologos, quibuscum disputarat, neminem qui sibi faceret satis adhuc inuenerat, quod si quem virum doctum mitteret, qui efficacibus rationibus eum vicisset, se libenter veritatem Christianam amplexurum: sin secus, se in illa opinione permansurum. mittitur ergo Toletus, eoq; (quod sanè res mira visa est) duorum mensium spatio peruenit, hæreticum vicit, victiquè, & (quod caput est) conuersi, literas Romam portat, quibus ille se efficacibus Toleti rationibus acquieuisse testatur, quod sanè magnæ lætitiæ fuit Vniuersæ Ecclesiæ Dei, quandoquidem cum Hæreticus ille magna præditus esset eruditione, multosq; alumnos haberet; vt quãplurimos à vero tramite seduxerat; ita postea multo plures ad eundem tramitẽ perduxit, vnde proculdubio multo maius emolumentum, quam detrimentum habuit Resp. Christiana. Hoc igitur facinus tam gratum Gregorio XIII. Toletum redidit, vt in Italiam redeunti diploma; quo facultatem extra Societ. commorandi, dabat, à superiorum obediẽtia absoluebat, ei concesserit; vnde postea in Apostolico Palatio commoratus, munus concionandi exercuit, in multis alijs negotijs eius operam summis Pontificibus adhibẽtibus, vt Sixtus V. in reformandis sacris Biblijs, in quo, vt in omnibus, sic omnibus satisfaciens, assumpto ad Pontificatum Clemẽte Octauo, cuius à confessionibus, & à consilijs in maximè arduis, & periculosis Christianæ Reip. negotijs, fuit. Anno Domini 1593. Pont. II. in prima quatuor Cardinalium promotione Romæ die Veneris 15. Kalẽ. Octobris, ab eodem in sacrum Collegium fuerit cooptatus, maximè repugnantibus Patribus Societ. Iesu, asserentibus Patres Religionis Canonibus, omnib. Ecclesiasticis dignitatibus interdici, adhibita etiã permul-

per multos menses continua oratione, atq; etiam multos Principes supplicantibus, vt Pontificem ab instituto proposito dimouerent: sed frustra; Pontifex.n. Presbyterum Cardinalem tt. S. Mariæ Transpontinæ creauit, ponens eũ in Congregationibus rerũ Germaniæ, Vngariæ, & summorũ Pontificatus negotiorum, & præsertim de rursus benedicendo, & reconciliando cum S. R. E. Henrico Quarto Galliarum Rege, à qua postea vniuerso terrarum Orbi; & summum gaudium, & vtilitas emanauit, atq; indies magis, ac magis emanaturam sperandũ est, quod bonum Francisco potissimum arrogandum est, qui enixè opportunam esse eam benedictionem probauit; quinq; præcæteris rationibus his capitibus. Ex Euangelico præcepto. Ex iure naturali. Ex iure Canonico. Ex argumentis à ratione sumptis. Et ex argumentis moralibus, quapropter ei; post Pontificem, tota Resp. Christiana propter istud egregium facinus, gratias debet habere immortales. Cæterum iste cum illi summus Pontifex quædam ditissima Sacerdotia aliquando vellet conferre, contentus nonnullis paucis pensionibus, quæ ad victũ, & exiguam familiam sufficerent, sic eadem repudiauit, dicens, quod si in vno, summo Pontifice sic volente instituta Religionis suæ excesserat, in eo paupertatis nullatenus intẽdebat excedere, qui patrocinio Canonicorũ S. Saluatoris suscepto, vt suam erga pauperes pietatẽ ostenderet; multas Virgines Festo B. Virginis à Niue, proprijs sumptibus an. 1596. in matrimonium collocari iussit; quo anno mortali correptus morbo, summo Pontifice, inaudita beneuolentia, eundem visente, annorum ætatis 74. 18. Kal. Octobris, die Sabbathi, hora 23. Festo Exaltationis S. Crucis, in Apostolico Palatio, vbi commorabatur, spiritũ emisit. Hærede facultatum suarum instituto B. Virg. Altari in S. Mariæ maioris Ecclesia posito, ea ratione, vt tot Sacerdotia instituerentur, quæ quotidie in honorem eiusdem Virg. & pro animabus defunctorum rem sacrã haberent, quot pecuniæ ex supellectilibus recipiendæ postularent, cui Ecclesiæ antequam vlla exornaretur dignitate, duodecim

decim lampades argenteas, & postea multa ornamenta, & sacras vestes donauit, maximè veneratus illam Basilicam, quod nominis celebritate alias excelleret, & prima in Vrbe dicata fuisset B. Virgini, cuius in omni statu mirum in modum fuerat deuotus, in cuius præcipuis diebus festis, Cõceptione, Annunciatione, & Assumptione ante consueuerat quadraginta diebus, & octo ante alios, prçter Quadragesimam, Aduentum, & tres dies hebdomadis ieiunare, corpus castigans, eleemosynas impertitus, & noctu pedibus Ecclesias suas in illis solennitatibus inuisens; relicta Societati Iesu Bibliotheca, & familia optimè remunerata. Vir in summa dignus longiori vita, ad christianæ Reip. beneficium, atq; vtilitatem, propter religiosissimæ vitæ exemplum, prudentiam, & summam doctrinam, vt multa ipsius opera testantur, inter quæ sunt (si in nomen nõ cadit æquiuocatio) Epistola contra Ioannem Rochezanam hæreticum scripta. Cõmentaria super S. Ioannis Euangelia. Super introductionem Dialecticæ, ad Logicam, In libros Physicorum, in libros de Anima, de generatione, & corruptione Aristotelis typis mandata. Summa. Commentaria super Epistolam Sancti Pauli ad Romanos. Super Lucam à primo, vsque ad duodecimum caput. Conciones latinæ, & alia ipsius scripta, nondum in lucem edita. Eius corpus sequenti Dominica 17. Kalen. Octobris ad Ecclesiam Societatis portatum; postquam illi parentatum fuisset, ad Sanctam Mariam Maiorem delatum est, ibiq; in pauimento sepultum, non longe à superioribus Basilicæ foribus; vbi in pariete à Canonicis nobili sepulchro donatur, in quo sequens elogiũ legitur.

D. O. M.

Francisco Toleto Cordubensi S. R. E. Presbyt. Card. qui doctrina, prudentia, religione, sacra eloquentia, meritis, summorum Pontificum gratia, ad extremum purpura Clementis VIII. beneficio clarus, Deipara Virgini apprimè deuotus, cui viuens omnem animum

animum, moriens omnem hæreditatem consecrauit, & iuge sacrificium in eius honorem, amplo annuo censu duodecim Sacerdotibus distribuendum decreuit. Vix. annos 73. menses 11. dies 10. obijt anno 1596. die 14. Septembris. Huius Basilicæ Canonici, & Capitulum viro amplissimo, & optimè de se merito posuere.

XVII.

EX illustrissima Columna familia; vt Romę, sic in tota Europa; & antiquitate, & titulorum splendore, & virorum insignium ex ea emanantium clarissima, inter quos vnus summus Pont. Cardinales duodecim, & innumeri (propè dixerim) Præsules connumerantur, vt Principatu Salernitano, ac Ducatibus Venosæ, Traiecti, Amalphitano, Palliano, & Talliacotio; ac Cotronensi Marchionatu insignitos, belloq; illustres viros taceamus; exiluit nostra tempestate M. ANTONIVS Camilli, & Victoriæ Columnarum filius, qui iuuenis; post humanitatis, & Philosophiæ studium, in quo maximum ingenij acumen ostendit; dum postea se sacris disciplinis dedit Romę anno 1554. audiuit à Fr. Felice de Monte Alto Ord. Minorum postea summo Pont. Scoti formalitates, in quibus studijs, summa cum laude consenuit, coniungens cum disciplinis morum integritatem, qui eum talem in Curia romaña reddiderunt, vt ex Abbate, Archiepisc. Tarentinæ Ecclesiæ à Pio IV. cuius Pastor olim fuerat Pet. Frãciscus frater Pompeij, Leonis X. Card. eiusdẽ gentis electus, ad sacram Trid. Synod. sit missus, cui finẽ imposito, Pręsul; vt fama erat integerrimus, & maximè doctus ab eodem Pontifice anno 1565. Pont. VI. die Lunę 4. Idus Martij in quarta 23. nobilissimorum, & maximè præcipuorum Præsulum creationę Presbyter Cardinalis Basilicę SS. duodecim Apostolorum declaratus est. Sub Pio V. Pont. Archiepiscopatum Salernitanæ Ciuitatis rexit, quem anno 1574. sedente Gregorio XIII. Marco Antonio Marsilio nob. Bononiensi Cornelij, & Lauiniæ Columnæ filio renunciauit, à quo Pont. anno 1581. 8. Kal. Nouẽb. Legatus de latere Piceni, & Cam-

Campaniæ declaratus, eam Legationem prudentiſsimè moderatus eſt, donec vixit Gregorius, à quo etiam ad titulum S. Petri ad Vincula translatus eſt. Cæterum ſuccedente in Pontificatu Sixto V. ab eo; à quo multum diligebatur, ſtatim Legatione Campaniæ, Maritimæq; inſignitus, in Congregationibus Indicis librorum prohibitorum, & Canonizationis Sancti Dydaci poſitus; relicto Sancti Laurentij in Lucina titulo, Epiſcopus Cardinalis Prçneſtinus, Protectorq; Flandriæ eligitur. Mirum eſt, quod omnes Pontifices ei aliquam dignitatem certarint deferre, Greg. quippè XIV. tertiò Cãpaniç Legatũ, & Clemens VIII. mortuo Card. Alano, Bibliothecariũ Apoſtolicum declarauit. Fuit hic vir tantç virtutis, & expectationis, vt in crebris illis, ob morte Vrbani VII. Gregorij XIV. & Innocentij IX. Pontificum Sedibus vacantibus, ab omnibus ſummus Pontifex expectaretur, qui in Zagarolæ caſtro in Diçceſi Paleſtinæ ſito, quò; die ante mortem ſe contulerat valetudinarius, vt ibi tota æſtate cõmoraretur, tertio idus Maij die Martis, hora 15. anno 1597. Pont. VI. vitam cum morte cõmutauit; ibiq; in Eccleſia Sanctæ Mariæ apud Franciſcanos ſepelitur.

XVIII.

Singularis profectò exempli virum, ex multorum ſeculorũ memoria fuiſſe Gabrielem Palæotum nobilẽ Bononien. Alexandri I. V. D. & patriæ Senatoris, ac Gẽtilis Voltæ filium, anno 1522. 4. nonas Octobris, die Lunç ortum; oẽs, ad quos rerum ab eodem gerendarum fama peruenerit fatebuntur. Huic ea animi, & ingenij indoles fuit, vt à primis annis in literas humaniores, & legalẽ ſapientiã incumbens, breui excellens Orator, & I. C. diſciplinis, mores Angelicos, pietate Chriſtiana comitãte cõiungens, euaſerit. Et annorũ 24. gradu Doctoratus ſumpto per decenniũ in noſtro Gymn. Bononien. multis nobiliſsimis viris audientib. inter quos fuit Hippolyt. Aldobrandinus nunc feliciſsimus Eccl. Cathol. Paſtor, leges ſum-

ſumma cum laude fuerit profeſſus. Iam verò virtuti Gabrie-lis, quæ poteſt par oratio inueniri? Quid eſt, quod quiſquã, aut dignum illo, aut Lectori nouum, aut cuiquam inauditum poſſit afferre? Non enim illæ ſunt ſolæ virtutes Chriſtianæ, pietas in rebus ſacris, fortitudo in periculis, induſtria in agen-do, celeritas in conficiendo, conſiliũ, ac prudentia in prouidẽ-do, quæ tanta ſunt in hoc vno, quãta in omnibus reliquis Præ-ſulibus, quos aut vidimus, aut audiuimus, non fuerunt. Teſtis eſt Bononia, in cuius maiori Eccleſia mortuo Galeatio fratre Canonicatu donatus, cum ob doctrinam, & integram vitam Io ãnes baptiſta Campegius vir omnium virtutum genere, quę in Præſule deſiderari ſolent: ſed præſertim in pauperes libera litate inſignis, ei Maioricenſem Cathedralem Eccleſiam vel-let renunciare, eam repudiauit. Teſtis eſt Roma, quò anno 1556. mortuo Peregrino Fabio Epiſc. Veſtano, à Paulo IV. cui Gabrielis dotes Hippolytus Aldobrandinus per Syluestrũ patrem aperuerat, vocatus, vbi ſacræ Rotæ Auditor deſigna-tus eſt, in illo Tribunali, virum ſe ea dignitate, & maiori di-gnum, propter morum integritatem, ſingularem doctrinam, inauditam humanitatem, & admirabilem animi demiſſionem, ac diuinum quoddam rerum ad religionem ſpectantium deſi-derium, quæ omnia in illo excellebant, demonſtrauit. Teſtis eſt Tridentina ſynodus, in qua à Pio IV. anno 1561. miſſus, ta-lem operam præſtitit, vt inde anno 1565. Pont. VI. in 4 pro-motione Romæ 4. Idus Martij ſacra purpura Diaconus SS. Ne ræi, & Archillæi, poſtea Presbyter tt. SS. Ioannis, & Pauli creatus, meruit cohoneſtari. Quid? quanta iuſtitia, & reli-gione Eccleſiam Bononienſem rexit, quam ob mortem Ranu-tij Farneſij Cardinalis Sancti Angeli vacantem Pius V. primo Pót. menſe ei contulit electo Epiſcopo, & Imperij Principe quo titulo Henricus V. Imperator anno 1191. huius Ciuita-tis Paſtores donarat, ad quam moderandam 6. Kal. Martij an-no 1566. venit, in cuius adminiſtratione à primo vſq; ad vl-timum diem ita ſe geſsit, vt proprio exemplo tacitus, qua ra-tione

tione gregẽ sibi commissum possent pascere alijs Episcopis demonstrarit. Et quando verbis non opus est, vbi res ipsa quodammodo loqui videatur, prętereamus assiduos illos labores, quibus nũquam pro grege pepercit, ardentissimum illud animarum ad Deum conuertendarum desiderium, mores populi, ac cleri ad auitam Ecclesiæ disciplinam ad Concilij Trid. decreta, ab eo reformatos. Missas faciamus restaurationes illas templorum Ciuitatis, & Diœcesis, Episcopalis Palatij, & in maiori Basilica, Chori, ac confessionis, sacelliq; quod Palæottæ familiæ Iuspatronatus est Deiparæ Virg. dicati, regio (propè dixerim) sumptu, substructiones excitatas, prçciosissimis SS. Zamæ, & Faustiniani primorum Ciuitatis Episcoporum corporibus, Vitalis, & Agricolæ martyrum Bononiensiũ, alijsq; Sanctorũ Reliquijs, partim è Gallia Cisalpina, ac Taurino translatis (quò, cum Carolo Cardinale Borromæo peregrinatus fuerat ad inuisendam sanctam D. N. Syndonem, quæ ad æternam Sabaudiæ serenissimorum Ducum gloriam in ipsorum Ditione conseruatur; super qua quisq; in lucem videre poterit piam Explicationem Alfonsi Palæoti Archiepiscopi Bononiensis) partim ab eodẽ Alfonso, de quo infra, summo labore, & longo temporis interuallo collectis exornatas. Sed veniamus ad Greg. XIII. item Bononiẽ. & collegam Gabrielis, à quo cũ alijs Cardd. super Indicẽ librorũ prohibitorũ deputatus, titulo SS. Io. & Pauli, in S. Martini in Mõtibus mutato; cũ Bononiensis Ecclesia Archiepiscopali Dignit. ei suppositis septẽ nobilissimis Ciuitatibus, Mutina, Rhegio, Parma, Placẽtia, Crema, Foro Cornelio, ac Ceruia aucta fuisset, Gabriel Cardinalis, cui propria manu plenitudinis potestatis Pallium Pontifex dedit, primus ipsius Archiepiscopus declaratus est; sub quo Pontifice, piè Eremũ Camaldulensem inuisens, ad perpetuum Archiepiscoporum Bononiensium illac transeuntium ibi receptaculum S. Petronio Episcopo dicatum, ædificauit. Sedente porrò Sixto V. prima Synodo Prouinciali celebrata in Congregationibus super ritus sacros, & cęremonias Eccle-

siasti-

ſiaſticas, nec non pro electione Eccleſiarum cathedralium, & prouiſionibus Conſiſtorialibus collocatus, à S. Martini in mõtibus, ad S. Laurentij in Lucina titulum translatus; mox Epiſcopus Cardinalis Albanus electus, in ſede Vrbani VII. vacante collocabatur, niſi vnum tantum votum defuiſſet, à qua ſummi ſacerdotij dignitate tantum abfuit; vt eam à diuina prouidentia ſibi non hominum beneuolentia, quam nunquam, ob eam cauſam ſibi conciliare ſtuduit, voluerit deferri, quem creationis obicem tanta animi pertulit tranquillitate, vt eum; non modo, quod illud æquo animo pertuliſſet; ſed etiam, quod vota illis ipſis, qui ei contradixerant, daret, ſummopere admirarentur. In Vrbani VII. locum ſuffecto Gregorio XIV. ex Albano factus Sabinenſis Epiſc. eum populum, & Clerũ ad perfectam diſciplinam reſtituens in ea ditione nobiliſſimum ſeminarium extruxit, quod ante ipſum: ſed fruſtra alij Cardinales Epiſcopi prædeceſſores neceſſitatem inſpicientes facere tentarant, & quia idem Pont. optimè cognoſcebat vtilitatem, quæ ex eo emanabat, quod Gabriel Romæ commoraretur; particulari Bononienſis, vniuerſale Eccleſiæ Dei beneficium anteponens, vt maiori animi quiete eum detineret, eidem conceſſit Coadiutorem cum futura ſucceſsione Alfonſum Paleotum ipſius conſangineũ, virum; vt in legibus Ciuilibus, & Canonicis, ſic in ſacra Theologia erudititſsimum, quem; poſtquam per aliquot annos in publico patriæ Gymnaſio legiſſet, & munus Aduocati Romæ exercuiſſet Cardinalis Canonicum; mox Archidiaconũ, quæ primadignitas poſt Archiepiſcopalem in Eccleſia Bononienſi eſt, celebriſq; quod qui ea cohoneſtantur ſint Cancellarij ſacri Romani Imperij, & Doctoratus gradum in quouis ſcientiarum genere conferant, fecerat, incredibili omnium plauſu, qui præter ſingularem doctrinam, & rerum vſum, continentis vitæ integritatem, caſtos mores, Eccleſiaſticam libertatem, & cœteras ad optimum Paſtorem requiſitas virtutes, admirabantur, quo etiam in eiuſdem Eccleſię adminiſtratione vſus fuerat per multos annos hunc Pontif. anno

1591.

1591. Pont. I. die Mercurij, idibus Februarij, in ſecreto Conſiſtorio, eadem de cauſa Archiepiſcopum Corinthi, & dignũ, vt eſt Gabrielis in Bonon. Eccleſiæ adminiſtratione ſucceſſorẽ, cui etiam; tum ob egregias animi dotes, Eccleſię, ac ſanguinis nobilitatem, tum ob tanti Cardinalis merita, omnes vno ore maiora repromittunt, declarauit. Verumenimuerò ne videar rem meam agere, proprioq; & ſeruitutis, & conſanguinitatis vinculo commoueri, vt præclaras Alfonſi dotes extollã, ad Gabrielem reuertar, qui ab eodem Pontifice inter eos Cardinales, qui quibuſdam Pontificijs diplomatibus reformandis præerant annumeratus, & à Clemente VIII. pro canonizãdo B. Hiacyntho, & in alia multa deputatus, eam in dicendis ſententijs libertatem, cum grauitate coniunctam ſemper tenuit, vt ſine vlla aſſentatione, aut timiditatis labe: ſed magna modeſtia, & libertate, quod conducere putabat, loqueretur, quod omnibus alijs in rebus, tum præcipuè notum fecit, quo tempore de alienandis Eccleſiæ Romanæ bonis aliquando ageretur; vehementer. n. illi conſilio, nulla prorſus maximorum principum, ſiue aliorũ, qui repugnabant, ratione, habita obſtitit, qui an. Dom. 1597 Põt. VI. in fine menſis Aprilis in mortiferũ incidens morbũ, qui eũ trib. ferè menſib. in mortis agone detinuit, in quo ſemper ille, & fortem, & patientẽ ſe oſtendit, familiaribus ſuis, & animæ pijs legatis, officijs, ac ſacrificijs perpetuis conſulens, Eccleſia Bononienſi, quam moribundus ſucceſſori Epiſtola, propria manu ſcripta, ſumma animi ſolicitudine cõmendauit; aliqua ex parte hærede inſtituta, & ſacello in eadem erecto, de quo ſupra, dotato; ſacris veſtibus, vaſis argenteis, ad rem ſacram agendam ſpectãtibus, maximaq; pecuniarum ſumma ad pios vſus relictis, vniuerſæ Eccleſiæ dolore, Curiæ totius lachrymis, & præcipuè Patriæ meæ vehemẽter exclamantis, luctu; ſanctiſsimè, vt vixerat, Romæ die Martis 11. Kal. Auguſti, quarta ſequentis noctis hora, annorum ætatis 75. ad æterna præmia properauit. Iam verò, ne à breuitate degenerantes in doctrina demonſtranda in longum protrahamur,

tantum hoc nobis de Lectoris humanitate concesserimus, vt Tractatum de Nothis, & Spurijs, Episcopale Bononiæ varias ipsius constitutiones continens, ad rectam Ciuitatis, & Diœcesis administratione͂ elegantissimè conscriptum. Duos libros de sacris, ac profanis Imaginibus, ex quinq;, quos fuerat pollicitus. De sacri Consistorij consultationibus. Archiepiscopale Bononiæ, siue de Bononien. Ecclesię administratione, & de bono senectutis volumen, eloquentiæ, eruditionis, ecclesiasticæ dignitatis æterna monumenta, referamus. Restant etiã nonnulla alia imperfecta, vt ipsius Decisiones dum sacræ Rotæ Auditor esset. Acta omnia Concilij Tridentini nondum in lucem edita. Eius corpus depositum Romæ in Ecclesia Sancti Ioannis Euangelistæ Bononiensium; in Patriam translatum, in Cõfessione Ecclesiæ Metropolitanæ sub Altari Crucifixi, in priuato simplici sepulchro, quod sibi viuens posuerat, sepultum est. Eius funeralia in eadem Ecclesia postea celebrata sunt; orante in ipsis funere, summa eloquentia Carolo Caprara Iure consulto eiusdem Metropolitanæ Ecclesiæ Canonico, & eo tempore, quo iusta pręparabantur, ad mortẽ ægrotante Bornino Blanco Iur. Vtr. Doctore, & eiusdem Ecclesiæ Canonico, Aduocato celeberrimo, qui multa fam. Romę spatio viginti, & amplius annorum multos labores susceperat, cui antea orãdi prouincia fuerat demandata.

XIX.

Sicut in agricultura primò terram esse fœcundam oportet, deinde semina bona, & agricolam diligentem; sic Plutarchus educationem tribus potissimum rebus egere existimat, natura, doctrina, & exercitatione; quam educationem quanti esse duceret Lycurgus, exemplo duorum canum Lacedæmonijs ostendit, quæ omnia, qui in summo gradu reperta sint in Fr. MICHAELE Bonello anno Domini 1541. in oppido Boschi Dertonensis Diœcesis, ex honestis parentibus orto,

to, Fr. Michaëlis Alexand. postea Pij V. Pont. ex Gardina ſo
rore pronepote, ſapiens Lector poterit tacita cogitatione ri-
mari, nam hic ſub eiuſdem magni Auunculi diſciplina educa-
tus, poſtquam aliquanto temporis ſpatio aliud profiteretur,
ad ſtatum ſublimioré à Deo vocatus, religione media, Romæ
in Cœnobio S. Mariæ ſuper Mineruam habitum Patrum Præ-
dicatorum induens; adhuc iuuenis in ſtudia liberalium diſci-
plinarum, moribus proprijs corrigendis, Ordinis inſtitutis ob-
ſeruandis incubuit, vnde breui ſe dignum eo habitu, quem ge
rebat, oſtendens; ab omnibus ei honor habebatur, tum ob vir
tutes, quæ in ipſo mirificè elucebant, tum quia Auunculo ipſi-
us honores quotidie adiungebantur; ex Commiſſario enim
ſancti Oficij Nepeſinus, & Sutrinus Epiſcopus; poſt S. R. E.
Cardinalis, ac tandem ſummus Sacerdos renunciatus, quo tē-
pore pronepos Peruſiæ, vt ſacræ Theologię operam nauaret,
commorabatur, inſtantibus ſacri Collegij Patribus, vt aliquē
ex conſanguineis ſuis Cardinalem crearet, quò in negotijs per
tractandis Principibus ſatisfieret, ipſorum votis Michaël ido
neus iudicatus, qui inter ipſos aſſumeretur, Romam accerſitus,
ea dignitate ab eodem in prima promotione anno 1566. Pon
tificatus Primo, pridie nonas Martij, die Mercurij creatus Pre-
sbyter tt. S. Marię ſuper Mineruam, cum proprio pileo, Ale-
xandrini cognomine, & prouincia vniuerſi ſtatus Apoſtolici
adminiſtrādi annos tantum natus vigintiquinque donatus eſt,
in quibus dignitatibus, ac muneribus Auunculum imitatus, ta
lem ſe geſsit, vt potius hæ animum eleuarint, quam inflarint,
quandoquidem in audiendis negotijs facilem, in honoribus re
cipiendis humilem, in cauſis expediendis ſolicitum, in tractā-
dis prudentem, erga miniſtros, ac familiares, perhumanum,
ac clementem, erga pauperes pium, ac liberalem ſe ipſum ſem
per demonſtrauit. Sed, vt clarius eluceant eius virtutes ope-
ræpræetium eſt meminiſſe, quod anno 1568. mortuo Vitello-
tio Cardinale Vitellio, Sanctæ Rom. Eccl. Camerario, acci-
dit; cum enim Camerariatum vacantem, munus in Romana

Curia peramplum ipsi idem Pius Pontifex contulisset; ac paulò post, deficiente pecunia propter impensas, quas succurrens Rhodiæ Militiæ, Imperatori, Regi Galliæ, Reginæ Scotiæ, & exulibus Anglicis fecerat, deficiente inquam pecunia, ad bellum contra Turcas suscipiendum secum iam coniunctis Rege Catholico, & Venetis in eo celeberrimo fœdere, cui inter cæteros Cardinales præpositus est etiam ipse Alexandrinus, quadam die eum de Michaèle quæsiuisset, plac eret ne illi eundem Camerariatū concedere, quò pecunia ex ipsiu s venditione cū alijs, ad illud bellum eliceretur; inuenta summa animi alacritate in eo, qui respondit se eidem multo magis debere, quod illum ab eo, pro illo bello suscipiendo petijsset, quam cum sibi contulisset, Camerariatum Aloysio Cardinali Cornelio septuaginta millibus aureis, qui pro bello impensi sunt, vendidit Pontifex, nepotiq; Prioratum Romæ Religionis S. Ioannis Hierosolymitani, ob mortem Fratris Bernardi Cardinalis Saluiati vacantem, contulit. Veniamus modo ad Legationes, quas anno 1571. Legatum de latere declarans Pontifex ad Philippum II. in Hispaniam; ad Sebastianum in Lusitaniam, & ad Carolum IX. in Gallias demandauit, vt fędus initum cōfirmaret, & augeret, atq; etiam alia negotia ad Catholicā Religionem spectantia pertractaret, quibus Regibus literis ad eos scriptis, quam graue esset priuare se Michaèle, qui ipsi tā carus erat, & coniunctus; & cui summam negotiorum Sedis Apostolicæ commiserat, in cuius virtutibus se aquiescere affirmabat, alterum se ipsum eundem vocans, patefaciens, se maximi facere ea, pro quibus Cardinalis ad eosdem legabatur ostendit, quē ijs in itineribus, summisq; negotijs à selectis Præsulibus comitari voluit inter quos, ne aceruū hic velle cogere videamur, paucos hic, scilicet Hippolytum Aldobrandinum tunc sacræ Rotæ Auditorem, Alexandrum Riarium Cameræ Apostolicæ Auditorem Patriarcham Alexandrinū, Matthæū Contarellum, & Franciscū Mar. Taurusiū Cardinali Cameræ Magistrū datū, quorū primus nunc felicissimè in Apost. Solio sedet,

ſedet, cæteri Cardinales extiterunt, apponemus. Nimis longum eſſet hic recenſere quanta humanitate in omnibus Regni partibus; ſed præcipuè in Regia fuerit à Philippo exceptus, & quanta beneuolentia excultus, quæ inde colligi poteſt, quod ea omnia, quorum cauſa in Hiſpaniam conceſſerat ab ipſo; nō difficili negotio vnius menſis, ac dimidij ſpatio impetrauit. atq;, vt aliquid etiam de alijs Legationibus dicamus, expeditis in Hiſpania negotijs, in Luſitaniam flexit, Regemq; Sebaſtianum, vt ſe cum alijs Chriſtianis Principibus in fœdere cōtra Turcas coniungat, & Margheritam Valeſiā Caroli IX. Regis Galliæ ſororem in matrimonium ducat, diſponit. In Gallias poſtea, quo ſe Cardinalis, quam celerrimis itineribus, & periculis; propter hæreticorum inſidias ſe contulit cum veniſſet, vt Carolo idem, quod Sebaſtiano ſuaderet, quoad fœdus, & matrimonium nihil, multa autem, quæ ad rerum Eccleſiaſticarum eo in Regno reformationem attinebant, obtinuit. Romam inde reuerſus, cum non multo poſt ſummus Pontifex ad mortem laborans, ei ſacrum fœdus grauiter cōmendaſſet, atq; vt quamprimum nouum Pontificem eligeret, cum tot Cardinales ab eo creatos haberet, qui ei votum debebant exoraſſet: Cardinalis vniuerſo Reip. Chriſtianæ dolore, ac detrimento mortuo auunculo, ne ſacrū illud fœdus deſtrueretur, vix clauſo Conclaui, non modo in Greg. XIII. conſenſit: verum & alios Patres incitauit, vt ſummus Pontifex renunciaretur, à quo cum; vt par erat magni fieret, ab eo, vt etiam à ſucceſſoribus in ſummis negotijs, & Congregationibus, vt Regularium, cuius poſtea Præſidens fuit, & rerū Vngariæ ſub Clemente VIII. in quibus nomen religioſiſſimi, & prudentiſsimi ſemper conſeruauit, adhibuit. Omitto ob mortem Ioannis Card. Moroni Ordinis ſui, & Confraternitatis S. Bernardi Romæ, & poſt Philippum Card. S. Sixti Sabaudiæ patrociniū ab eo ſuceptū. Quid ſub Sixto Quinto? Non ne ab eo ad Canonizationē Sancti Didaci deputatus, relicto S. Mariæ ſuper Mineruam titulo, ad S. Laurentij in Lucina translatus eſt; Epiſcopus póſtea Car

dinalis Albanus, ex Presbyt. ſedente Gregorio XIV. renunciatus, quis neſcit, qua modeſtia Legationis munus anno 1591. ſibi à Pontifice demandatum in Galliã pro noua Regis electione ſe excuſans, repudiarit? Iam verò attingamus etiam Marchionatum Boſchij Patriæ ſuæ, quo à Philippo II. Cardinalis, ob ſingularẽ beneuolentiam, qua Rex Pium V. ſemper obſeruarat, & Michaëlem ob præſtãtes animi dotes, & mutuas amici animi ſignificationes, donatus eſt, ad quem poſsidendũ, Roma diſceſsit anno 1596. 5. idus Martij die Lunæ, ex quo Romam reuerſus, dum comitem ſe ſummo Pontifici iter Ferrariam verſus paranti, ad formandum nobiliſſimum illum Ducatum, ſine ſanguine, paulò ante ſua prudentia, Petriq; Cardin. Aldobrandini nepotis vigilantia, ad Pontificij Imperij propagationem, recuperatum ſe præbet, Hebdomade ſancta, quod ſeptẽ Eccleſias inuiſens incaluiſſet, laborans morbo, quem Medici Peremiã vocant, ſpatio ſeptem dierum, die Veneris, hora noctis 6. anno 1598. 6. Kal. Aprilis, Pont. VII. annorũ ætatis 57. ab hac infelici religioſiſsimè, ad felicem vitam trãſmigrauit; remuneratis prius ſplendidè familiaribus, pecunijsq; multis pauperibus legatis, qui eum miſerorum, & egentium parentem nuncupatum, diù, multumq;, quod quotannis, multa aureorum millia in ipſorum inopia ſubleuanda impẽderet, luxerũt. Corpus eius funebri pompa ad Eccleſiam S. Mariæ ſuper Mineruam portatum, ibi ſepultum eſt.

XX.

CVm de familia Cornelia Venetijs, & in tota Europa clariſſima, deq; S. R. E. magno Cardinalium numero, qui exiguo temporis interuallo, auitum ſplendorem in eadem confirmarunt, & magna ex parte auxerunt, ſupra in elogijs Aloyſij Iulij III. & Federici Sixti V. Cardinalium, qui Francisci, de quo modo ſermonem inſtituere tentamus, Patrui fuere; ſi non abundè, ſatis certè quantum ad inſtitutũ noſtrum attinet, ſeruata breuitate, quam ab initio propoſuimus, ſcripſe-

ſcripſerimus, nihil aliud nunc nobis dicendum erit, quam ex eadem clariſsima Cornelij ſanguinis propagine ſatum fuiſſe Franciſcum, ad omnes virtutes ſibi comparandas natũ, comparatas dignitatibus exornandum. qui honeſta in educatione, incorruptis moribus primũ, deinde humanioribus literis Philoſophia, ac ſacra Theol. fuit inſtitutus atq; vt taceã honores, quos iuuenis in florentiſsima Patria Rep. conſequi cœperat, hoc vnum dicã, quod ab heroicis ipſius virtutibus motus Gregorius XIII. cum anno 1578. ob mortem Georgij patrui, Cathedralis Eccleſia Taruiſina vacaret, applaudente ſacro Cardinalium Collegio, & Repub. Veneta, Franciſco eam contulit, ad quam regendam 5. Kal. Aprilis eiuſdem anni profectus, nulli labori pepercit, vt eam in eo ſtatu conſeruaret, in quo Patruus, & ante illum Franciſcus Card. Piſanus, qui longo temporis interuallo in ea paſcenda conſederat, poſuerant. Qui à Sixto Papa V. poſtea Cameræ Apoſt. Clericatu cohoneſtatus, renunciata Eccleſia, quam moderabatur, Romam profectus, in negotijs tractandis prudentem, in expediendis celerem, in familiaribus colloquijs humanum, &, vt vno verbo complectar, omnibus ſe virtutibus exornatum in Curia oſtendens, ea ſe habuit ratione, vt Clemens VIII. Pont. Max. quò virtutes, quas ſummoperè tot, ac tantas in eo admirabatur, magis, ac magis elucerent, & eiſdem multum accederet auctoritatis, in ſecunda promotione 16. Cardinalium anno 1596. Pont. V. nonis Iunij Presbyterum Cardinalem tt. S. Martini in Montib. crearit; in qua dignitate, dum ſe ad vniuerſum Eccleſiæ beneficiũ exercet, & itineri ſe accingere parat, quò eundem Pontificem comitetur Ferrariam, valetudinarius incidit in peſtiferam febrim, qua ſpatio ſeptem dierum confectus Romæ 18. Kalen. Maij, die Martis, anno 1598. Pont. VII. hora noctis ſexta, in Domino obdormiuit, eiuſque corpus in Eccleſia S. Syluestri Clericorum Regularium Theatinorũ in Monte Quirinali propè locum, quo depoſitum eſt corpus Federici patrui, Sixti V. Cardinalis, ſepultum eſt.

XXI.

EA fuit SCIPIONIS Lancellotti nobilis Romani virtus Horatij Art. & Med. Doctoris, & Antonię Aragoniæ filij anno Domini 1527. 10. Kalendas Decembris, die Iouis, hora noctis quarta nati; ea iuris peritia, literarum, ciuiliumq; rerum tractandarum cognitio; vt quem cum illo conferas haud facilè reperies. Is à primordio ætatis Bononiæ legalis sapientiæ studio animum appulit, doctorq; iam in ea disciplina factus Romam reuertens à Paulo III. Aduocatus Cōsistorialis declaratus, eo in munere per annos octodecim multa sui cum laude se exercuit, quo tempore à Paulo IV. in Aemiliam, & Venetias ob quandam in Rota agitatā causam; & à Pio IV. ad sacram Tridentinam Synod. missus, necnon à Concilij Præsidentibus anno 1563. ad Maximilianū II. Romanorum, & Boemiæ Regem, & ad Albertum Bauariæ Ducem propter res ad Cōcilium spectantes Legatus; anno 1565. à Pio IV. Rotæ Auditor declaratus; Carolo Borromæo Mediolanense Archiepiscopo anno 1565. vt primo Prouinciali Concilio assisteret, quod idem Carolus in Ecclesia sua eodem anno celebrabat: socius datur; Augustam item mittitur, vt Conuentui Imperatorio adesset, qui haberi debebat apud Io. Franciscum Card. Commendonum; qui è Polonia ab eodem Pontifice eò Legatus missus fuerat. Et cum inter Archiducem Ferdinandū Austrium, & Ecclesiam Tridentinam non nihil dissidij, maximi tamen momenti esset exortū, Pius V. qui tunc in Solio Apostolico sedebat, Scipionem, ad Christophorum Cardinalē Madrucium Tridentinum Episcopum, ad Capitulumq;, ad Bauariæ Ducem, ad ipsum Archiducem Ferdinandum; & Maximilianum II. electum Imperatorem diplomatibus efficacissimis misit, quibus, ac verbis, virtute, doctrinaq; comitantibus sic egit, vt nihil inde illa Eccl. acceperit detrimenti. Quid Gregorius XIII. non ne eundem Rotæ Auditorem Flauio Cardinali Vrsino dedit, quando Cardinalem Legatum ad Carolum

Nonum

Nonum Regem Galliæ misit? Vnde Romã reuersus, hinc Neapolim, & Aemiliam ob causas, eiusdem Rotæ vrgentissimas concessit, quem postea idem Gregorius; vt aliquo laborũ susceptorum præmio afficeret anno 1583. Pont. XII. dum septem Cardinales promoueret pridie idus Decembris, die Lunæ Diaconum; postea Presbyterum Cardinalem tt. S. Simeonis creauit, eundemq; Sixtus V. anno 1585. cum alijs Cardinalibus ad audiendas conquęstiones populorum Ecclesię subiectorum, ijsq; consulendum, & in ea Congregatione, quam instituit pro immoderatis sumptibus, qui Romæ, & per totã Ecclesiasticam Ditionem, in dotibus, pompis, ac vestitu fiebant, reformandis, ac super vniuersum Studium romanum deputauit, qui ab eodem an. 1586. Bononiam, ac Ferrariam missus, vt differentias inter Alfonsum Ducem, & Bononienses circa confinia, & aquarũ cursum accõmodaret, ab eodẽ Breuium signaturã ob mortẽ Matthæi Cõtarelli Greg. XIII. Card. vacãtẽ, & tt. S. Saluatoris de Lauro obtinuit, qui in Curiæ negotijs ob singularẽ doctrinam, prudẽtiam, ac rerum vsum adhibitus, nulli Cardinali auctoritate secundus, immo Pontificia dignitate à multis dignus iudicatus: à qua non multum in crebris illis Pontificijs interregnis abfuit, studio laboribusq; grauis, cũ in lætale morbum incidisset anno 1598. Pontif. VII. ætatis 70. 6. nonas Iunij, die Martis, hora 17. Romæ, diem extremũ clausit. Eius corpus in Ecclesiam S. Simeonis portatum, in Basilica S. Ioannis Lateranensis in sacello S. Francisco dicato, quod ipse extruxerat, ac dotarat, collocatum est.

XXII.

Restat iam PHILIPPVM ex Imperiali sanguine, serenissimaq;, ac nunquam satis celebrata Bauariæ Ducum familia, Guilielmi illius Prouincię Ducis, & Renatæ Lotharingiæ filium Maximiliani Principis, & Ferdinandi Archiepiscopi Coloniensis, sacri Romani Imperij Electoris fratrem, solita elogiorum exornatione condecorare, qui à patre, viro, qui

qui in prudentia, ac pietate Christiana multos quidem eiusdẽ Ordinis Principes se imitantes; neminem verò superantẽ, aut etiam adæquantem habet, cum potius vitam priuati Religiosi, quã Principis secularis, sub Patrum Societ. Iesu institutione agat, educatus, adhuc iuuenis ab Erneste patruo Archiepiscopo Coloniense, Præposituram maioris Ecclesiæ in eadem Ciuitate obtinuit; electus paulò post Episcopus Ratisponensis, creato summo Pontifice Clemente Octauo; vt pedes sanctissimi deoscularentur, sacra loca Romæ viserent, ac Italiæ pulchritudinem viderent, anno Domini 1592. ipse, & Ferdinandus frater tunc Treuirorum Canonicus à patre Romam missi sunt, quo peruenerunt die Martis 6. idus Septembris eiusdem anni, obuiam procedentibus, sacro Cardinalium Senatu, summi Pontificis Nepotibus, Principum oratoribus, totaq; Curia, quouis honoris genere serenissimorum titulis insigniti, à Pontifice excepti, Aulæis sericis, & Conopæis aureis, quod in eodẽ Palatio nemini pter Pōtifici præstari solet, quib. Pōtifex post priuata colloquia, die Veneris sequenti, tertio. s. idus eiusdem mẽsis, præsentibus 28. Cardinalib. attẽtas aures præstitit, orãte elegantissimè Philippo. Iidẽ Romæ 8. mensib. cõmorantes, cum se ætatẽ, senili quadam prudẽtia, ac doctrina superare ostenderent, mandante summo Pontifice in Congregationem Germaniæ admissi sunt, ac ipsius assistentes, publicè in sacello facti sunt. Cum porrò natu maior frater Princeps Maximilianus, vt eadem humanitatis, & obseruantiæ officia præstaret, Romam venisset, & inde Neapolim visum se transtulisset; Romam reuersus, ipse, cum alijs benedictione, à summo Pontifice habita, à quo preciosissimis muneribus, Crucifixi Imaginib. aureis, multisq; Sanctorũ Reliquijs in oras suas dimissi sunt, eorumq; virtus tam alta Pontificis mẽte reposta est, vt anno 1596. Pont. V. 15. Kal. Ianuarij die Mercurij, cum in secreto Consistorio Ferdinandum eorum tertium ad Coloniæ Archiepiscopatum, quem Ernestes patruus renunciarat, admisisset, Philippum secundogenitum S. R. E. Diaconũ Cardina-

dinalem solum in tertia promotione, vniuersa Curia exultante, pronunciarir. Erat is Cardinalis talis euasurus, cui vix vnquã nostra tempestate parẽ vllum sacrũ Collegiũ habuit, pp dotes animi, corporis, ac fortunæ, & ob summam religionem, quam cum lacte materno suxerat; & qui Romam versus iter parabat, quando in principio tam felicis vitæ cursus, vniuerso Ecclesiæ detrimento, nobis immatura morte ereptus est. Obijt anno Domini 1598. ineunte Mense Iunio, in Ciuitate Stambergh; vnde paulo ante nuncium Ferrariam miserat ad benedictionem, quam obtinuit ab eodem summo Pontifice, postulandam. Cuius corpus Monachum portatum, ibi depositum est; ad Ecclesiam fortasse Ratisponensem transferendũ.

XXIII.

QVantos inimicus ille Martis bellicus Auster in Galliã, Belgasq; hisce annis elapsis ingessit lachrymarum imbres, tantas lætitiæ pluuias eisdem in partibus postea intulit serenissimus ille ALBERTVS Austrius Maximiliani II. electi Imperatoris, & Mariæ eiusdem Austriæ familiæ filius, quę ter maxima potest nuncupari, cum ex Carolo V. Imperatore nata, & Maximiliano II. Cæsari desponsata, inter filios susceperit Rodulphum II. qui nunc Imperium obtinet Alberti fratrem, de quo sermonem instituimus, qui anno Domini 1559. die Lunæ idibus Nouembris, Neustot natus, à sacro Baptismatis fonte à Vratislao de Berstein aurei Velleris Equite, & supremo Boèmiæ Cãcellario, & à Maria Manriques eius vxore, Ioannis Manriques de Lara secreti Cæsariæ Maiestatis Consiliarij rerum bellicarum Catholici Regis Præfecti sorore, susceptus est. Is annos natus 18. propter summam pietatem, quam adhuc iuuenis spirabat, à Gregorio XIII. anno 1577. Pontif. Quinto, die Lunæ 4. nonas Martij creatus Diaconus Cardin. postea, ex priuilegio, Presbyter tt. S. Crucis in Hierusalem, instante Philippo II. Hispaniarum Rege eius patruo, Lusitani Regni; secuta morte Henrici Cardinalis, & vltimi illius Portugal-

tugallẽsis familiæ Regis Castellæ vniti, Legatus de latere, inusitatis facultatib. declaratus, amplissimo eiusdem Legationis munere, Gregorio XIII. Sixto V. Vrbano VII. Greg. XIV. Innocentio IX. atq; etiam Clemente VIII. summis Pontificibus perhonorificè, & cum laude perfunctus, Regnum ipsum (ab eodem Philippo Prorex, & Gubernator anno 1583. declaratus) summa iustitia, ac prudentia, eorumq; populorum applausu spatio decem annorum rexit, quibus exactis, in Hispaniam vocatus collega Cõsiliorum Principi Philippo filio à Rege datus; ipse.n. ætate iam grauis, à negotijs, & à curis tot Regnorũ paulatim abstinebat; anno 1594. 7. idus Nouembris die Lunæ proponente in secreto cõsistorio ipso summo Pontifice Clemente VIII. Patrarum Archiepiscopus electus, Coadiutor cũ futura successione Gasparis Cardin. Quirogæ Archiepiscopi Toletani, temporis interuallo sacris se initiandi imposito, renunciatus est; cuius Archiepiscopatus tertiodecimo die post expeditionem Coadiutoris declarati ob mortem Cardinalis Archiepiscopi vacãtis, vt suo loco diximus, pro Alberto Cardinale, Episcopus Segobiensis 4. idus Aprilis anno 1595. possessionem inijt, quo anno, à Rege Catholico Cardinalis Flandriæ Gubernator declaratus, dum eo proficiscens Sauonã peruenit; Romam; ad Pontifici humanitatis, & obseruantiæ officia præstanda, misit Principem Orangensem, qui cum eo redibat in Belgas, in cuius Ditionis administratione, quia ea facinora præclara patrauit, quibus se ipse vicisse visus est, cum nulli labori; & pacis, & belli tempore pepercerit, impigrum se; tam ad arma in belli necessitatibus, quam tempore pacis in Ecclesiasticis dignitatibus, muneribusq; fungendis venerandum præbẽs, & quo medio celsiores Europæ Reges Philippus. II. Hispaniarum, & Henricus IV. Galliarum pacem inter se composuerunt, ex qua Belgarum item tumultus reuocantur; cuius pacis ipse mediator fuit, & proprio religionis desiderio commotus, & vt faceret satis Clementi VIII. summo Pontifici, qui eius opera apud Regem Catholicum, vt nunquam satis cele-

brati

brati Card. Alexãdri Medicei apud Henricum Galliæ Regem Legati vtebatur, quæ egregia facinora, cum aliam eloquentiã requirant, ea alijs deſcribenda relinquam, vt elogio ſuperſedeam, dicens Albertum; poſtquam ab eodem ſummo Pontifice poteſtatem obtinuit vxoris ducendæ, dimiſſa Toletana Eccleſia pro Garſia Loayſa Regis Hiſpaniarum Philippi Tertij olim à morum inſtitutione, ſimul dignitatem etiam Cardinalitiam, & adminiſtrationem tt. S. Crucis in Hieruſalem, aliarumq; Eccleſiarum, quas prius obtinebat, per Fanandriũ Driũ Archiepiſcopum Biſuntinũ, hac de cauſa Ferrariam miſſum, corã ſummo Pontifice, & ſacro Patrum Senatu in ſecreto Cõſiſtorio 4. Kal. Auguſti 1598. die Mercurij celebrato, ſubmiſsè renunciaſſe, quo annuente, conſentientibusq; Patribus. Ipſe à iureiurando abſolutus publica ſic vtilitate expoſcente, à ſacro Galero ad celebrandas nuptias cum Iſabella Clara Eugenia Philippi III. Hiſpaniarum Regis ſorore, immortali ipſius cum, gloria vocatus eſt.

XXIV.

CLaræ Cuſanæ gentis ſplendorem, ſpectata virtute multũ auget AVGVSTINVS ex eadem familia nobilis Mediolanen. Aloyſij, & Conſtantiæ Addæ filius, qui tãta; ad magnas res, iam inde à prima adoleſcentia indole fuit, vt Auinioni, Bononiæq;, vbi Angelo Papio in legibus doctore vſus eſt, ac Ticini Pontificij, Ciuiliſq; Iuris ſtudio ſe committens breui earundem diſciplinarum, diuinarumq; ſcripturarũ, quibus incubuit, præſtans, ſublimiſq; interpres euaſerit. Hic ſub diſciplina Caroli Cardinalis Borromæi Mediolanenſis Antiſtitis in moribus excelluit, numeriſq; omnibus abſolutus, redditus Romam inuitus, magno Dei conſilio, ob domeſtica negotia veniens in ædibus B. Mariæ in Vallicella, Congregationis, Oratorij cum Franciſco Maria Tauruſio, Cæſareq; Baronio, nunc Sanctæ Rom. Eccl. Cardinalibus, alijſq; Sacerdotibus diuertit; vbi vtr. Sig. Refer. mox Sixto V. Pontifice ſedẽ-

te, Apo-

te, Apostol. Cameræ Generalis Auditor electus, ad magnasq; Reipublicæ deliberationes adhibitus, ingenio, consilio, prudẽtia, grauitate, & sanctissimis moribus, quibus illustrabatur, fideq;, ac constantia in iustitiæ, & oppressorum defensione suscipiẽda, quorum firmissimum præsidium, & columen semper fuit; voluntatem, ac studia summi Pontificis, ita ad sese attraxit, vt ab eodem anno 1588. Pont. IV. die Mercurij 19. Kal. Ianuarij Diaconus Card. S. Hadriani electus sit, duabusq; summis Congregationibus; alteri super Concilij Tridentini emergentibus quæstionibus; alteri pro grauaminibus subditorum subleuandis adscriptus sit; alijs item duabus extra ordinem indictis, & quæ pro compilatione libri septimi Decretalium, & pro rebus ad Regnum Galliæ spectantibus; & præter hæc, & alia munia non pauca, Fratrum Minorũ Conuentualium cura ab eodem demãdata sit, à quo integritate, ac religione insigni, zeloq;, & spectata pietate, vt virtute præclaro, corpora Sanctorum Marij, & Marthæ, olim in sua Diaconia condita, cum alijs plurimis Sanctis Martyribus inuenta, vna cum S. Hadriano, Flauia, Domicilla, Neræo, & Archilæo, tribus pueris, Papia, & Mauro martyribus, quorum omnium plumbea, & lapidea tabula scriptæ indices erant, ab eodem in confessione honorificè collocata sunt; ex quibus SS. Papiæ, & Mauri sacra corpora, de summi eiusdem Pontificis venia, singulari amoris studio, curante eodem religiosissimo Card. qui etiam iussu Sãctissimi eandem conceptis verbis, tradidit B. Philippo Nerio instituti Fundatore, ac Præposito; ex eadem Diaconia in Ecclesiam S. Mariæ, & S. Gregorij in Vallicella dictam Congregationis Oratorij de Vrbe, translata sunt; vt etiã postea in gratiam Cæsaris Cardin. Baronij anno 1597. permittente Clemente Octauo Sanctissimo D. N. corpora SS. Flauiæ, Domicillæ, Neræiq; & Archilæi, ex ipsamet S. Hadriani Diaconia, ad titularem Ecclesiam eorundem martyrum à præfato Card. Baronio, summa impensa eleganter restituta, & ornata, asportata sunt, ad augendam populi deuotionem. Sed ad Augustinum

num reuertamur, qui à Gregorio XIV. Pont. auctus Presbyteratu titulū S.Laurentij in Pane, & Perna; & ſedente Clemente Octauo SS. Ioannis, & Pauli accepit, quo,cum Ferrariam anno 1598. veniſſet, eòq; Mediolanum; viſendæ Patriæ cauſa, ibi in ſumma, & vitæ, & gloriæ inter alios ſui Ordinis Patres clariſsimus, & qui ad Apoſtolatus faſtigium fore, vt perueniret aliquando ab omnibus exiſtimabatur, morbo inter paucos dies conſumptus, ad æterna præmia eodem anno, & Pontificatu; tertio decimo Kalē. Nouēb. die Martis, hora 13. propè rauit, bonorum omnium hærede ſibi inſtituto Mediolanenſe magno Xenodochio, legatisq; multis aureorum millibus ſumma liberalitate in familiarium, & amicorum vſum, & pro ſacra Cella in Eccleſia S. Mariæ in Vallicella, de qua ſupra, ſub inuocatione S. Auguſtini extruēda, amplisq; vectigalibus dotanda, & ad alias pias cauſas. Sacerdos ſumma grauitate, ſanctiſsimis moribus, & religionis fama in primis clarus, cuius corpus priuatim, abſq; pompa, elatum in Templo S. Barnabæ, vt iuſſerat, conditum eſt.

XXV.

AD rei militaris ſplendorem, quo familia Pepula; innumeris ſtemmatibus, immenſis opibus, ampliſsimisq; ditionibus, tum verò quondam pro S. R. E. dominatu ipſius Patriæ inter Bononienſes clariſsima, nobiliſsimaq; oēs Europæ æquat, multas anteiuit, togæ quoq; laudes, præter cæteros addidit GVIDO Comitis Cornelij, ac Sulpitiæ Inſulanæ filius, anno redemptionis humanæ 1560. die Veneris, ſexto Kal. Maij, hora quarta natus, qui literis eruditus, ac in moribus maximè excellens, à Gregorio XIII. ſummo Pont. inter Protonotarios Apoſtolicos, quos de numero participantium vocant, anno 1580. annumeratus; legali ſcientię ſtrenua opera Senis in Hetruria data, vbi etiam gradum doctoratus nonis Decembris 1583. ſumpſit; anno ſequenti ab eodem Pontifice vtr. Sig. Refer. renunciatus, Clericatus Apoſtolicæ Cameræ munc-


ſmunere inſignitus eſt. Cum autẽ Sixtus V. anno Pont. I. Theaurariatus eiuſdem Cameræ, ac Collectoriæ ſpoliorum officia inſimul annexa, in officium perpetuum ad inſtar Clericatuũ, cum multis emolumentis, ac priuilegijs erexiſſet; illudq; Benedicto Iuſtiniano nobiliſsimo Genuenſi contuliſſet; eodẽ ad Cardinalatus faſtigiũ euecto, Guido multis alijs, eo in munere an. 1587. Præfectus, Protectorq;, & adminiſtrator Mõtis Camerariatus deputatus; biennio poſt, anno Pont. V. die Mercurij, 13. Kal. Ianuarij in octaua quatuor Patrum electione, ab eodem Diaconus SS. Coſmi, & Damiani renunciatus, in ſacrum Senatum lectus eſt. Hic ſedente Clemente Octauo ſummo Pontifice, ad Diaconatũ S. Euſtachij translatus; mox ex Diacono factus Presbyter, tt. S. Petri in Monte aureo; dũ animi nobilitate, morum facilitate, ac vitæ caſtimonia cõſpicuus, propriaq; potiſsimum virtute inſignis, maiorum ſuorum mirũ in modum auget ornamenta, quæ maiora ipſe illis, hoc nouo, atq; ampliſs. honoris titulo primitus in gentem ſuam illato reddidit, quam quantum ipſe ab illorum ſplendore acceperit commendationis; Romæ ad S. Agatham in Quirinali, immatura morte ereptus, anno humanæ ſal. 1599. Põtificatus Septimo, die Veneris 18. Kal. Februarij, hora 17. ætatis 39. ad meliorem vitam ſe tranſtulit; cuius corpus ibi in S. Blaſij de Annulo, cui Eccleſiæ nonnulla piè legauit, in eodemmet religioſorum monumento ſepulturæ demandatum eſt.

XXVI.

SILVIVS è gente Sabella inter Romanos illuſtriſsima, nobiliſsimo, ac peruetuſto ſtemmate oriunda, ſummorum Pontificum, & S. R. E. Cardinalium longa ſerie, aliorũq; belli artibus, ac togæ ſtudijs clariſsimorũ virorum, quos permultos diuerſis temporibus tulit, peramplis ditionibus, ac populorum dominatu, rebusq; præclarè geſtis, immortalitati cõſecrata, Camilli equitis ſtrenuiſsimi Aritiæ Domini, necnon Iſabellæ Vrſinæ filius, vel in ipſo adoleſcentiæ ſuæ flore, eius

fructus

fructus præmonstrauit inditia; quò postea adultior ætate ad splendidisſimos denominationis titulos conſcendit; educatus enim ingenue, ac literis addiſcendis traditus, liberalibus artibus, necnon V. I. ſcientię auidè incumbens breui effecit, vt nõ multum illi eſſet ad ſui nominis commendationem de domestica nobilitate petendum. Is à Greg. XIII. cui famulatus eſt, Baſilicæ Principis Apoſtolorũ de Vrbe Canonicatu donatus; Neapolim Sed. Apoſt. Internũcius miſſus; Archiepiſcopaliq; Roſſanenſis dignitate cohoneſtatus; ijs, multisque alijs diuerſis temporibus eiuſdem Sedis muneribus ſumma cum integritatis, prudentiæ, ac induſtriæ laude obitis; à Clemente VIIJ. ſummo Pont. anno 1592. Auinionẽ Prolegatus, vniuerſa Gallia tunc inteſtino bello tumultuante, mittitur; quam Ditionẽ ſumma populorum beneuolentia moderantem idem Clemens Conſtantinop. Patriarcham anno 1594. renunciatum, Romã ad ſe venire iuſſum, vt de Chriſtiana Rep. optimè meritũ, anno ſal. 1596. Pont. V. die Mercurij, nonis Iunij in ſecunda 16. Cardin. electione, Presbyterum tt. S. Mariæ in via creatum, in ampliſs. Collegiũ cooptauit; & ad Germaniæ, Vngar. aliarumq; maximarũ rerum deliberationes adhibuit; ac ſequenti 15. Kal. Decembris Peruſiæ, Vmbriæq; Legationis titulo inſigniuit; quò in munere, dum ſumma innocentiæ exiſtimatione publicum opus implet; Peruſia Aritiam veniens, ibi ſubita morbi vi oppreſſus, inter viuos eſſe deſijt die Iouis 12. Kal. Feb. anno 1599. Pont. VII. maximo bonis omnibus ſui relicto deſiderio; vir.n.erat placidi ingenij, ac mitis; mira comitate, morumq; ſuauitate omnibus carus, magnæ fidei, ingentis animi, nec minoris grauitatis; ſumumq; inter Patres religionis, ac modeſtiæ exemplar. Eius corpus ibi depoſitum eſt, donec Romam transferatur, in nobiliſsimo familiæ ſacello in Eccleſia S. Mariæ de Aracœli poſito, contumulandum.



CARDINALES LVII. VIVI ANNO DOMINI MDIC.

Quinto idus Februarij in Anniuersario Coronationis Sanct. Dom. N. Clementis VIII. ineunte anno Pontificatus Octauo.

Episcopi Cardinales VI.

PIVS PAPA IV.

I.



ALFONSVS Gesualdus Illustris. loco inter Neapolitanos natus, Comitis Consæ filius; ex Protonotario Apost. à Pio IV. Pont. inter Patres relatus, Archiepiscopatu Consano; & sub Sixto V. Piceni Legatione prudẽter administratis; à Clemente VIII. Pont. Neapolitanã Eccl. moderandam accepit. Pater sapientissimus, cuius modestiam, integritatẽ, & fidem, Curia Rom. nouit; maiestatemq; in eodem reueritur. Episcopus Card. Ostien. & Veliternus, primum in Collegio locum tenens; Regnorumq; vtriusq; Siciliæ, & Lusitaniæ Protector.

II.

INNICVS Aualos de Aragonia Neapolit. nobilissimis Italiæ, & Hispaniæ familijs sanguine iunctus, Alfonsi toto Orbe terrarũ clarissimi viri Vuastij Marchionis filius, ex S. Iacobi Hispaniarũ Equite, Neapolitaniq; Regni Cãcellario, ab eodem Pio IV. Cardinalitia dignitate insignitus, Archiep. primo Taurinensis; post Episc. Militensis electus, sedente Clemẽte VIII. summo Pont. dum Ferrariam venit, summa innocentiæ existimatione difficilẽ Legationem Romæ administrauit, boni publici fidelis minister, diligẽs curator, & assiduus defensor, romanæ Curiæ splendor. Episcopus Card. Portuen. & S. Rufinæ.

III. Pro-

III.

PTOLEMAEVS Gallius Nouocomensis, summi ingenij, summæq; eloquentiæ vir artis oratoriæ, & ciuilis sapiẽtiæ peritissimus, in quo faciles loquendi cursus, mentisq; explicatio in promptu est, Episcopus olim Martoranen.; post Archiepiscopus Sypontinus; ex ea dignitate ad Cardinalatũ ab eodem Pio IV. assumptus, eidem à secretis, & Greg. XIII. summis Pontificibus fuit. Vngariæ Regni, Religionis Camaldulensium, & Collegij Germanorum de Vrbe Protector. Episcopus Cardinalis Tusculanus.

IV.

LVDOVICVS Madrucius nobiliss. Tridentinus, ac ipsius Ciuitatis, necnon Brixinẽ. electus Episcopus, sacri Ro. Imperij Princeps, Christophori Pauli Papæ III. Card. ex fratre nepos, ingenij magnitudine, rerum publicarũ administratione, & morum probitate conspicuus; vir grauis in verbis, rebusq; superbia, ac iactantia carentibus, & cuius sententia sapiens, ab eodem Pio IV. purpura & ipse donatus; clarus Legationibus tribus diuersis temporib. ad Germanos pro S.R.E. & Christi fide; Germanorum; Collegijq; eiusdem Nationis in Vrbe Protector; supremus hæreticę prauitatis Inquisitor. Episcopus Cardinalis Sabinensis.

Pius Papa V.

V.

IVLIVS ANT. Sanctorius Casertanus, vir Theologica doctrina celebris, vitę castimonia, ac relig. cultu illustris; ex Archiep. S.Seuerinæ à Pio V. Põt. ad Cardinalatũ assumptus, & inter sanctiss. Inquisit. Patres annumeratus; operam suam eo in officio laudabiliter præstitit vnde à Clemente VIII. meruit maioris Pœnitentiarij munere insigniri; Collegij Græcorũ de Vrbe Protect. in quo rerũ peritia, oĩum beneuolẽtia loquendiq; libertas sunt tria Cardinali ad recta, recteq; consulendum necessaria. Episcopus Card. Prænestinus.

VI.

HIERONYMVS Rusticuccius nobilis Fanensis, à secretariatu Pij Papæ V. ob fidem, ad Cardinalatus apicem ab eodem euectus; Episcopusq; Senogalliensis renunciatus; sub Sixto V. & successorib. vsq; nunc in officio Vicariatus Vrbis, maxima sui cũ laude se gerit; Sed. Apo. summã obseruantiã, fidele, & liberum ministerium exhibẽs; Senator vsu peritus, prudentia, & rerum cognitione præstans. Episc. Card. Albanẽ.

Presbyteri Cardinales XXXIX.

Iulius Papa III.

VII.

HIERONYMVS Simócellus Vrbeuetanus, Iulij Papæ III. ex Christophora Balduini Montani filia, pronepos, ab eodem in sacrum Senatum lectus; & post, Patriæ Episcop. electus; Primas (si promotionis tempus respicias) inter purpuratos Senatores tenens. Vir innocens, cuius religio, non admirationis minus, quam laudis meretur tituli S. Marię Ttranstiberim. Presbyterorum item primus.

Gregorius Papa XIII.

VIII.

PETRVS Deza nobilis Hispanus ex Ciuitate Tauri veteris Castellæ, V. I. D. Vallisoleti, ac Granatæ Præsidens, à Greg. XIII. rubro Galero insignitus; inter Cardinales, qui sanctiss. Inquisit. Officio præsunt, relatus est. Vir sincerus, nulla aspersus macula, in quo par mentis, & sanguinis certat nobilitas, præcipuus Sedis Apostolicæ, & communis vtilitatis curator, & defensor, regiam quandam auctoritatem in loquendi libertate retinens. Presbyter Cardinalis tt. S. Laurentij in Lucina, ac Collegij Hispanorum Bononiæ Protector.

IX.

ALEXANDER Medices Florentinus Clarissimo stemmate natus, è familia, quæ Magno Hetruriæ Ducatui feliciter dominatur; ex Pistoriensi Præsule, Patriæ Archiepiscopus declaratus, dum Francisci Medicei Magni Hetruriæ Ducis apud Gregorium XIII. Pontificem, Oratorem gerit, ab eodē in sacrum Senatum esse iussus, summæ animi æquitatis, temperantiæ, lenitatis, prudentiæ, humanitatisq; Princeps, à Clemēte Octauo Pont. Max. Galliam ad Henricum IV. Legatū missus, ab ipso Rege, frequenti nobilitate comitante; nouo more Regibus Galliæ inusitato, eidem multa millaria obuiam procedente exceptus, cohonestatusq;, religionem auitam eo in regno restituit, ac pace, quæ inter ipsum, & Philippum II. Hispaniarum Regem, illius opera secuta est, illud florentissimū reddidit, è qua Legatione reuersus, Cōgregationi Episcoporum Præfectus est. Pater sapientissimus diuini cultus religiosus obseruator, in dicenda sententia liber, in proposito cōstās, reuera sapiens Cardinalis, suiq; gradus, & dignitatis retinens. Presbyter Cardinalis tt. S. Praxedis.

X.

RODERICVS de Castro, ex oppido Lemos paternæ ditionis in Galletia, ex Lemos Comitibus, Sariæq; Marchionibus, summa claritate maiorum inter Hispanos præstans, Decretorum Doctor, sanctæ, & generalis Inquisitionis Consiliarius, ex Episcopo Zammorensi; post Conchensi, ad Hispalensem Archiepiscopatum translatus, inter Senatores ab eodē Gregorio XIII. annumeratus, ad hunc gradum celsissimū non nisi virtute, & laboribus sibi viam strauit. Pater prudentissimus, cuius vita generi conuenit. Presbyter Cardinalis Basilicæ Sanctorum duodecim Apostolorum.

XI.

FRAMCISCVS Ducis de Ieyeuſe filius, ſummo genere in Gallias ortus, olim Archiepiſcopus Narbonenſis; poſt Toloſanus, ſacra purpura à Gregorio XIII. inſignitur; Abbas maioris Monaſterij, Galliarum Protector, doctrina, conſilio, morum integritate, ac vitæ exemplo conſpicuus, penes quem religio, & laudem, & gratiam merita eſt, nam ſemper pro veritate, pro iuſtitia, pro bono publico, pro ædificatione populorum, pro pace, & Sedis Apoſtolicæ auctoritate ſententiam dixit. Presbyter Cardinalis tt. S. Petri ad vincula.

XII.

ANT. MARIA Saluiatus nobilis Romanus, origine Florentinus, Ioannis, Leonis Papæ Decimi Cardinalis ex fratre nepos, à Paulo IV. Epiſcop. S. Papuli electus; à Pio IV. ad Concilium Tridentinum; ſub Pio V. ad Italos Principes pro fœdere; mox Galliam apud Carolũ IX. Regem Internuncius Sedis Apoſtolicæ miſſus; ex Clerico Præſidente, Decanoq; eiuſdem Cameræ à Greg. Tertio decimo S. R. E. Card. renunciatus; ſub Sixto Quinto Legationem Bononienſem, ſecunda fama, adminiſtrauit. Pater integerrimus, præcipuus, Romanæ Sedis, ac cõmunis vtilitatis curator, & defenſor, quo nullus in dicenda ſententia iuſtior, in interpretationibus iuriũ verior, in ſuo cuiq; reddendo minus perſonarum acceptator eſt. Presbyter Cardinalis tt. S. Mariæ de Pace.

XIII.

AVGVSTINVS Valerius Patricius Venetus ciuili ſapientia, Theologiæ, ac Philoſophiæ ſtudio, morum probitate, ac in religione colenda conſpicuus, cui & proſa eleganter ſcribere, & naturalia, diuinaq; interpretari própriſsimum eſt, ad labores, & vigilias, immo ad oẽs optimas artes natus, vt eius multa ſcripta teſtantur; Bernardo Cardinale Nauagerio

rio ipsius anunculo renunciante, Veronensis Præfectus Ecclesiæ, in ipsa regenda, moderandaq; ea virtutis signa dedit, vt à Gregorio XIII. delectus sit, qui suis legibus, ac institutis corruptas Dalmatiæ, totiusq; ferè Græciæ Ecclesiasticas res emẽdaret, ac Sacerdotum mores corrigeret; à quo etiam ad Cardinalatus fastigiũ assumptus est. Vir nostri seculi decus; siue pietatẽ, siue eruditionẽ, siue facundiã requiras, & q in cõsilijs, votisq; explicandis solum Deũ præ oculis habet. Presb. Card. tt. S. Marci.

XIV.

GEORGIVS Radziuuil nobilissimus Lituanus Dux in Olika, & Niesuuiz, tamquam rosa ex spinis nata, & ex tribulis ficus colecta, parentum, ac præceptorum de religione errores non solum reliquit: sed animum ad ordinem Ecclesiasticum adiecit, in quo sustinendo Episcopus Vilnensis electus; mox in celeberrimum vniuersalis Ecclesiæ Senatum per Gregoriũ XIII. agregatus, post Cracouiensis Eccl. Administrator, sub Clementeq; VIII. ad Nuptias Poloni Regis Legatus declaratus, ita se, per Dei gratiam adhibet, pietate, liberalitate, vigilantia, nullum vt veri Pastoris officium aut optimi Cardinalis munus prętermittere videatur, quod non exequendum suscipiat, & quem omnis fatetur historia, etiam, antequam ad Cardinalatum conscenderet, virtute, ac sapientia inter eos, qui mirandi sunt annumerandum fuisse, Presbyter Cardinalis tt. S. Sixti.

XV.

SIMEON Talliauia de Aragonia siculus clarissimo sanguine, ex Carolo Castri Vetrani Principe, Terrenouæ Duce, Auolæ Marchione, pro Philippo II. Rege Catholico olim Barcinonensis ditionis Prorege, bis Siciliæ præsidente, Ducatusq; Mediolani Vicario; natus, Petri Panormitani Archiepiscopi Iulij III. Cardinalis nepos, à Gregorio XIII. inter Patres relatus est. Vir placidissimæ conuersationis, & qui in Cardinalatu ea ingenij industriæ, doctrinæq; documenta de-

dit, vt appareat illũ Petro Cardin. patruo, atq; tanto parẽte dignum filiũ, & successorem fuisse, cum ad ea, quæ sunt præcipua gradus huius tam excelsi munia, totus exardescat. Presbyter Card. tt. S. Hieron. Illyricorum.

Sixtus V.

XVI.

HENRICVS illustriss. inter Romanos, Neapolitanosq; ortus Caetana familia, Nicolai Pauli III. Cardinalis patrui memoriæ nõ minori ornamẽto virtute sua fuit, quã quantum ipse ab illius gloria commendaretur; ex Abbate.n.ac vtr. Signat. Referẽ. Patriarcha Alexandrinus; & à Sixto V. inter Ecclesiæ Cardines connumeratus, amplissimoq; Camerariatus officio auctus; tres operosas Legationes gessit pro S. R. E. Bononiensem sub eodem Sixto V. Gallicanam interregni durissimo tempore, vigente bello, vitæ, salutisq; immemor, in qua quod admodum generoso animo egit, minimè prætereundum duximus; nam Lutetia Parisiorum obsessa; cum iam vrbs rerum omnium inopia laboraret, ingentis animi vir, ac verè liberalis, impensa omni pecunia, quam è suo habebat, argenteam supellectilem inter pauperes diuisit. Nouissimam ad Polonos, sedente Clemente Octauo, summa Procerum beneuolentia tulit, præstans ingenio, moribusq;, & vitę facilitate insignis. Presbyter Cardinalis S. Pudentianæ, tt. Pastoris.

XVII.

DOMINICVS ex nobili, ac vetusta gente Pinella inter Genuenses natus, Baptistę Cõsentini olim Archiepiscopi pronepos, in Romana Aula Magister supplicum libellorum, Cameræq; Apostolicæ Clericus Præsidens, ijs ab ipsa adolescentia, prudentiæ, consilij, pietatisq; documentis cohonestabatur, vt à Sixto V. Firmanus Episcopus, & Princeps creatus, sacra purpura, Flaminiæ Legatione; vt etiam sub Greg. XIV. ac Innocentio IX. Perusiæ, Vmbrięq;, necnon S. Mariæ maioris Archipresbyteratus munere ab eodem donatus, ad maxima-

ximarum rerum S. Officij Inquisitionis deliberationes adhibitus fuerit; Præsul laboriosus, & iustitiæ minister intrepidus, probitate, multiplici rerũ cognitione, alijsq; virtutib. insignis. Presbyter Cardinalis tt. S. Crysogoni; Cartusiensium, Carmelitarumq; Protector.

XVIII.

FR. HIERONYMVS Bernerius de Corrigio integerrimus eruditissimusq; Pater, Theologica doctrina celebris, vitæ exemplo, Ecclesiasticæ disciplinæ zelo admirabilis; ex ordine Prædicatorum, ad Asculanæ Ecclesiæ administrationem assumptus, à Sixto V. cum Principibus Ecclesiæ ad cõsilium vniuersalis Ecclesiæ, & inter eos Cardinales, qui Sanctissimæ Inquisitionis Tribunali præsunt, positus, tanta apud omnes claret æstimatione, vt maiora etiam ipsorum iudicio, & spe illi destinentur; Præsbiter Card. tt. S. Mariæ super Mineruam.

XIX.

ANT. MARIA Gallus nobilis Auximanus Picenus, à famulatu Sixti Papæ V. ad Canonicatũ Basilicæ Vaticanæ; mox ad Episcopatũ Perusinũ euectus, Cardinaliumq; Collegio ab eodẽ adscriptus, ac in Flaminiã Legatus missus, sacræ Lauretanæ Domus Protector, ac Patriæ Episc. declaratus; religionis, integritatisq; non parua signa dedit. Presbyter Cardinalis tt. S. Agnetis in Agone.

XX.

ANTONIVS Saulius Genuensis ex gente, opibus, & maiorum splendore florente annos octuaginta ante Cardinalitia; post non leuia Curiæ romanæ munera præclarè obita; propter excellentem virtutem ex Referendario, ad Archiepiscopatum Patriæ, cuius Ecclesię fuerat Coadiutor, Cardinalatumq; à Sixto V. assumptus, virtute, doctrina, prudentia, se tantorum munerum dignum omnibus præbet acrem se osten-

ſtendens, vt publicæ turpitudini, ac fœditati legibus occurratur. Presbyter Cardinalis tt. S. Stephani in Monte Cœlio, Eremitarumq; Protector.

XXI.

EVANGELISTA Pallottus de Calderola Camertis Diœcesis Picenus, domeſtico, ac longo experimento Sixto Quinto, cui famulatus eſt, miniſtrum impigrum, atq; in multis vtilem ſe prębens, Canonicus Baſilicę Principis Apoſtolorum de Vrbe; mox obſignãdis libellis præpoſitus, Archiepiſcopus Conſentinus; ac S. R. E. Cardinalis; eiuſdemq; Vaticanæ Eccleſiæ Archipresbyter ab eodem renunciatus, nullũ vnquã implendi, quæ ſui muneris erant tempus omiſit. Presbyter Cardinalis tt. S. Matthæi in Merulana.

XXII.

PETRVS Gondius nobilis Florentinus olim Epiſcop. Lingonienſis, ac Caroli IX. Galliæ Regis à confeſsione, eleemoſynisq; poſt perpetuus adminiſtrator Epiſcopatus Lutetię Pariſiorum, per omnes forenſium honorum Aulæ regiæ gradus, in quibus eius doctrina, ingenium, induſtria, multos annos elaborauit, ſub Sixto V. ad ampliſsimum Ordinem peruenit. Vir prępoſiti tenax, & ad omnem poſteritatis memoriã memoranda patientia inſignis, & qui dicendi libertate laudẽ meritus eſt, cũ à libero animo profecta; ratione, modoq; nõ caruerit. Presbyter Card. tt. ſanctiſs. Trinit. in Monte Pincio.

XXIII.

MARIANVS Perbenedictus Camers Picenus, ſacrarũ literarum, atq; Iuris ſcientia, Romanæq; Curiæ Magiſtratuum adminiſtratione inſignis, ex Epiſcopo Martoranen. ac almæ Vrbis Gubernatore, cuius Tribunalis abuſus reformatione, quæ extat, Dei timore, virtutis, ac iuſtitiæ zelo ductus, tulit, à Sixto V. inter purpuratos Patres relatus, ſtrenuè, & fideli-

deliter, quæ boni Cardinalis partes ſunt gerens, talis euaſit, vt multorum conſenſu, ipſius meritis, & ſpectatæ virtuti ſummus etiã locus deſtinetur. Presbyt. Card. tt. SS. Marcellini, & Pet.

XXIV.

FR. GREG. Petrochinus de Montelparo Picenus, diuinarum ſcripturarum ſcientia, vitæq; caſtimonia clarus, per omnes procurationum gradus ad S. Auguſtini Eremitani Ordinis Generalẽ Prioratum peruenit, & ex eo ad Cardinalatus munus, ſedente Sixto V. Pontifice, quo in ordine ſuis admirabilibus virtutib. efficiet aliquando, vt Cardinalis nomen paruum momentum ad illum commendandum habeat; vir adeo grato, venerandoq; aſpectu; vt ex ipſo tantum venerationis, maieſtatisq; ſecum ferat, quantum ex ingenti doctrina, innocentiæ vitæ coniuncta. Presbyt. Card. tt. S. Auguſtini.

Gregorius XIV.

XXV.

PAVLVS Sfondratus Mediolanenſis clariſſimis ortus natalibus Gregorij Papæ XIV. ex fratre nepos, iuris ſcientia inſignis, ex Abbate à Patruo ad Cardinalatum aſſumptus, Ciuitatisq; Bononienſis legatione, ac Signaturæ gratiæ præfectura, nec non Inquiſitionis munere cohoneſtatus, in eum auctoritatis locum ſumma prudentia, ac grauitate apud eundem Pontificem peruenit, vt maxim aquæq; Pôtificij Solij negotia, ipſius item Patrui voluntas in illius adminiſtratione, & arbitrio, verſaretur. Presbyter Card. tt. S. Cæciliæ.

Sixtus V.

XXVI.

BENEDICTVS Iuſtinianus nobiliſſimus Genuenſis ex Dominis Inſulæ Chij Fr. Vincentij Pij Papæ V. Cardinalis ex ſo-

ex ſorore Nepos Pontificij Cæſareiq; Iuris doctrina, conſilio, morumq; integritate celebris, ex Vtr. Sign. Refer. Apoſtolicus Theſaurarius electus; mox inter Patres; Sixto V. ſedente relatus, in conſiliumq; pro rebus arduis adhibitus, Firmanam, Aſculanamq;, nec multo poſt totius Piceni legationes ſumma Prouincialium beneuolẽtia rexit, Sacerdos prudentiſſimus, religioſiſsimusq; acer iurium Eccleſiæ propugnator, pietatis fama in primis clarus, virtutis magnitudine inter clariſsimos Cardinales annumerandus Presbyter Card. tt. S. Marcelli.

XXVII.

FRANCISCVS MARIA ex Marchionibus Montis S. Mariæ Piſaurenſis clariſsima Borbonia ſatus propagine, propter excellentem virtutem, & Principum commendationem, ab ordine Referendariorum, S.R.E. Cardinalium Collegio ab eodem Sixto V. adſcriptus; ea humanitate adeuntium deſideria excipit, vt propemodum ſua ferè illa videantur, cuius vita, nobilitati; vt animi magnitudo, corporis pulchritudini reſpondet, frontis.n.honos, atq; oculi indices animi in rebus agendis ſingularem integritatem præſeferunt, Presbyter Cardinalis tt. S. Mariæ de Aracœli.

Gregorius XIV.

XXVIII.

OCTAVIVS Parauicinus nobilis Romanus, moribus, & ſcientia illuſtris, ex maximi ſacelli Sacerdotis Vicario in Aula Philippi II. Hiſpaniarum Regis, ad Epiſcopatum Alexandrinum aſſumptus, poſt laborioſam apud Heluetios adminiſtratam legationem, comprouincialiumq; Eccleſiarum Apoſtolicam viſitationem illi demandatam à Gregorio XIV. Pōt. Cardinalis creatus, nouoq; Legationis munere in Galliam ad leuandum inteſtinum bellum, Regemq; creandum, inſignitus eſt, quò ſecuta morte Pontificis, minimè iuit, pręclaræ virtu-

tis

tis Antiſtes, dignusq; Cæſaris Cardinalis Baronij tanti Patris, Oratorijq; Cōgregationis alumnus, optimi Card. dignū exemplar, qui reſpondet ingenuè, loquitur fideliter quod ſentit. Presbyter Cardinalis tt. S. Alexij.

Sixtus Papa V.

XXIX.

HIERONYMVS Matthæius & ipſe nobilis Romanus Iuris ſcientia clariſsimus Vtr. Sign. Refer. Cameræ Apoſtolicæ Præſidens clericus, eiuſdemq; Generalis Auditor. Vir laborioſus, & iuſtitiæ miniſter intrepidus, fidei, & integritatis ſuæ tale ſpecimen Sixto V. Pontifici dedit, vt ad ampliſsimum Cardinalatus ordinem merito ſit euectus, qui maximis pluribusq; muneribus præpoſitus, omnibus integrè, ſapienterq; fungitur. Pater præcipuus religionis cultor, & qui omnibus virtutum meritis ita fulget, vt nihil prorſus ad cumulandam Cardinalatus perfectionem in eo poſsit deſiderari. Presbyt. Cardin. tt. S. Pancratij, Abbas Nonātulanus, & Protect. Hiberniç.

Gregorius Papa XIV.

XXX.

OCTAVIVS Aquauiua nobiliſsimis maiorib. inter Neapolitanos ortus, Io. Hieronymi Atriæ Ducis filius, Io. Vincentij, Pauli III. Cardinalis ex fratre nepos, Iulijq; Pij V. item Cardinalis germanus frater, V. I. D. ob eximias animi dotes, poſt prima palatina munera, Viterbienſemq; Præſidatum, domeſtico experimento integerrimus, & qui mores faciles haberet à Greg. XIV. Pōtifice inuentus, ad Clariſsimū Purpuræ dignitatis honorem euectus; Campaniæq; Legatus deſignatus, ſub Clemente Octauo Pont. Opt. Max Auinionenſi Legatione (tota Gallia inteſtino bello flagrante) ſumma cum laude functus, quo vno ſanè vniuerſa Romana Curia prædicat, nihil naturā produxiſſe excultius, nihil elegantius, nihil omni ex par-

ex parte perfectius, & qui; quò excelsiore in gradu positus est, insigniorec; tum munere, tum habitu, ac titulo decoratus, eo longius ab omnibus vitiorum suspitionibus abest; ita vt virtutum suarum splendore vniuersorum in se oculos, atq; admirationem conuertat. Presbyter Cardinalis tt. S. Mariæ de Populo.

XXXI.

FLAMINIVS Platus Mediolanensis nobilitate sanguinis, clarissimeq; Sfondratæ gentis affinitate; sed maximè propria virtute, ac ciuili Doctrina præfulgens, ex Aduocato Consistoriali, Romanæ Rotæ Iudex factus ad amplissimum ordinem à Gregorio XIV. affine aduectus est, integitatis, & cótinentiæ specimen singulare, & qui sanctissimis moribus prędi tus, dicendi libertate cum summa grauitate, prudentiaq; coniuncta mirifice floret; Presbyter Card. tt. S. Onuphrij.

Sixtus V.

XXXII.

FEDERICVS Borromæus Mediolanensis, Caroli sanctæ memoriæ, tt. S. Praxedis Cardinalis, ex fratre nepos, ipsius virtutum æmulus, clarissimæ gentis suæ stemmata, probitate, ac doctrina haud dubiè cumulat; in ipso.n. Angelici mores sunt, summa religio, linguarum, scientiarumq; omniũ, humanarum, ac diuinarum ingens cognitio, ingenium singulare, admirabilis eloquentia, studium ad publica; non modo continuum; sed supra ætatis sortem etiam pertinax; qui annorum curriculo inferior à Sixto V. ex ipsius familiaribus, adlectus inter Senatores, moribus atq; ingenio ætatem antecedens maximum sacro Cardinalium Collegio ornamentum affert; à Clemente Octauo summo Pontifice Mediolanensis Ecclesiæ præfectus, renitensq; pro Imperio sacrosanctæ potestatis impositum onus accipere coactus, talis in Sacerdotum dignitate, ac Ecclesiastica libertate tuenda, propagandaq; extat, vt quem fami-

familiæ decus, atq; optimi, sanctissimiq; Patrui Cardinalis venerabile nomen conspectum faciant, eundem probitatis, & ingenij fama longè faciant conspectiorem. Presb. Card. tt. S. Mariæ Angelorum in Thermis.

Clemens Papa VIII.

XXXIII.

LVCIVS Saxus nob. Nolanus inter Cumanos ortus, Hieronymi Veralli Pauli III. Card. olim Auditor, vtr. Sig. Referēdarius, multis Præsidatibus, nouissimè Perusino Pio V. sedente, præfectus; mox Episcop. Ripanus electus; ac sub Gregorio XIII. sacrosanctæ Lateranensis Basilicæ Vicarius, Pœnitentiariæq; Regens, obsignandis libellis sub Vrbano Septimo præpositus, à Clemēte Octauo in numerum Cardinalium relatus; Prodatariusq; electus est; cuius prima iuuentus ingressa Vrbem in extremum nunc senium perseuerat; vir laboriosus, & qui diuersis temporibus cunctos penè Rom. Curiæ Magistratus solus administrauit; & cuius gesta omnifariam singularem abstinentiam, animiq; magnitudinem ostendunt. Presbyter Card. tt. SS. Quirici, & Iulitæ.

XXXIV.

LAVRENTIVS Priulius Clarissimus Venetus, inter suos admodum celebris, humanarum, diuinarumq; literarū, necnon Reip. gerendæ scientia illustris, post laboriosam administrationem omnium ferè Magistratuum Patriæ, cui olim ea Respub. iustitiæ administrandæ diuersis in locis, Oratorisquè muneris exercendi; primo apud Franciscum Magnum Hetruriæ Ducem; mox apud celsissimos Philippum II. Hispaniarū, ac Henricum III. Galliarum Reges; post apud summos Pont. Greg. XIII. & Sixtum V. regendiq; consilij primum apud se locum concesit, electus Patriarcha Venetiarum, in Sacerdotum moribus emendandis, lapsaq; Ecclesiæ disciplina restituēda, ea prudentiæ, consilij, pietatis, ac religionis signa præ se tulit, vt à Clemente Octauo Pont. Max. dignus visus sit, qui sa

cra purpura cohonestaretur; Sacerdos præpositi tenax, & seuerus cultor iustitiæ, qui iuuenis tẽperatissimus fuit, senexq; insigne se virtutis, ac modestiæ exemplum omnibus præstitit. Presbyter Card. tt. S. Mariæ Transpontinæ.

XXXV.

FRANCISCVS MAR. Taurusius nobilis Politianus Hetruscus, in Aula Rom. perhonorificè à primis annis versatus, maximisq; Præsulibus famulatus, cum Fr. Michaële Bonello Card. Alexandrino, ipsius cubiculi Præfectus, in Hispaniam, Lusitaniam, ac Galliam venit, qui humanos postea casus, fallacesq; huius vitæ caducæ spes secum reputans, mente diuinitus monita, rationeq; vitæ cõuersa, fastui, & ambitioni se subtrahens, curialibus muneribus, contentionibusquè; plurima salute dicta; Beato Philippo Nerio instituti Auctori, Cæsariq; Baronio nunc Cardinali amplissimo in cõgregatione quę Oratorij dicitur socius adiunctus, diuino cultui totum se dedit, ex qua societate à Clemente VIII. S. D. N. à secretis congregationi Episcoporum electus, mox Auinionensis Metropolitanæ Eccl. renitens, renũciatus Archiepiscopus, Collegio Patrum purpuratorum absens, paulo post adscribitur, & ad pacandum inter Serenissimos Vincentium Mantuæ ac Ranutium Parmæ, & Placentiæ Duces oriturum forte dissidium Caduceator mittitur, ac postea Senensi Archiepiscopatui præficitur. Vir egregius ad maxima quæq; pertractanda aptus longo rerum vsu, vbertate linguarum, sacrarum, humanarumq; literarum multiplici erudititione conspicuus, sermocinandi gratia in primis elegantis, & magnę doctrinę, atq; in dictis suis non minus sententiarum grauitate, quam ornatu insignis, & qui frequenter scripturæ sanctæ verbis, & SS. Patrum exemplis vtitur; is vtpotè, qui dignitati suæ conuenire plurimum existimat; summo Sacerdotio dignus ab omnibus habitus Presbyter Catdinalis tt. S. Bartholomæi in Insula.

XXXVI. Octa-

XXXVI.

OCTAVIVS Bandinus nobilis Florentinus; Iurisprudentia in florentissimis Galliæ, Hispaniæ, ac Italiæ Academijs sibi comparata Protonotariatus Apost. titulo insignitus; Bononiensi Præsidatui à Clemente VIII. summa Ciuium beneuolētia præfectus, Archiepiscopus Firmanus, ac Princeps electus, quam Vrbem sub Sixto V. vt etiam vniuersam Picentum Prouinciam rexerat; mox in sacrum Senatum ab eodem adoptatus; Legatusq; Flaminiæ declaratus, magna constantia nunc Piceni Legationem gerit. Pater eloquentissimus, cuius doctrinæ, ac consilio, summus Pontifex tribuit multum, animo ingens, ingenio promptus, rerum cognitione, illarumq; vsu excellens, & qui multarum virtutum ætate nostra exemplum extitit. Presbyt. Cardin. tt. S. Sabinæ.

XXXVII.

D. ANNA Decars Claudij de Giuri Clementis Septimi Cardinalis ex sorore pronepos Gallus, Monacus, Abbasquè Monasterij S. Benigni Diuionensis in Burgundia Ord. S. Benedicti à Gregorio XIII. ob vitæ meritum Episcopus Lexouiensis factus; à Clemente VIII. Pontifice, propter Religionem catholicam, Apostolicæq; Sedis auctoritatem interregni tēpore apud Gallos defensam, inter Cardinales relat⁹ est. Vir Theologica doctrina celebris, summa innocētiæ existimatione illustris, & qui aliquando è Gallia Romam missus pro rebus Ecclesiæ, ad eam, qua pollet facundiam, insignem etiam in dicenda publica sententia libertatem addidit, curans in consulendo nō quod maximus Princeps vellet, sed quod Christianæ Reipub. vtilitas postularet. Presb. S. R. E. Cardinalis; sed adhuc sine titulo.

XXXVIII.

FRANCISCVS de Sancto Georgio ex Comitibus Blandratæ Casalensis, clarissimo sanguine ortus, ex Referendario

dario Apostolico ad Ecclesiam Aquensem vocatus,& mox; se dente Clemente Octauo Pontifice, Cardinalis creatus; Piceniq; & post Ferrariæ, ac Romãdiolæ Legatus cõstitutus, Præses omnium penè Prouinciarum Ecclesiæ diuersis temporibus factus, prudentiæ, & integritatis specimen clarissimum dedit; in periculis.n.fortitudine, in dubijs iudicio, in certis constantia, in aduersis acrimonia, in prosperis moderatione ita præstitit, vt meritò possit cum tota antiquitate comparari; & cui plurimum pro eius sapientia, ac rerum vsũ alij Patres tribuunt. Presbyter Card. tt. S. Clementis.

XXXIX.

CAMILLVS Burghesius Romanus, origine Senensis, Ciuili sapientia, generisq; nobilitate conspicuus, vtriusq; Sig. Referend. Patriarchalis Basilicæ S. Mariæ maioris de Vrbe Vicarius, ad Prolegationem Bononiensem administrandã; Legato Alexandro Cardinale Peretto anno 1588. missus, Ciuitatem, Ditionemq; durissimo Pontificij Interregni ob mortem Sixti V. & Vrbani VII. tempore biennio, summa prudentia moderatus est, ex quo præsidatu ad Cameræ Apostolicæ Auditoris munus, post obitum Horatij fratris à Greg. XIV. vocatus; à Clemente VIII. in Hispaniam Sedis Apostolicæ Nuncius missus, purpura non multo post condecoratus; Exinum Episcopatum moderandum suscepit. Pater in omni vita verax, ac integer, singularis prudentiæ habitus, qui boni Cardinalis nomen; ex consilijs liberè, & sincerè datis, est consecutus. Presbyter Cardinalis tt. S. Eusebij.

XL.

CAESAR Baronius nobilis Soranus, humanarum, diuinarumq; scripturarum sublimis interpres, Ecclesiasticarũ antiquitatum clarissimus indagator, vitæ, ac morum probitate celeberrimus, summæ eloquentiæ vir, in omni scriptorũ genere, nulli ætate nostra secundus, vtpotè qui priscorum in dicẽdo lau-

do laudem; ſi non ſuperauit, eis minimè inferior, æquare ſaltem viſus eſt. Ex primo Præfecto poſt B. Philippum Neriũ inſtitutorem Congregationis Oratorij de Vrbe, cuius fuerat alumnus ſola virtute, doctrinaq; adiutus, ob conſcriptos Annales Eccleſiaſticos, quibus Eccleſia cattholica ſummoperè honoratur, rerum celeberrimarum in eadem geſtarum memoria conſeruatur; multæ quæſtiones aperta Apoſtolicarum traditionũ ex puriſsimis fontibus veritate ſoluuntur; & falſa hæreticorũ mendacia acerrimè confutantur, à Beatiſs. Dom. N. Protonotarius Apoſtolicus de numero participãtium; mox Sanctę Romanæ Eccleſiæ Cardinalis renitens, & inuitus creatus eſt; magnæ integritatis, modeſtiæ, fideiq; Pater; eiuſdem Sanctiſsimi à confeſsionib. & S. R. E. Bibliothecarius. Presbyt. Cardinalis tt. Sanctorum Neræi, & Archilæi.

XLI.

LAVRENTIVS Blanchettus Bononienſis nobiliſsimis, ac Chriſtiana præſertim pietate illuſtribus, ortus parentib. Vtr. Iur. Doct. atq; ante annos virilem grauitatem gerens, ob conſpectus venerationem, manſuetosq; mores, atque ingentẽ virtutem à Gregorio Tertio decimo Rotæ Iudex factus, ad ipſius Tribunal, quod eſt in Eccleſia maximum, ſic per annos quatuor, & viginti ſedit, vt documẽta futuræ laudis notiſsima omnibus daret, à Sixto Quinto in Galliam cum Henrico Cardinale Caëtano Legato vigente bello; mox in Poloniam cum Hippolyto Cardinale Aldobrandino, nũc vniuerſalis Eccleſiæ Paſtore, miſſus; labori nõ pepercit, cumq; de re communi ageretur, nihil timuit; nihil non ſperauit; vno, eodemq; tempore ſudauit ſæpè, & alſit, cuius præclaras virtutes admiratus idẽ ſummus Paſtor, præcipua Bononiẽſium, ac totius Romanæ Curiæ lætitia, inter Orbis Senatores retulit. Pater, in quo ſemper ſumma religio enituit, ſumma vitæ integritas, ſingulare ingenium, doctrina ingens, morum grauitas, ingenij acumen; longoq; rerum vſu maxima peritia, ac humanitas tanta, quãta nec

experti antehac ſumus, & deſideraturi forſitan in poſterũ erimus. Presbyter Cardinalis tt. S. Laurentij in Pane, & Perna.

XLII.

FRANCISCVS clariſsimo ſanguine, è familia de Muxica inter Hiſpanos nobiliſsima ortus, Abulẽſis, de Auila nũcupatus, cum mos ſit in Hiſpania ſecundo genitos Heroum cognomen ab auo materno aſſumere, ex Collegio S. Iacobi Vniuerſitatis Salmanticenſis, Conchenſi dicto, vbi literis operam dedit, in Canonicũ Archidiachonumq; maioris Toletanæ Eccleſiæ aſſumptus; mox eiuſdem Ciuitatis Apoſtolicus Inquiſitor, Commiſſariuſq; generalis Cruciatæ, & de Conſilio ſanctiſsimę Generalis Inquiſitionis in Regnis Hiſpaniarũ electus, ob egregias virtutes, doctrinamq; in ſacris literis, cuius nonnulla monumenta poſteritati conſecrauit, à Clemẽte Octauo ſummo Pontifice in numerum Patrum adſcriptus, præ oculis omnium maxima reſplendet claritudine, non tam ex nobilitate genris, & ex dignitatis ſplendore, quam ex virtutum radijs lõgè, lateq; fulgentibus comparata. Presbyter Cardinalis ti. S. Crucis in Hieruſalem.

XLIII.

FERDINANDVS Ninno de Gueuara nobiliſsimis, & ipſe Toleti in Hiſpania parentibus natus, & ex gente, quæ per uetuſto de Onnate Comitum titulo, antequam Caſtellæ Regis nomen in Hiſpaniã perueniret, inſignita eſt; vir ſine cõtrouerſia magnus, eiuſdem Collegij alumnus, ſtudijs literarum, religione, maximiſq; alijs virtutibus, & ſingulari præſertim liberalitate elucens, Regni Granatę Præſidens, ab eodem Sanctiſsimo Dom. N. ob conſilium, humanitatem, innocentiamq; in Senatum allectus; Romam vna cum Franciſco collega adſcitus, breui quantum ingenio valeat aperuit: in magnis enim, arduiſq; rebus tractandis perpetuò verſatus; in quibus magnum vſum, & intelligentiam conſecutus eſt; eum ſe in ſententia de eiſdem expo-

exponenda ostendit, vt illud planè constet ætate nostra pacis artibus, naturæ præsidijs, inter Hispanos instructiorem esse neminem; quò nil habet ipsius Natio, quò gloriari amplius possit; nil quod ad suum patrocinium efficacius inueniatur. Presbyter Card. tt. S.Martini in Montibus.

XLIV.

FRANCISCVS Mantica nobilis Vtinensis Foroiuliensis, præstans Pontificij, Ciuilisq; Iuris interpres, inter duodecim Patres litibus iudicandis, maxima prudentiæ, ac integritatis laude sedens, ob summam virtutem, summam in Ecclesia fidem, præstantem animum, sapientiæq;, ac consilij, cuius non obscura extant monumenta singularem opinionem à Sanctissimo Pontifice Clemente Octauo in sacro Cardinalium Collegio annumeratus est, Parentinæq; Ecclesię præfectus; vir inter I. Cons. ætate nostra longè princeps, in cuius domo id, quod præcipuè fulget, atq; enitet, est illius virtus, innocentia, affabilitas, liberalitas, sanctitas, ac perpetua laborandi, otiumq; fugiendi cupiditas, quem nec vana ratio, nec tecta fallere potest ambitio. Presbyt. Card. tt. S. Thomæ in Parione.

XLV.

POMPEIVS Arigonius nobilis Romanus & ipse inter vtriusque Iuris scientia clarissimos nostra ætate viros annumeratus, cum magnum solertiæ, pietatis, ac sapientiæ præconium, inter Rotæ Iudices adeptus fuisset, ab eo ipso Clemente Octauo Pontifice in amplissimũ sacræ Purpuræ honoris statũ collocatus est; integerrimus, eruditissimus, probatissimusquè Præsul, grauitate, iustitia, ac fide insignis, in omni re, verboq; suo prudentissimus, qui cum se ostendit, quem omnes mirẽtur. Presbyter Cardinalis tt. S. Balbinę.

Diaconi Cardinales XII.

Gregorius XIII.

XLVI.

ANDREAS ab Auſtria Imperiali ſanguine ex Ferdinando Auſtriæ Archiduce natus Germanus, admodum iuuenis vehementi in catholica Religione ſpiritu, futurã animi ſui magnitudinem, religionemq; declarans, inter purpuratos Patres relatus, eum honorem in tenera ætate à Gregorio Tertio decimo Pontifice tulit, quem raro ſenes virtute prẹſtantes aſſequuntur, à quo paulo poſt honorifico totius Germaniæ Legationis titulo inſignitus, vt Truchſeſium Colonienſem Archiepiſcopum ad ſanæ mentis intelligentiam adduceret, ipſe ſedulus ad ſummi Pontificis mandata fuit, circuiuit, quæſiuit, pulſauit, expectauit, ſibiq; non pepercit, & ſi fruſtra; electus Epiſcopus Conſtantienſis, Brixinenſiſq;. S. Mariæ nouæ Cardinalis, Diaconorum primus.

XLVII.

FRANCISCVS Sfortia Romanus ex Marchionibus Sanctæ Floræ, Guidonis Aſcanij Pauli III. & Alexandri Pij IV. Cardinalium ex fratre nepos, ſummo genere, ſummaq; claritate maiorum præſtans, adoleſcens à Gregorio Tertio decimo Pontifice inter Patres eſſe iuſſus; ſub Gregorio XIV. Innocentio IX. & Clemente VIII. ſummis Pontificibus laborioſam ijs temporibus Flaminiæ Legationem conſtantiſsimè, ac ſumma prouincialium beneuolentia geſsit, cuius fuit, & domi, & foris ſumma commendatio, nam opibus, conſilio, atq; ſui corporis oppoſitu, nullo vnquam loco Chriſtianẹ Reip. defuit. Vir, qui propter excellentem ingenij vim, in rebus publicis obeundis neminem parem habet, cum in eo prudentia præuenerit iuuentutis annos; & quod alij non niſi longo vſu, & experientia

aſſe

assequuntur, hic summa indolis præstantia, iudicijq; validitate breui tempore comparauit. Diac. Card. S. Mariæ in via lata.

XLVIII.

ANDREAS Bathorius de Sólio Trāsyluanus, Stephani Poloniæ Regis religiosissmi ex fratre nepos, adolescēs præstans ingenio, ac pietate, magnis animi, ac corporis ornamentis prædìtus, ab eodem Rege Orator ad Gregorium XIII. missus, à quo Cardinalitia dignitate donatus est, ea prudentiæ, integritatis, castimoniæ in ipsa Romana Aula, atq; ante annos virilis grauitatis signa præ se tulit, vt magno Senatui Purpuratorum facta visa sit accessio, siue actionē queras, siue consilium; Diac. Card. S. Angeli in Piscina, electusq; Episc. Varmiensis.

Sixtus V.

XLIX.

ALEXANDER Perettus Romanus, Sixti V. summi Pontificis ex Camillæ sororis filia pronepos, rubro Galero ab eodem Pōtifice donatus, nobilissimmisq; Italiæ familijs sanguine iunctus, Legationem Bononiensem sub eodem, ac sedente Clemente Octauo vsq; nunc annis nouem, & vltra, prudenter administrauit; Summator Papæ, S. R. E. Vicecancellarius. Qui opum magnitudine, & apparatus magnificentia excedere, nedum multos æquare Reges putatur, cuius; vt reliquas virtutes omittam, regia in omni magnificentiæ genere liberalitas tum erga familiares, quotidianiq; cultus splendorem se se copiosè ostendit, tum verò maximè in egenorum inopia subleuāda, ac in præclaris artibus fouendis, veluti clarissimum lumen elucet. Cardinalis amplissimus, & apud summos Pontifices magnæ auctoritatis, de quo Curia semper benè sensit, & locuta est cum honore. Diaconus Cardinalis S. Laurentij in Damaso, Regni Poloniæ Protector.

L.

ASCANIVS Columna nobilißimus Romanus, M. Antonij Palliani, Talliacotijq; Ducis rebus præclarè gestis, domi, forisq; clarißimi Herois filius, ea stirpe prognatus, quæ vetustate originis, quæ perpetua serie honorum; quæ præclarè gestorum gloria florentißima est, & cuius maiores in sacro Collegio virtutem, singularemq; prudentiam suam probarūt; gentilitij decoris æmulus, studijs literarum in celeberrimis Hispaniæ Academijs ita se dedit, vt græcis, latinisq; literis eruditus; sui temporis in eloquentia Principis nomen sit cōsecutus, in quo tanta ad magnas res iam inde à prima adolescentia indoles fuit, vt in familiaritatem Philippi Secundi Hispaniarum Regis adscitus, breui omnium oculos in se conuerterit, Rexq; ipse adolescentis ingenium, consilium, prudentiam, grauitatemq; admiratus, vt in sacrum Senatum cooptaretur; etiã, atque etiam apud Sixtum V. summū Pontificem institerit. Princeps multiplicis virtutis titulo insignitus, regijq; cultus, ac splēdoris magnificentia in primis clarus. Diaconus Cardin. S. Mariæ in Cosmedin, Prior Venetiarum Ord. S. Ioãnis bapt. Hierosolymitani; Archipresbyterq; S. Lateranensis Basilicæ.

LI.

CAROLVS Caroli III. Lotharingiæ Ducis filius Lotharingus, Canonicus Ecclesiæ Coloniensis, sacram purpuram à Sixto V. accepit. Huic electo postea Metensi Episcopo, consilio, prudentia, vitæ exemplo, abstinentia, grauitate, iustitia, religione, cæterisq; virtutibus clarißimo, Clemens Octauo Argentinensem Ecclesiam administrandam, resistentibus hæreticis, qui alium Episcopū sibi similem assumpserant, mandauit, corruptißimæ ditioni, in qua lutherani principē sedem sibi constituerant, vtilitati, & saluti hoc præstanti, maximèq; apto remedio consulens. Diaconus Card. S. Agathæ.

Gregorius Papa XIV.

LII.

ODOARDVS è gente Farnesia Romana, multis stemmatibus, tum verò Pontificatu maximo, perpetuaq; , ac continuata serie Procerum, & ecclesiasticorum, & secularium illustrissima Alexandri Parmæ, & Placétię Ducis, qui Orbem terræ vniuersum, sui nominis fama impleuit, Mariæq; è stirpe Regum Lusitaniæ sanctissimæ fœminę, prudentiæ, pietatis, ac religionis singularis exempli filius, Ranutij Serenissimi earumdem Ditionum Ducis, paternę gloriæ hæredis, factorumq; imitatoris celsissimi, frater, cum ipsius præclara indoles in dictis, factisq; maximè eluceret, à Gregorio XIV. summo omniũ applausu S. R. E. Cardinalis creatus est. Iuuenis, qui ; vt cum fratre pari voluntatis conspiratione in parentum laudum æmulatione concordat, Ranutio, vt clarissimam Alexandri patris in bello, sic ipse, vt amplissimam Alexandri Cardinalis patrui dignitatem in toga minus desideretur, efficit. Diaconus Cardin. S. Eustachij, Regniq; Aragoniæ Protector.

Innocentius Papa IX.

LIII.

ANTONIVS Fachinettus Bononiensis, Innocentij Noni Pontificis ex sorore pronepos, Cæsaris Vianini Marchionis filius, à magno Auunculo super annos ex Protonotario Referendarioq; Apostolico, cum ipsius virtutis specimen, prudentiæq; semina agnosceret, proprio Cardinalitio pileo donatus, super subsellium Diaconale positus, tanta auiditate literarum studia, id natura cooperante sectatur, vt quicquid temporis à rebus publicis subtrahi potest, literis impendat, in quo ea est animi, ac ingenij indoles, vt si iusta vitæ spatia illi contingant (quod Deus faxit) vnicum inter suę ętatis Cardinales eua-

ſurum, conſtanti omnium opinione credatur, qui in Conſiſtorio breuiter, parcèq; in reſpondendo ſe gerens, magnum modeſtiæ, & ſtudij argumentū præbet. Diaconus Cardinalis Sanctorum quatuor Coronatorum.

Clemens Papa VIII.

LIV.

PETRVS Aldobrandinus nobilis Romanus, origine Florentinus, Petri Clementis Papæ Octaui fratris filius, viuidi ingenij, prudentis conſilij, maturæq; grauitatis adoleſcens à Patruo Summo Pontifice; ex Abbate Sanctorum Vincentij, & Anaſtaſij ad aquas ſaluias; Arciſq; Sancti Angeli Præfecto; ac Aduocato Conſiſtoriali; ampliſsima Cardinalatus dignitate cohoneſtatus; quò maiorem virtutis exercendæ, ampliorémq; proficiendi campum nactus eſt, eò præclarius munus ſuum præſtitit, feliciusq; abſoluit; totius.n. Eccleſiaſtici exercitus; imminente bello ab eodem Patruo Præfectus deſignatus; ita quæ eiuſdem muneris erant prudenter, ac cumulatè adimpleuit, vt ipſius virtuti, orationibusq; Pontificis adſcribendus ſit rerum Ferrarienſium felix ſucceſſus, vt.ſ.ante illatum, confectum bellum audiretur; tamquè amplæ Ditiones Ferrarienſis, Comaclenſis, & Romandiolæ illius ſtudio ſine ſanguine recuperatæ, perpetuò Iuri, & Imperio Romanæ Eccleſiæ, fugatis teterrimi belli nubibus, & perpetua pacis ſerenitate redacta dicarentur. Qui Ferrarienſis Legatus declaratus; mox ad comitandā Margaritam Auſtriacam Ferraria (quo venerat) vt coram Sanctiſſimo Dom. N. ſponſalia celebraret cum Philippi III. Hiſpaniarum Regis Procuratore Alberto Auſtriæ Archiduce, qui, & ipſe tunc matrimonio coniunctus eſt cum Iſabella Clara Eugenia ſorore eiuſdem Regis, ipſius Oratore medio, Mediolanū miſſus; vt foris inuictus, ita domi in Præſidatuq; grauis, & cōſtantis animi habetur. Iuuenis, cuius nomē tot, tamq; eximiæ virtutes commendant, vt dificilius ſit in ſuis laudibus exitum,

quam

quam principium inuenire. Diaconus Cardinalis Sancti Nicolai in carcere Tulliano, Signaturæ Breuium Prefectus, Protectorq; Sabaudiæ.

LV.

CYNTHIVS Passerus Aurelij Art. & Med. Doctoris filius nobilis Senogalliensis, stemmate, cognomineq; Aldobrandini, ab eodem Clemēte Octauo Sanctiss. Domino Nostro Iuliæ, ipsius matris fratre donatus; cum solertis cuiusdam mētis acici ad quæuis ardua expedienda multis in muneribus in celeberrimo totius Orbis theatro insignia documenta dedisset; tum verò maximè in Polonica Legatione, in qua idem Auunculus, tunc Legatus ipsius operam magnopere adhibuit, eiusdem ingenio, ac literis tribuens omnia, ab eodem debitam purpuram accepit. Egregius vir doctrina, ingenio, ac diuina quodā modo prudentia præstans, qui pectus suum iustitiæ, honestatis, innocentiæ, religionisq; lorica vndiq; tectum, atq; armatum esse contendit; & qui adeò graues in Senatu sententias dicit, vt etiam cum veteranis Patrib. dicendi grauitate, copiaq; certet. Cardinalis Diaconus Sancti Georgij in Velabro.

LVI.

BARTHOLOMAEVS Illustrissima gente Cæsia inter Romanos Cardinalitio, ac ciuilium rerum decore; belliciaq; laude clarissima, ortus, honorificentissimo Clericatus Cameræ honore perfulgens, eiusdem Cameræ Apostolicæ Generalis Thesaurarius electus, ex eo munere sibi ad sacram purpupuram sub Clemente Octauo Pont. Max. gradum fecit. Vir ad publicam vtilitatem semper intentus, cuius acre iudicium, & mens prompta, ac voluntas ad bonum festinans absoluit maturè quæq; difficilia crebrò illi à summo Pontif. iniuncta sunt, consilia sincera præbens, pro fide, pro iustitia, pro veritate peruigilans. Diaconus Card. S. Mariæ in porticu.

LVII. An-

LVII.

ANDREAS Perettus de Monte Alto Picenus, Sixti Quinti gentilitius, à Clemente Octauo Pontifice grati animi causa erga familiam Perettam; à qua Cardinalitium pileum acceperat, ex Protonotario Apostolico amplissima dignitate insignitus, literarum studijs, singulari morum facilitate, miraq; naturæ comitate, ac sermonis affabilitate, alijsq; virtutibus, cũ formæ dignitate coniunctis, studia, voluntatesq; hominũ ita ad se adtrahit, vt apud cæteros Cardinales in gratia, & in honore semper sit; hoc adolescentiæ suæ flore eius fructus ostendens signa; qui postea adultiori ætate optimi Senatoris nomen ei pariat. Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Domnica.

FINIS.



Errata ſubnotata, ſi quandoq; in eorum locis emendata reperies, ne mireris, Lector, nam dum in paginis ſub ipſo prælo partim impreſſis, ac partim imprimendis perlegerentur, perſpecta, tunc correcta ſunt. Quæ autem non hic apposita reperies iudicio tuo corrigenda commiſſa ſunt.

Pag.5.dies viginti quatuor lege viginti ſex. p.12.XIX.l.XV.p.15.XXXI.l.XXIX. p.43.frauri l.fratri. p.45.alumno l.alumni. eadem dilectus l.delectus. p.53.doctos l.doctor. p.54.Setembris l.Septembris. p.55.ptefidens l.præſidens. p.62.Paulus Papa|4. l. Pius p 74.Caliſti l.Calixti. p.75. Siſti l Sixti. p.87. ipſis l.ipſius. p.59. l.95. p.96.numeris l.muneris.p.97.pietats l.pietas.p.107.pio l.pro.p.113.& 114.non.n.in terras miſſus l non .n. in terris genitus, ſed e cœlo in terras miſſus.p.125.2583. l. 1583 p.128 sres vi l.res ſui p.147. Florentinam l. Florentina. p 150. ornatiſsiimo l.ornatiſsimo p 156 pecunis l.pecunijs p.157. eleuenrur l.eleuentur p. 64. *πεθαναι* l.*απεθανεν*. p 174 Archiprebytero l Archipresbytero p.176 Hieronymu l Hieronymus. ead. admirarione l. admiratione. p. 190. Velus aureũ l Velum aureum. p 202. Decembri l Decembris p.206 106 l.206. p 207.107 l.207.p.216. Kalendass l Kalẽdas.p.227. *quæ de vento inſtante diximus accidiſſe nocte quadam, alijs placet eueniſſe in meridie* p.259. periculuſis l periculoſis p 265.qood l quod p 308 translatm l. translatum ead inſcriptipne l. inſcriptione. p. 324. ratione Cardinalatus adde præſtita. p 337 Apoſtolicæ l. Apoſtolica p. 339 perpexiſſet l. perſpexiſſet p.346. 246 l.346 p. 356 Pernſiæ.l Peruſſæ.p.381. renuntiatus.l.renunciatus. p.392.mulat. l.multa p.402. congtegationi l. congregationi.p.410. conſtitutus.l. conſtitutis p. 418 controurſiam.l.cõtrouerſiam p.419. magnaimum l. magnanimum p.450. 454 l.450.p.451.455.l.451 p.462.458.l 462.p.463.459 l.463.




REGISTRVM.

† ABCDEFGHIKLMNOPQRST VXYZ. Aa Bb Cc Dd Ee Ff. Gg.

Omnes ſunt Duerniones.



Bononiæ apud Hæred. Io. Roſsij. MDIC.
Superiorum permiſſu.



005646052